









CATALOGUS
CODICUM HAGIOGRAPHICORUM
BIBLIOTHECÆ REGIÆ
BRUXELLENSIS





CATALOGUS
CODICUM HAGIOGRAPHICORUM

BIBLIOTHECÆ REGIÆ

BRUXELLENSIS

PARS I. CODICES LATINI MEMBRANEI

TOMUS II

EDIDERUNT

HAGIOGRAPHI BOLLANDIANI

(*Analect. Boll.* tom. V-VIII)

BRUXELLIS

TYPIS POLLEUNIS, CEUTERICK ET DE SMET

1889

CATALOGUS CODD. HAGIOGRAPHICORUM

BIBL. REGIÆ BRUXELLENSIS.

PARS I.

CODICES MEMBRANEI.

LXXXVII. Codex signatus nº 7460.

Foliorum 168 (præter unum in capite codicis quo verso exhibetur index), formæ majoris (0^m, 48 × 0, 34), columnis binis, lineis graphio plumbeo ductis, nitidissime exaratus manu seculi XIII. Tituli minio descripti sunt et exordia singulorum capitum signata littera capitali rubra, cærulea aut viridi, sine ornamentis; at initio Vitarum hæ litteræ longe ampliores sunt et admodum eleganter delineatæ, depictæ et ornatæ, singulæ tamen uno colore ex tribus supra indicatis.

Pulcherrimus iste codex cum sequenti, cui eadem descriptio convenit, pars erat magni Passionalis, cujus hi duo codices quartam tantum partem exhibent, videlicet Vitas sanctorum mensium Octobris, Novembris et Decembris. Quibus tertius annumerandus est (nº 7462-81) qui continet Vitas Patrum cum aliis nonnullis. Pertinebant olim ad monasterium Vallicellense, in diœcesi Cameracensi; quod indicatur in hoc primo ad calcem ultimi folii, hac nota manu seculi XIII vel XIV adscripta : *Liber Sancte Marie de Valcellis.* Postea autem venit in possessionem Balthasaris Moreti Antverpiensis et inde Bollandi et Henschenii, ut notatum est in folio chartaceo in capite codicis inserto, his verbis : *Hunc ms. codicem permutatione comparavimus anno MDCXXXVII a clarissimo viro D. Balthasare Moreto : qui olim pertinuerat ad Abbatiam Vallicellensem Ordinis Cisterciensis.* In museo Bollandiano signatus erat **P** 159, quæ nota adhuc in folio membraneo insiticio verso in capite codicis legitur.

1º Vita sancti Bavonis confessoris Christi, cujus festivitas est Kl. Octobris (fol. 1^r-4^r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Oct., tom. I, p. 229-235.

2º Liber miraculorum ejus (fol. 4^r-9^v).

Editus ibid., p. 293-303.

3° Passio sancti Piati martyris, quæ est Kalendas Octobris (fol. 9^{v}-12^{r}).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 1 Oct.. tom. I, p. 22-24. — Cfr. ibid., Comment. præv., num. 20 (p. 11).

4° Passio sancti Leodegarii episcopi et martyris, quæ est sexto Nonas Octobris (fol. 12^{r}-15^{r}).

Passio auctore Ursicino edita ex hoc cod. in *Act. SS.*, ad d. 2 Oct., tom. I, p. 485-490. — Prologus in codice desideratur.

5° Translatio ejusdem (fol. 15^{r}-16^{v}).

Edita ibid., p. 478-481, seu num. 51-73. — In cod. finis aliquantulum contrahitur et subinde quædam in corpore.

6° Epistola Ursini ad Ansoaldum Pictaviensem episcopum (fol. 17^{r}).

Edita ibid., p. 485. — Ad finem subjuncta sunt nonnulla miracula quæ pertinent ad translationem, edita ibid., p. 481 (num. 73-76).

7° Passio duorum Ewaldorum presbiterorum, quæ est quinto Nonas Octobris (fol. 17^{r}-18^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 3 Oct., tom. II, pp. 205, 206. — Ad fin. in cod. adduntur nonnulla quæ leguntur apud Bedam, *Hist. eccles.*, sect. III, cap. 3 (Migne, P. L., tom. XCV, p. 246) scilicet a verbis : *Quo tempore fratres* usque ad *diem clausit ultimum,* nonnullis tamen vocibus in cod. omissis.

In cod. Passio incipit hocce modo :

Temporibus pristinis, Romanæ præsidente sedi Sergio papa venerabili et apostolico, regnante vero glorioso Pippino rege catholico, quam multi apud Fresiam claruerunt verbi Dei seminatores. Inter quos etiam speciali prærogativa meritorum et singulari spiritualium dote virtutum magnifice præpollebant egregii pontifices Hegbertus, Suitbertus, Wicbertus atque Willebrordus qui populis barbarico more viventibus et paganorum spurcitiis deditis fidem catholicam et verbum salutis evangelizabant.

8° Vita beati Sanctini episcopi, cujus festum est v° Nonas Octobr. (fol. 18^{r}-18^{v}).

Fragmentum epistolæ Hincmari ad Carolum imperatorem, editæ in *Act. SS.*, ad d. 11 Oct., tom. V, p. 586-588; scilicet num. 9-13.

9° Passio sanctæ Fidis virginis et martyris Christi, quæ est pridie Nonas Octobris (fol. 18^{v}-20^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Oct., tom. VIII, p. 823-825.

10° Passio sanctæ Benedictæ virginis et martyris, quæ est octavo Idus Octobris (fol. 20v-23r).

Edita ex hoc cod. in *Act. SS.*, ad d. 8 Oct., tom. IV, p. 219-222.

11° Epistola Hilduini abbatis indigni ad cunctos sanctæ matris Ecclesiæ filios et fideles... de notitia excellentissimi martyris Dionisii (fol. 23r-24r).

Edita apud Migne, P. L., tom. CVI, p. 22-24.

12° Passio sanctorum martyrum Dionisii, Rustici et Eleutherii (fol. 24v-33v).

Edita ibid., p. 23-50.

13° De gestis Dagoberti inclyti regis atque inventione sanctorum martyrum Dionisii, Rustici et Eleutherii (fol. 33v-35v).

Editum apud Bouquet, *Recueil des Hist. des Gaules,* tom. II, p. 580 sqq., scilicet documenti ibidem editi num. I-XI, numm. XVII, XVIII ac prima phrasis num. XIX *(Gazophilacium-unicuique restitueret).*

14° Revelatio quæ ostensa est sancto papæ Stephano et memoria de consecratione altaris sanctorum Petri et Pauli, quod est situm ante sepulchrum sanctissimi Dionisii sociorumque ejus, quæ revelatio et consecratio facta est quinto Kalendas Augusti (fol. 35v-36r).

Edita apud Surium ad d. 9 Oct.

15° Vita sancti Richarii confessoris, cujus festivitas est VII° Idus Octobris (fol. 36r-39r).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 26 April., tom. III, p. 441-447. — In cod. desideratur prologus.

16° Miracula ejusdem (fol. 39r-46v).

Edita ibid., p. 447-456.

17° Vita sancti Gisleni confessoris, cujus festivitas est VII° Idus Octobris (fol. 46r-51r).

Edita ope hujus cod. in *Anal. Boll.,* tom. V, p. 212 sqq.

18° Passio sancti Gereonis sociorumque, quæ est sexto Idus Octobris (fol. 51r-53r).

Edita ex hoc cod. in *Act. SS.,* ad d. 10 Oct., tom. V, p. 36-40.

19° Vita domni Brunonis archiepiscopi Coloniensis (fol. 53r-64v).

Edita ope hujus cod. in *Monum. Germ.,* Scr. tom. IV, p. 254 sqq.; cfr. p. 253.

20° Passio sanctorum martyrum Tharachi, Probi et Andronici, qui est VI° Idus [Octobr.] (fol. 64^{v}-70^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 11 Oct., tom. V, p. 566-581. — Sed in cod. desideratur epistola ad Iconienses, ac multæ occurrunt lectiones variantes.

21° Vita sancti Venantii abbatis, cujus festivitas est tertio Idus Octobris (fol. 70^{r}-71^{r}).

Vita auctore Gregorio Turonensi, edita ibid., ad d. 13 Oct., tom. VI, p. 219-221, num. 1-7.

22° Item pauca verba de sancto Venantio (fol. 71^{r}).

Edita ibid., p. 221, num. 8.

23° Epistola domni Gervasii Remensis archiepiscopi de vita sancti Donatiani ejusdem sedis archiepiscopi, Balduino Flandrensium comiti directa (fol. 71^{r}-72^{r}).

Ex parte edita ex hoc cod. in *Act. SS.*, ad d. 14 Oct., tom. VI, pp. 497, 498, num. 39-41. Quæ in hac editione prætermissa sunt, hic in Appendice exhibenda duximus.

24° Sermo Gervasii archiepiscopi de beato Donatiano Remorum archiepiscopo et confessore (fol. 72^{r}-73^{v}).

De hoc sermone conf. ibid., p. 498, num. 41.

Inc. *Beatissimum confessorem Christi Donatianum Remensis metropolis constat septimum præsulem exstitisse, cujus hodie largiente Domino solemnitatem celebrare satagimus, ejusque dignis laudibus sincera cordis devotione adesse studemus.*

25° Tractatus de ortu et ordine sancti Donatiani archiepiscopi, cujus festum est pridie Idus Decembris (fol. 73^{v}-74^{v}).

Edit. ex hoc cod. ibid., p. 498-500, num. 43-49.

26° Epistola incliti ac piissimi marchionis Arnulfi ad venerabilem præsulem Remorum Hugonem directa (fol. 74^{v}-75^{r}).

Edit. ibid. ex hoc cod., pp. 496, 497, num. 34-36.

27° Rescriptum religiosissimi archiepiscopi Hugonis ad fortissimum comitem Francorum domnum Arnulfum (fol. 75^{r}-75^{v}).

Edit. ibid. ex hoc cod., p. 497, num. 36-38.

28° Pauca de vita et actibus sanctissimi Donatiani præsulis a quodam episcopo Veronense monacho Laubiense (fol. 75^{v}-76^{v}).

De hoc sermone inter opera Ratherii nulla fit mentio, nec eum usquam editum

reperimus; sed nihil continet unde gesta sancti Donatiani illustrentur. Constat enim encomio quodam generali, mysticis considerationibus, præsertim de numero septenario, ac piis adhortationibus.

Inc. *Septimum, gloriosa Remorum civitas, tibi a Deo datum solemniter recolentes, episcopum Donatianum reverentissimum, septiformem nobis adesse quæsumus Spiritum, laudis ejus ad cumulum eumdem sacratissimum aptare gestientes numerum, multidicis Scripturarum videlicet præconiis commendatum.*

29° De quadam muliere cæcitate multata sed Dei clementia per sanctum Donatianum illuminata (fol. 76^{v}-77^{v}).

Edit. ex hoc cod. ibid., pp. 503, 504, num. 1-5.

30° Epistola cujusdam de eodem sancto (fol. 77^{v}-80^{v}).

Edita ex hoc cod. ibid., p. 498, num. 42, p. 501, num. 53 ac p. 504-508, num. 6-21. Quæ autem in ea editione prætermissa sunt, videsis infra in Appendice.

31° Item de sancto Donatiano (fol. 80^{v}-81^{r}).

Edit. ibid., pp. 508, 509, num. 22-26.

32° Item miracula sancti Donatiani Remorum archiepiscopi (fol. 81^{r}-84^{r}).

Edit. ibid., p. 510-513, num. 27-44.

33° Item homelia dicenda in natale sancti Donatiani archiepiscopi (fol. 84^{r}-84^{v}).

Hæc homilia tota parænetica est.

Inc. *Licet per totius orbis ecclesias conveniat omni populo christiano sanctorum festa celebrare, victorias laudare, vitam imitari, et, quia in omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terræ verba eorum, in omni terra consona cunctorum viventium voce laudandi sint: tamen singulis in locis propter familiaritatem cohabitationis cujuslibet illorum et propter præsentiam sanctarum reliquiarum quæ in solatium illis condonatæ sunt habitatoribus, speciali quadam veneratione apud cives suos familiarius honorantur.*

34° Item homelia unde supra (fol. 84^{v}-86^{v}).

Inc. *Quia ad anniversarium ac sacrosanctam solemnitatem beatissimi patris Donatiani, fratres dilectissimi, religioso devotionis studio convenistis; opportunum esse arbitror, ut exhortatione nostri sermonis operum illius insignia cognoscatis, quatinus eis cognitis, immo ad memoriam reductis, imitabile aliquid capiatis de actione ejus sanctitatis.*

35° Miraculum quoddam de sancto Donatiano (fol. 86^{v}).

Edit. ex hoc cod. in *Act. SS.*, tom. cit., p. 513, num. 45.

36° Item aliud (fol. 86^{v}-87^{r}).

Edit. ibid., pp. 513, 514, numm. 46, 47.

37° Passio sancti Calixti papæ et martyris, quæ est pridie Idus Octobris (fol. 87^{r}-88^{v}).

Edita ibid., ad d. 14 Oct., tom. VI, p. 439-441.

38° Vita sancti Basoli confessoris, cujus festum est Idus Octobris (fol. 88^{v}-90^{r}).

Vita desumpta ex libro III *Historiæ ecclesiæ Remensis* auctore Flodoardo, edita in *Monum. Germ.*, Scr. tom. XIII, p. 449-451. — Sequentia discrimina inter editionem hanc et codicem nostrum notare visum est. Videlicet in codice,

Incipit Vita : *Temporibus Sygeberti Chilperici regum Franciæ fuit sanctus Domini Basolus.*

Post *comprehensa* (tom. cit., p. 450, lin. 19) add. : *Ejus autem celebrior festivitas, quia propter confluentiam populi famosior, celebratur idus octobris. Quo etiam die sanctissimum ejus corpus translatum est ab Hincmaro venerabili Remorum archiepiscopo. In eadem vero die ipsa etiam dedicatur ecclesia in honore Martini, Christi Domini confessoris, ac sanctissimi Basoli nostri per secula patroni specialis.*

Pro *Avunculus matris meæ Flawardus* (p. 450 lin. 43) cod. *quidam.*

Pro *dudum* (ibid., lin. 45) cod. *præterito anno.*

Ante *Quando* (p. 451 lin. 8) cod. *Anno Dominicæ incarnationis nongentesimo tricesimo octavo.*

Post *reversus est* (ibid., lin. 21) : *Sunt etiam et alia nonnulla quæ de beato viro visa vel audita referuntur, quæ occupato mihi ac diversis tumultibus presso diu loqui non licuit. Meritis namque ejus intervenientibus multa usque hodie clarescunt miracula ubi sacratissimum ipsius veneratur corpus. Et non tantum ibi, verum ubicumque in illius veneratione sanctæ habentur ecclesiæ multimoda pie quærentibus conceduntur vota, largiente Domini ac Salvatoris nostri potentia, cui est cum æterno Patre et sancto ac vivifico Spiritu honor et gloria et virtus et imperium ante omnia et in omnia secula seculorum. Amen.*

39° Vita sancti Mummolini, cujus festum est XVII° Kl. Novembris (fol. 90^{r}-92^{r}).

Edita in *Anal. Boll.*, tom. VI.

40° Vita sancti Galli confessoris, cujus festum est XVII° Kl. Novembris (fol. 92^{r}-98^{v}).

Concordat sæpissime etiam verbis cum Vita auctore Walafrido Strabo, edita apud Mabillonium, *Act. SS. O. S. B.*, Sec. II, p. 227 sqq. Sed in cod. tanta notavimus discrimina, ut de integro videatur edenda in *Anal. Boll.*

41° Laus sancti Galli abbatis in beatum Columbanum rithmice (fol. 98v).

Edit. infra in Appendice.

42° Sermo legendus in natali sancti Lucæ evangelistæ, cujus festivitas est xv° Kalendas Novembris (fol. 98v-99r).

Desumptus ex homiliis S. Gregorii M. in primos versus capitis I Ezechielis prophetæ.

43° Passio sancti Justi pueri et martyris, quæ est xv° Kl. Novembris (fol. 99r-100v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 18 Oct., tom. VIII, pp. 338, 339.

44° Vita sancti Amati episcopi et confessoris, cujus festivitas est xiiii° Kal. Novembris (fol. 100v-102v).

Compendium Vitæ prolixioris, de qua vide infra ad cod. 7482, 52°.

45° Vita sancti Ethbini confessoris, cujus festivitas est xiiii° Kal. Novembris (fol. 102v-103v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 19 Oct., tom. VIII, pp. 487, 488.

46° Passio sanctarum undecim millium virginum, quæ est xii° Kal. Novembris (fol. 103v-107v).

Edita ibid., ad d. 21 Oct., tom. IX, p. 157-163.

47° Vita sancti Severini episcopi, cujus festum est xi° Kl. Novembris (fol. 107v-110r).

Edita ibid., ope hujus cod., ad d. 23 Oct., tom. X, p. 56-59.

48° De translatione corporis sancti Severini Coloniensis archiepiscopi (fol. 110r-111r).

Item ibid., p. 61-63.

49° Passio sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani, quæ est octavo Kalendas Novembris (fol. 111r-112v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Oct., tom. XI, p. 535-537.

50° Passio sanctorum apostolorum Symonis et Judæ, quæ est v° Kl. Novembris (112v-116v).

Edita apud Fabricium, *Codex apocryphus Novi Testamenti*, p. 608-636, seu cap. vii-xxiii. — Sed in cod. multæ occurrunt lectiones variantes, et subjunctum est additamentum quod editum est supra (tom. I, p. 95, 18°) ex codice 140.

51° Vita Salvii episcopi et confessoris, cujus transitus celebratur v° Kal. Novembris (fol. 116v-118r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 11 Jan., tom. I, p. 704-706.

52° Vita beati Faronis episcopi Meldensis urbis, cujus festum est v° Kal. Novembris (fol. 118^{r}-122^{v}).

Edita apud Mabillon, *Act. SS. O. S. B.*, sec. II, p. 607-625. — Sed in cod. desiderantur numm. 17-70, 83-101, 105, 115 et 119 cum sqq. usque ad finem. Adjecta vero est (quæ non legitur apud Mabillon) historia conversionis Otcarii seu Ogerii, ut in *Act. SS.*, ad d. 28 Oct., tom. XII, p. 620-622, rursus tamen in cod. initio mutila et stylo diversa.

53° Passio sancti Quintini martyris, quæ est pridie Kl. Novembris (fol. 122^{v}-125^{r}).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 31 Oct., tom. XIII, p. 794-799, num. 1-18.

54° Textus miraculorum sancti Quintini martyris (fol. 125^{r}-131^{v}).

Edit. ex hoc cod. ibid., p. 801-814.

55° Descriptio inventionis corporis sancti Quintini gloriosissimi martyris in fundo aquæ ab Eusebia matrona (fol. 131^{v}-132^{v}).

Edita ibid., pp. 799, 800, num. 19-24.

56° De secunda inventione ejusdem martyris ab Eligio episcopo (fol. 132^{v}-133^{r}).

Scilicet caput VI Vitæ sancti Eligii auctore sancto Audoeno, editæ apud Migne, P. L., tom. LXXXVII, p. 515-517. Cfr. etiam *Act. SS.*, tom. cit., pp. 740, 741, num. 51-55.

57° Sermo in tumulatione sancti Quintini martyris sociorumque ejus (fol. 133^{r}-135^{v}).

Editus ex hoc cod. in *Act. SS.*, tom. cit., p. 816-819.

58° Sermo pro gratiarum actione in festivitate sancti Quintini martyris legendus (fol. 135^{v}-136^{v}).

Inc. *Inter omnia, dilectissimi, humanorum actuum studia nihil dignius agitur, quam si laudibus gratiarumque actionibus in Dei præconiis insistatur.*

Cfr. *Act. SS.*, tom. cit., p. 777, num. 164-166.

59° Sermo in octavis sancti Quintini gloriosissimi martyris Christi (fol. 136^{v}-137^{v}).

De hoc sermone vid. ibid., pp. 778, 779, num. 172.

60° Sermo in elevatione gloriosissimi martyris Christi Quintini (fol. 137^{v}-139^{r}).

Editus apud Hemeræum, *Augusta Viromanduorum vindicata et illustrata*, Regesti p. 24-26. Cfr. *Act. SS.*, tom. cit., pp. 750, 751, num. 86-88.

61° Vita vel passio sancti Foillani præsulis, quæ est Kal. Novembris (fol. 139r-142r).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 30 Oct., tom. XIII, p. 385-390.

62° Passio sancti Benigni presbyteri et martyris, quæ est Kl. Novembris (fol. 142r-143v).

Edita ope hujus cod. ibid., tom. I Nov., p. 160-162.

63° Passio sancti Cæsarii levitæ et martyris, quæ est Kalendas Novembris (fol. 143v-145r).

Edita ibid., p. 106-117.

64° Vita beati Maturini confessoris, cujus festum est Kl. Novembris (fol. 145r-148r).

Edita ibid., p. 250-255.

65° Vita sancti Vigoris episcopi et confessoris, cujus festivitas est Kalendas Novembris (fol. 148r-150r).

Edita ibid., p. 297-305.

66° Sermo quomodo vel a quo cœperit celebritas animarum (fol. 150r-150v).

Desumptus ex Vita S. Odilonis abbatis Cluniacensis edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Jan., tom. I, p. 71 sqq.; scilicet hujus Vitæ num. 22, hac addita clausula: *Qui ritus ad multas ecclesias transiens fidelium defunctorum memoriam solemnizari facit. Quisquis ergo fidelium defunctorum memoriam fecerit, easque per orationes et eleemosynas Domino nostro Jesu Christo commendaverit, accipiat partem cum illis, præstante hoc et adjuvante ipso qui resurgens a mortuis jam non moritur et mors ei ultra non dominabitur, qui mortuus est quidem propter peccata nostra et resurrexit propter justificationem nostram : ipsi laus, honor et gloria in secula seculorum. Amen.*

67° Passio sancti Eustachii sociorumque ejus, quæ est IIII° Nonas Novembris (fol. 150v-154r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 27 Sept., tom. VI, p. 123-135. — In codice desideratur prologus.

68° Vita sancti Huberti episcopi et confessoris, cujus celebritas est III° Nonas Novembris (fol. 154r-160v).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 3 Nov., tom. I.

69° [De translatione ejus] (fol. 161r-162r).

Edit. ibid.,

70° Passio innumerabilium martyrum, qui passi sunt III° Nonas Novembris (fol. 162r-163v).

Edita ibid.

71° Vita Adaleidæ nobilissimæ imperatricis (fol. 163^{v}-166^{v}).

Edita ope hujus cod. in *Monum. Germ.*, Scr. tom. IV, p. 637-645.

72° Versus Garini clerici [in laudem ejusdem] (fol. 166^{v}).

Editi ibid., p. 635.

73° Vita sancti Columbæ abbatis (fol. 167^{r}-169^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 9 Junii, tom. II, p. 185-189. — In cod. multæ occurrunt lectiones variantes.

Appendix ad cod. 7460.

DE S. DONATIANO ARCHIEPISCOPO REMENSI. (Cfr. supra, pag. 4, 23°.)

Post verbum æterna (*num. 39*) *pergit codex :*

Ad has quoque peragendas divini muneris partes, quasi quoddam commonitorium Dominus tibi tradidit conjugem sociam, domni Henrici regis germanam, sic nobilitatis titulis fulgidam, sic litterarum disciplinis imbutam, sic honestissimis morum dotibus adornatam, ut ceteras supereminens nurus videatur tota scientia virtutibusque composita. Quam exornat in eleemosynis largitas, in affabilitate benignitas, in conversatione humanitas, in abstinentia sobrietas, in vigiliis pernoctatio, in oratione devotio. Quidquid morum prudentiæ, doctrinæ et venustatis in muliebri sexu poterit inveniri, totum illi natura parens ministratione benigna concessit, præscia illam tibi tali tantoque viro fore dicandam, quo nobilior vel prudentior in humano genere vix queat aliquis inveniri. Numnne de egregiæ quoque sobolis successione reticeam, qua Dominus sic tuæ providit posteritati, ut habeas cui securus ea quæ possides possidenda relinquas, omni honestate præditam nobilissimam prolem, in qua jamjam non solum moribus et ingenio totus exprimeris, verum etiam prudentia et consilio quasi idem alter haberis? Quid de diversarum loquar affluentia divitiarum, divinæ providentiæ munere tibi datarum, quibus jure hereditario te Dominus sic voluit esse locupletatum, ut inter mortales hac in re non plurimos tibi pares invenias? Quid quod tellurem paulo ante minus cultilem, sic sollertiæ tuæ industria fertilem reddidisti, ut natura fertiliores fertilitate superet, patiensque culturæ agricolarum votis respondeat, ac opimo sinu pomorum sufficientiam frugumque profundens, diversorum proventu fructuum cultoribus suis arrideat, et ad præbendum pastum animalibus, pratis et pascuis affluenti fecunditate turgescat? Quid quod populis bacheia dona ignorantibus, per te Liberi illuxit notitia? Nunc nihil in regione tua usibus hominum deesse volens, ruricolas ad producenda vineta excoluisti, ut inter eos interdum spumet vindemia, inter

quos vini mentio nulla fuit. Quid de ceteris divitiis, auro videlicet et argento, palliis et lapidibus pretiosis et conchis? Hæc quidem et alia quæcumque sub sole nascentia, Balduine princeps, promptissime tibi feruntur, quacumque parte terrarum et maris tibi defluunt, et defluant utinam longo tempore et ferantur, dum nulli mortalium possit afferri te melius dispergere et possidere scienti. Propter...

Num. 40, post destructam : Et beati Remigii, qui nonus sancto Donatiano in archiepiscopatu successit, aliorumque sanctorum plurimorum partim propter ecclesiarum vastationem, propter hoc quod laici episcopatibus præsidebant, quam plurima deperisse miraculorum scripta. Quo etiam contigisse manifestum est ut apud posteros de nomine beati Remigii dubitatum sit, utrum Remedius an Remigius vocaretur? Nec * vero de ejusdem sancti viri nomine nobis ambiguitas esset exempta, nisi in quodam calice ab eo consecrato, per hos versus quos ipse composuerat, sui nominis certam nobis reliquisset notitiam :

* *cod.* Hec.

Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro,
Inflicto æternus quem fudit vulnere Christus.
Remigius reddit Domino sua vota sacerdos.

Sanctus quoque Joannes Chrysostomus ex propheticis monimentis multa perisse commemorat. Sed et multa alia scripta authentica in Scripturis nos legimus amisisse : ut est Liber Justorum, de quo in libris Regum legitur, et Liber Bellorum Domini, cujus in libro Numeri mentio est; Carmina quoque Salomonis et disputationes ejus sapientissimas de lignorum natura herbarumque omnium, itemque jumentorum, volucrum, reptilium et piscium et cetera quamplurima scripta, quæ in hoc brevi opere commemorare longum est. Inter ceteras...

ITEM DE EODEM. (Cfr. supra, pag. 5, 30°.)

Post verbum elucidare (*p. 501, num. 53*) *pergit codex :*

Suscipiat igitur, serenissime pater, munusculum nostrum paternitas vestra, perlegere illud non abnuat caritas vestra, confirmare dignetur, quæso, illud verax testimonium vestrum. Ipse autem mellifluæ pietatis pater de quo scribimus, gloriosis intercessionibus suis vos non desinat protegere, quatinus in bono proposito valeatis perseverare, perseverando proficere, proficiendo illa promereri gaudia, quibus omnis mundi gloria cum decore suo et ornatu comparata est quasi arena inutilis et exigua. Pro me quoque, dilectissime pater, supernam ne fatigemini exorare misericordiam, quatinus me virtus alma protegat, operari quod bonum est tribuat, contra hostiles tentationes defendat et in perpetua mentis ac corporis castitate custodiat. Deus autem dives in misericordia, cui omnia sunt possibilia, qui pia non respuit vota, vos sanum ac salvum custodiat, dono Spiritus sui ditet, ad superna cor vestrum dirigat, sanumque vos et incolumem, quod cunctis mundi præfero divitiis, ejus pietas infinita mihi videre conferat. Nullis enim debilitari potero adversis, dum vos sciam frui commodo sospitatis. Valete in Domino.

P. 504, ante num. 6 : Regis summi sempiternæ gloriæ,
In quo constat spes totius gratiæ,
Quem cum Christo atque sancto Flamine
Venerantur virtutes angelicæ,
Assit mihi supplicanti gratia,
Recte promam ut patroni merita.
Dei Mater singularis meriti,
Virgo, salus atque vita seculi,
Sis exoro favens huic operi.

DE SANCTO GALLO. (Cfr. supra, pag. 7, 41°.)

Laus sancti Galli abbatis in beatum Columbanum rithmice.

Clare Sacerdos, cluis almo fultus decore, tuis Columbane decus, qui redoles in orbe.

Monachorum cohortes te clarum dicunt patrem, te fortem proceres, te vatem dixere reges.

Annuunt decorata tuis factis præcepta, religionis forma præbet nitorem sacra.

Sic virtutum decus, miles Christi, in ævum comptus haberis, sacro pandens præcepta dictu.

Quid tibi his dignum æquatur in metallis, vel comparantur tuis seculorum gesta factis?

Non aureum caput Babylon aut Persarum argenteus Darius Medus habuit priscus, nec æneus Macedo olim signavit bello, vel sepultus Salonicola Cingrus.

Nil dignum vel simile horum tuis gessere factis vel gestis Smirnæus Homerus et Mantuanus Maro.

Non Pœnus Hanibal, non pernix Porus Indus, non Marius, Catulus, Scipio, Silla, Graccus.

Non ferreus Cæsar, Boccus Numida, Umber, Celtiberus, Scyta, Hyberus et Siccamber.

Fertilis ut cedrus, palmaque poma præbens Thesauliæ aurea.

Tu gratus ut obrizum, tu Sabæorum grata ut thurea oles virga, tu balsama sudas, virga ut Engadi secta.

Tu palmes opacus manes in vite vera, tu oleum pingue diffundis ut oliva.

Tu lenitate polles, benignitate clares, mystica rimando et tecta penetrando.

Ædificasti domum petram super insertam, quæ contra molem omnium rerum firma fuit condita.

Quam supra quis positus manet firmus in ævum.

Tu mortuus vivis, dum vitam morte emis; damna tu perdis, dum carnis damna sentis.

Æterno sociaris regi, dum reges temnis.

Paradisi amœna tu penetras, per ævaque pacis * læta virentia per rura. * *cod.* passcis.

Quem Dominus virtutum coronavit amator, sedibus æternis te collocavit suis.

Ibi canis jocunda carmina voce sacra.

Jam capis tu thesauros quos dudum recondidisti, commercio quos pio commutasti in seculo.

Choros angelorum cernis et prophetarum, martyrum candidatus catervis et justorum permixtus.

Luce fulva his clarus, duce Christo, receptus in castris.

Hoste sica perempto, Dominum invenisti quem hic Jesum quæsisti.

Qui trophæum de mundo sic reddit triumphanti.

Graderis per viam quam olim præparasti, quæ ducit ad æterna gaudia paradisi.

Tu mundum sprevisti ut Messiam haberes : cum quo manes per æva sine fine futura.

Gloria Trinitati semper canenda : virtus præsentia, præterita et omnia futura gubernans.

LXXXVIII. Codex signatus n° 7461.

Foliorum 206 : quæ quidem primitus nullis numeris notata erant; sed a Bollandianis non solum folia, verum et paginæ numeris suis signatæ sunt, ita tamen ut post paginam 199 rursus notatus sit numerus 100, et deinceps pergat series numerorum usque ad paginam 312. Qui igitur omnes uno centenario numero augendi sunt. Codex in museo Bollandiano signatus erat **P** 160. Quoad cetera, ei convenit descriptio codicis superioris 7460, etiam quod ad notas adjectas pertinet.

1° Vita sancti Winnoci confessoris, cujus festum est VIII° Idus Novembris (p. 1-9).

Edita apud Mabillon, *Act. SS. O. S. B.*, sec. III, part. I, p. 303-314. In cod. non reperitur *Genealogia S. Winnoci* edit. ibid., p. 302.

2° Liber miraculorum sancti Winnoci (p. 9-22).

Liber auctore Drogone, monacho Bergensi, editus ibid., p. 315-327. Sed quædam a Mabillonio omissa sunt; sic in cod. reperiuntur miracula, quorum titulos tantum exscripsit Mabillonius.

3° Vita sancti Leonardi confessoris, cujus festum est VIII° Idus Novembris (p. 22-29).

Edita apud *Arbellot, Vie de S. Léonard, solitaire en Limousin* (Paris, 1863), p. 277-289. — In cod. post Vitam leguntur miracula apud eumdem edita

p. 289-292 (§ 1-3), et miraculum ibid., gallice narratum, p. 56, cap. II, latine vero apud Surium ad d. 6 Novembris, cap. IX.

4° Vita sancti Willebrordi archiepiscopi et confessoris, cujus festivitas est VII° Idus Novembris (p. 29-39).

Vita auctore Alcuino, edita apud Mabillon, *Act. SS. O. S. B.*, Sec. III, part. I, p. 603-616. — In cod. prologus desideratur.

5° Passio sanctorum quatuor coronatorum, quæ est VI Idus Novembris (p. 39-44).

Edita apud Mombritium, tom. I.

6° Passio sancti Theodori martyris, quæ est V° Idus Novembris (p. 44-48).

Edita apud Mombritium, tom. II. — Sed in cod. occurrunt multæ variantes lectiones.

7° Passio sancti Mennæ martyris, quæ est III° Idus Novembris (p. 48-52).

Edita apud Mombritium, tom. I.

8° Vita sancti Cuniberti episcopi et confessoris, cujus festum est II° Idus Novembris (p. 52-55).

Editus apud Surium ad d. 12 Nov.

9° Passio sancti Livini episcopi et martyris, quæ est II° Idus Novembris (p. 55-67).

Passio auctore Bonifacio edita apud Migne, P. L., tom. LXXXVII, p. 327-344.

10° Vita sancti Brictii episcopi et confessoris, cujus festum est Idus Novembris (pp. 67, 68).

Edita apud Surium ad d. 13 Nov.

11° Passio sanctæ Maxelendis virginis et martyris, quæ est Idus Novembris (p. 68-76).

Passio stylo diversa ab ea quæ edita est in *Act. SS. Belgii*, tom. III, p. 580 sqq. — Vid. Append.

12° Vita sancti Machuti episcopi et confessoris, cujus festum est XVII° Kl. Decembris (p. 76-82).

Edita apud Mabillon, *Act. SS. O. S. B.*, sec. I, p. 217-221.

13° Vita sancti Aniani episcopi et confessoris, cujus festum est XV° Kl. Decembris (p. 82-86).

Edita apud. Theiner, *Saint-Aignan, ou le siège d'Orléans*, p. 27-33. — Post Vitam annectuntur ex sermone de Adventu S. Aniani ibid. edit. (p. 34 sqq.) num. 1-6.

14° Vita sancti Momboli abbatis, cujus festum est xiiii° Kl. Decembris (p. 86-90).

Edita in *Anal. Boll.*, tom. V.

15° Vita sancti Columbani abbatis, cujus celebritas est ix° Kl. Decembris (p. 90-134).

Sub hac rubrica veniunt in cod. : 1° Vita sancti Columbani auctore Jona, edita apud Migne, P. L., tom. LXXXVII, p. 1011-1046 ; 2° Vita sancti Attalæ, secundi abbatis Bobiensis, edita ibid., p. 1055-1062 ; 3° Vita sanctæ Burgundoforæ, abbatissæ Eboriacensis, edita ibid., p. 1069-1084 ; 4° Vita sancti Bertulfi, tertii abbatis Bobiensis, edita ibid., p. 1061-1070. — In cod. sub fin. plures occurrunt lectiones variantes.

16° Passio sanctæ Cæciliæ virginis et martyris, quæ est x° Kl. Decembris (p. 134-140).

Pars prior Passionis editæ apud Mombritium, tom. I.

17° Passio sanctorum Thyburtii, Valeriani et Maximi (p. 140-145).

Altera pars Passionis sanctæ Cæciliæ editæ apud Mombritium, tom. I.

18° Passio sancti Clementis papæ et martyris, quæ est ix° Kl. Decembris (p. 145-150).

Edita apud Mombritium, tom. I. — Sed in cod. multæ sunt variantes lectiones, ac omissus est prologus ille qui apud Mombritium præponitur narrationi prioris miraculi.

19° Vita sancti Trudonis confessoris, cujus festum est ix° Kl. Decembris (p. 150-161).

Vita auctore Donato, edita ope hujus cod. in *Act. SS. Belgii,* tom. V, p. 23-49. Cfr. p. 25, annot. *a*.

20° Passio sanctæ Caterinæ virginis et martyris, quæ est vii° Kl. Decembris (p. 161-183).

De hac Passione actum est in *Anal. Boll.,* tom. I, p. 502, 69°.

21° Passio sancti Petri episcopi Alexandriæ, quæ est septimo Kl. Decembris (p. 183-184).

Desumpta ex Martyrologio Adonis ad d. 25 Nov.

22° Vita sancti Maximi, Regensis episcopi, cujus festum est v° Kl. Decembris (p. 184-192).

Vita auctore Dinamio, edita apud Surium ad d. 27 Nov., sed stylo mutato ; et dein secundum Surianum textum apud Vincentium Barrali in *Chronologiá Sanctorum et aliorum virorum illustrium ac abbatum sacræ insulæ Lerinensis* (Lugduni 1613), p. 120 sqq.

23° Sermo in festivitate ejusdem (p. 192-196).

Sermo auctore Fausto, editus apud Surium ad d. 27 Nov.

24° Passio sancti Saturnini martyris, quæ est tertio Kal. Decembris (pp. 196, 197).

Desumpta ex Passione sancti Marcelli papæ, edita in *Act. SS.*, ad. d. 16 Jan., tom. II, p. 5 sqq.; scilicet ex num. 1-9, omissis iis quæ ad beatum martyrem Saturninum non pertinent.

25° Passio sancti Andreæ apostoli, quæ est II° Kal. Decembris (p. 197-101 *[perperam sic pro* 201]).

Epistola Ecclesiæ Achaiæ secundum lectionem editam apud Mombritium, tom. I. — Finis tamen convenit cum lectione Fabriciana *(Codex apocryphus Novi Testamenti,* parte II, pp. 514, 515).

26° Miracula sancti Andreæ apostoli (p. 101-118).

Lectio cod. cum ea convenit de qua actum in *Anal. Boll.*, tom. III, p. 186, 1°.

27° Vita sancti Eligii Noviomensis episcopi et confessoris, cujus festivitas est Kl. Decembris (p. 118-155).

Vita auctore sancto Audoeno, edita apud Migne, P. L., tom. LXXXVII, p. 480-592. — In cod. passim multa sunt omissa.

28° Passio sanctorum martyrum Crisanti et Dariæ, quæ est Kal. Decembris (p. 155-163).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Oct., tom. XI, p. 469-484). — Prologus in codice desideratur.

29° Vita sancti Nicholai archiepiscopi, cujus festum est VIII° Idus Decembris (p. 164-177).

Edita apud Carminium Falconium, p. 112 sqq. — In cod. pro num. XVIIbis et sqq. legitur alter num. XIV ibid. editus p. 126; deinde numm. XII et XIII referuntur ex lectione Mombritiana (Vid. *Anal. Boll.*, tom. III, p. 184, 33°).

30° Transitus ejusdem cum miraculis (p. 177-179).

Editus ibid., p. 122-124, scilicet numm. XVIIbis, XVIII.

31° Miracula ejusdem (p. 179-192).

Videlicet a) Miracula duo edita apud Carminium Falconium, tom. cit., pp. 124, scilicet numm. XIX, XX; b) miracula duo edita in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 151-156; c) miraculum editum supra, tom. I, pp. 315, 316, (num. 1); d) miraculum ut plurimum conveniens cum miraculo edito supra, tom. I, p. 257 sqq., in Append. tamen hic rursus statim edendum; e) duo miracula edita in *Anal. Boll.*, tom. IV, pp. 191, 192 (num. 43-45); f) miraculum de quo actum est ibid., tom. III, p. 184, 35°; g) miraculum edit. supra, tom. I, p. 257-261; h) miraculum editum apud Carminium Falconium, p. 124-126 (numm. XXI, XXII), addita clausula ibid. edita num. XV, p. 126.

32° Translatio corporis sancti Nicholai Mirreæ civitatis archiepiscopi, edita a Nicheforo sanctæ Barrensis ecclesiæ diacono (p. 192-214).

Edita in *Anal. Boll.*, tom. IV, p. 169-192. — Sed pro num. 43-45 leguntur in cod. miracula edita supra, tom. I, p. 323-326.

33° Vita sancti Nicetii Treverensis episcopi, edita a Gregorio Turonorum episcopo, cujus festum est Nonas Decembris (p. 214-219).

Edita apud Migne, P. L., tom. LXXI, p. 1077-1084. — In fine addita est altera pars cap. xciv libri *De gloria confessorum*, edit. ibid., p. 898; scilicet ab his verbis: *Nam ibi cunctorum catenæ franguntur.*

34° Passio sancti Sabini episcopi et martyris, quæ est vii° Idus Decembris (p. 219-222).

Edita apud Stephanum Baluzium, *Miscellanea* (ed. J. D. Mansi), tom. I, p. 12-14.

35° Vita sanctorum confessorum, Eucharii, Valerii et Materni, quorum festum est vi° Idus Decembris (p. 222-230).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Jan., tom. II, p. 918-922.

36° Passio sanctæ Leochadiæ virginis et martyris, quæ est v° Idus Decembris (pp. 230, 231).

Edita apud Florez, *España Sagrada*, tom. VI, p. 315-317.

37° Passio sanctæ Eulaliæ virginis et martyris, quæ est iiii° Idus Decembris (p. 231-233).

Edita supra, tom. I, p. 261-263. — Secundum lectionem codicis beata martyr nata erat annos sexdecim.

38° Passio sanctorum Fusciani, Victorici et Gentiani martyrum, quæ est iii° Idus Decembris (p. 233-238).

Edita apud Salmon, *Actes inédits des saints martyrs Fuscien, Victoric et Gentien* (Amiens, 1861), p. 15-35. — Cfr. etiam *Act. SS. Belgii*, tom. I, p. 166.

39° Vita sancti Walarici abbatis, cujus festivitas est ii° Idus Decembris (238-250).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Aprilis, tom. I, p. 16-23.

39° Vita sancti Judochi confessoris, cujus festivitas est Idus Decembris (p. 250-255).

Edita apud Mabillon, *Act. SS. O. S. B.*, Sec. II, p. 566-571.

40° Vita sancti Autberti Cameracensis episcopi, cujus festum est Idus Decembris (p. 255-271).

Vita auctore Fulberto, edita ex hoc cod. in *Act. SS. Belgii*, tom. III, p. 538-564.

41° Passio sanctæ Luciæ virginis et martyris, quæ est Idus Decembris (p. 272-274).

Edita apud Surium, ad d. 13 Decembris.

42° Passio sancti Nichasii episcopi et martyris, quæ est xix° Kl. Januarii (p. 274-281).

Eadem Passio cum ea quæ legitur in codice Leodiensi 58, 56°. Vid. *Anal. Boll.*, tom. V.

43° Vita sancti Folquini Tarvennensis episcopi, cujus festum est xix° Kl. Januarii (p. 281-287).

Vita auctore Folcuino abbate Laubiensi, edita apud Mabillon, *Act. SS. O. S. B.*, sec. IV, part. I, p. 624-629. — Inter finem num. 4 et initium num. 5 quædam in cod. leguntur quæ omisit editor. Vide Append.

44° Passio sanctæ Barbaræ virginis et martyris, quæ est xviii° Kl. Januarii (p. 287-290).

Edita apud Zaccaria, *Dissertationes latinæ*, tom. I, p. 137-143. — Sed in cod. occurrunt multæ lectiones variantes.

45° Passio sancti Thomæ apostoli, quæ est xii° Kl. Januarii (p. 290-300).

Edita apud Mombritium, tom. II.

46° Expositio officinarum aulæ regiæ (p. 300).

Edita supra, tom. I, pp. 252, 253. — Sed 5° pro *Zetas hoc est sedes hiemales*, cod. *Zetas hiemales hoc est sedes ;* 9° pro *variæ exercentur artes maxime*, cod. : *exercentur varietates et maxime in...*

47° Narratio domni Odilonis, Cluniacensis abbatis, de quodam miraculo sancti Thomæ apostoli (p. 300-301).

Quum in hac epistola referatur prodigium quod magnam similitudinem habet cum miraculo edito supra, tom. I, p. 132-134, ipsam in Append. edemus.

48° Passio sanctæ Victoriæ virginis et martyris, quæ est x° Kalendas Januarii (pp. 301, 302).

Desumpta ex Martyrologio Adonis ad d. 23 Dec.

49° Passio sanctæ Anastasiæ, quæ est viii° Kl. Januarii (p. 302-312).

Prior pars hujus Passionis legitur apud Mombritium, tom. I, in Passione sancti Chrysogoni, scilicet ab initio usque ad hæc verba : *Transivit ad Dominum* (p. 3, col. 2, lin. 16 a fin.); posterior vero in *Bibliotheca Casinensi* tom. II, Florilegii p. 179-184. — Inter utramque partem hæc in cod. leguntur : *Proficiscente igitur Diocletiano ad Macedoniam, omnes christiani qui in vinculis erant simul a custodibus ducti sunt. Inter quos erant simul Agape, Chyona et Hyrene. Igitur cum suggestum fuisset imperatori de his qui habebantur in claustris, jussit præsidem*

Dulcitium diversis tormentorum generibus agere universos qui sacrificare noluissent; eos autem qui consensissent, divitiis et honoribus sublimare constituit. Verum quia longum est multorum Dei martyrum gesta conscribere et quæ et quanta pertulerint pro Christi nomine, ad gloriosam passionem sanctæ Anastasiæ articulum revocemus.

Appendix ad cod. 7461.

DE SANCTA MAXELLENDE VIRG. ET MART. (Cfr. supra, pag. 14, 11°.)

Incipit prologus in passione sanctæ Maxelendis.

1. Multas esse delectationes in conservanda lege Dei et in considerandis operibus ejus, norunt quique fideles, ad hoc ipsum in sancta ecclesia pervigili mente vacantes. Delectat enim toto corde Deum exquirere, delectat laudes Dei corde et ore resonare. Psalmus quoque suaviter decantatus delectat auditum, fraterna vero blandaque ammonitio cujuslibet timentis Deum animum delectat. Unde et nos multis sacrarum Scripturarum divinæ auctoritatis tam veteris quam novi Testamenti documentis ammonemur, ut in via mandatorum Dei quam currimus, quantoscumque valemus, hos verbis exhortando, illos exemplis trahendo, consortes itineris nostri habere satagamus, ut qui jam vocem Dei audit, proximo suo dicat: *Veni.* Quotquot enim ad vitam monitis suis socios quis perducere contenderit, tot sine dubio a summo judice præmia se percipere gaudebit. Nam in hoc non solum sanctorum doctorum scriptis, sed etiam juxta prædicantis vocem Salvatoris, in hoc, inquam, summam salutis nostræ constare non dubitamus, si præmissa fide qua Deum diligimus, etiam circa proximum virtutem perfectæ dilectionis diligenter exequamur. Quod tunc recte agitur, cum non solum corpori fratris necessitatem patientis compatientes necessaria subministramus, verum etiam animæ ejus aliquo delicto languenti verba vitæ et consolationis adhibemus. Plus est animas in æternum victuras verbo salutis recreare, quam moriturorum corpora quibusdam alimentis relevare.

2. Qua de re ego commonitus, dum ad describendam vitam et passionem beatæ Maxelendis animum applicarem, hæc mihi præcipue causa extitit, ut et mentes audientium ad sectanda prædictæ virginis et servorum Dei vestigia devote provocarem, et reverentiæ ipsius virginis non deesset aliquid vel parum obsequii mei. Legat ergo, cui placuerit, noveritque me huic operi de meo sensu nihil apposuisse, sed secundum quod de his antiquitus scriptum repperi, ea quæ subjecto opere continentur, non ficte sed veraci stylo conscripsisse. **Explicit prologus.**

Aliud argumentum.

3. Cœlica multimodis quam curia concinit odis,
Nos nimis indignos reputamus ad illius hymnos.
Et tamen Omnipotens hominum non spernit honorem,
Cum pateat nostrum sibi nil conferre favorem.
Sed nobis crescit meritum laudando beatos,
Quos jam cœlesti cognovimus arce locatos.
In Maxelendis sic laude studere volentes,
Proficimus nobis ejus meritum recolentes.
Hæc comes est illis, duplici quæ sorte beatæ
Martyrii palmam decorant quoque virginitate.
Despiciens sponsum, cito quem novit moriturum,
Huic se devovit quem fine probat cariturum.
Se præcedentem gaudens comitetur ut Agnum,
Ut nimium tardum vocat in sua vota tyrannum.
Quod prius abstulerat, lumen restaurat iniquo,
Munera dans hosti, quæ deberentur amico.
Servat mandatum quod dilatatur in hostem :
Diligat ut naturam, cum tamen oderit hostem.

Incipit passio sanctæ Maxelendis virginis et martyris, quæ est Idus Novembris.

4. Dum inter mundanas hujus nostræ peregrinationis multiplicesque ærumnas, corruptibilis sarcina carnis admodum gravati consistamus, mortalis vitæ cursum sine admixtione peccati, ut sanctus apostolus ait, nequaquam transigere valemus. Sed tamen ad quotidiana nostræ salvationis incrementa hæc etiam divinæ consolationis collata sunt nobis beneficia, ut, sanctorum et sanctarum martyrum intercessionibus nos attentius commendantes, eorum suffragia adipisci nitamur ; quatinus precum nostrarum improbitate fatigati, accedentes Domino, dicant : *Dimitte eos, quia clamant post nos.* Quapropter dignam sacratissimæ virginis Maxelendis memoriam, ejusque insignem hodierna solemnitate recolendam passionem tam cordis quam corporis auribus percipientes, tantæ martyris diei festo celebri devotione rite congratulamur.

5. Primo itaque in laudem ipsius Redemptoris, qui eam sibi sponsam et electam vocavit, et cujus animæ speciem concupivit, os asperiamus, ejusque nomini cujus gratia talis ac tanta effici meruit, dare gloriam studeamus pro modulo nostræ possibilitatis. Divinæ namque virtutis operationem incommutabili providentia certa lege cuncta regentem et, ut fortia quæque dispereant, infirma mundi eligentem illa columba, illa formosa, cujus nardus odorem suum dedit in omni terra, illa sui sponsi morte redempta Ecclesia vere mirabilem in sanctis suis ex psalmistæ de die in diem collaudat ammonitione. Nam et eos digne mirificans,

gratuito munere eis præstitit per martyrii victoriam de hoste humani generis mirabiliter triumphare. In qua re ejus magnificentia et virtus eo magis admiranda et prædicanda monstratur, quod non solum viris, id est sanctis apostolis, martyribus vel confessoribus, verum etiam in sexu fragili, teneris feminis et virginibus, virtutem et fortitudinem tantam contulerit, ut quanto illata a perfidis graviora pœnarum genera perpessæ sint, tanto, non solum invicte verum etiam vultu et animo alacri tormenta deridentes, ipsis devictis, christianæ fidei persecutoribus plus confusionis et horroris intulerint. Ex quarum numero vel consortio beatam hanc, cujus hodie natalitia celebramus, quasi inventam novissimis temporibus pretiosam margaritam, ad medium proferimus, et quomodo ab ineunte ætate satis Deo devota, prius quidem a carnalibus desideriis mortua in mente, postea pro Domino mori voluerit in corpore, sermone licet impari dignitati ejus, pandere conamur.

6. Igitur quo tempore beatus Vindicianus, a sancto Vedasto octavus, Cameracensis seu Atrebatensis ecclesiæ sedi præsidebat, hæc sancta in Cameracensi provincia inclitis admodum parentibus, tam nobilitate generis quam religiosæ vitæ meritis, prout secularia negotia permittebant, pollentibus, patre quidem Hunlino, matre vero Amaltrude feliciter progenita, felicius exinde perenni fonte sacri baptismatis renata, nomen adepta est Maxelendis.

7. Quæ cum diligenti cura parentum ac solertiore nutricum seu ancillarum provisione educata, ab infantia in provectiorem adolescentiæ transisset ætatem, non illico, ut assolet illa facilis ætas puellarum, vanis earum conventiculis vel colloquiis immisceri nec lubricis moribus secularium feminarum voluit implicari: sed totis præcordiorum medullis timori Domini mancipata, quantum juventus ipsa patiebatur, evangelica præcepta in secreto pectoris amplectebatur. De cujus probabilis vitæ exercitatione, inter cetera virtutum merita, hoc humilitatis insigne gerebat quod studio vel fluxu pretiosarum vestium nullomodo vacare volebat. A quarum appetitu pastor Ecclesiæ in epistola sua mulieres compescere curavit: ornantes se, inquiens, non in tortis crinibus et auro vel margaritis vel veste pretiosa. Cetera vero mulierum ornamenta, scilicet torques in collo, monilia in pectore vel discriminalia et pallia sive alia multiplicia quibus ornatæ vel superbientes filiæ Syon extento collo incedebant, illa omnino velut nihilum respuebat, quia illam majorem pulchritudinem cordis sui ambiebat, ut ei cui se devoverat per omnia placere posset.

8. Porro quod nullum dominium in domo paterna supra familiam exercuerit, quod eleemosynas pauperibus benigna largaque manu disperserit, quod crebris orationibus et jejuniis ceterisve bonarum virtutum exercitiis decenter vacaverit, non necesse est verbis vel scriptis multa prosequi : cum cunctis recte sapientibus liquido constet jam Spiritum sanctum cor mundum in ea creasse et Dei sapientiam animam ejus sedem sibi misericorditer effecisse, quam postmodum sic in fine gloria martyrii voluerit decorare.

9. His supradictis et aliis quampluribus piæ actionis incrementis sacra virgine ad laudem conditoris sui viriliter insistente, ad hæc serpens invidus, qui

quamlibet virtutem in initio, vel si non possit, in medio, aut tandem insidians calcaneo, id est in fine, conatur obruere, multa contra propositum virginis de conservanda castitate argumenta nequitiæ prætendens, quorumdam animos in ejus concupiscentiam molitur accendere.

10. Nam cum longius in tota vicinia vel etiam in remotis partibus tam illustris puellæ fama percrebresceret, tunc plures, tam dignitate generis quam rerum opibus præpotentes, eam sibi sponsam concedi a patre summopere postulabant, et tale conjugium adipisci certatim insistebant. Ille vero, quia filiæ hæc molesta fore credebat, quærentium repetitiones per singulos dies differebat. Inter quos miles quidam diri nominis, Harduinus, quanto valentior ceteris, tanto magis fiducialius in assequendo quod affectabat, apud Hunlinum promissis et precibus instabat. Nec prius a cœptis destitit quam quod petebat impetravit; et sic, statuta die sponsaliorum, gaudens abscessit. His ita ignorante puella patratis, post dies aliquot parentes eam alloquentes obnixe sciscitari cœperunt, si tali marito copulari vellet cui eam desponsare parabant. Dein suasoria colloquia miscentes, multa ei proponunt, formam viri egregiam, honoris, potentiæ, divitiarum aliarumque rerum opulentiam, asserentes etiam utrumque eam posse salubriter implere : scilicet et caste conjugio vacare, et famulatui Dei apte deservire; sicut ab initio, antiqua ætate, mulieres sanctæ et conjugatæ Deo probantur placuisse.

11. Ad hæc virgo in cujus animo jam hæc et terrena cuncta viluerant, responsionis suæ accipit inducias, ut, in crastinum responsura satisque super his quæ audierat anxia, eo noctis spatio meditationi simul et orationi insistens, subventionem sibi a Domino imploraret. Cujus deprecatio hæc specialis erat, ne unquam ille cui se totam devoverat, castitatem suam corrumpi pateretur, sed magis virtutem in corde, et sermonem rectum et bene sonantem in os ejus immitteret, quatinus præmunita * consilio geminæ protectionis et insurgentes in se viriliter revinceret et arcem virginitatis inconcussam valeret obtinere.

* *cod.* præmunitam.

12. Postquam ergo hujusmodi precibus et vigiliis noctem illam pene insomnem ducens, clauso ostio cubiculi sui, Patrem suum diutius oravit, postremo evangelica sententia, *Qui amat patrem suum aut matrem plus quam me non est me dignus*, et item, *Omnis qui reliquerit domum aut patrem aut matrem*, aliisque Dominici sermonis oraculis roborata, sed et angelica, ut fertur, visione exhilarata, competens a Deo suo in tribulatione sua meruit percipere solatium.

13. Ut vero dies terris est redditus, diluculo parentes petit. Coram astans, initium loquendi ab eis sustinebat. Tandem pater : *Hora est*, inquit, *o filia, qua te nobis responsuram spopondisti. Quid ergo de sermone nostro tecum tractaveris, audire solliciti desideramus.* Tunc illa nihil hæsitans, quia " Justus ut leo confidit, „ eis aliter opinantibus, occulta cordis sui his verbis pandere cœpit : *Dignum quidem est, Carissimi progenitores, et me et omnes legis Dei sequaces parentibus suis obeditionem et debiti honoris exhibere subjectionem. Sed, si ipsi forte aliquid sinistrum viæ Dei aliquando persuadere voluerint, nequaquam eis in hoc, sed multo magis vero regi, patri spirituum, incunctanter est obtemperandum. Quapropter, quia consilia vestra longe a salute mea distare perpendo, certius noveritis, me*

nullatenus facturam quod hortamini, quia ab infantia mea virginitatis meæ munus Deo consecravi, et nuptiarum copulæ vel terrenis illecebris corpus meum implicari nullo modo, sed, sicut jam olim devoveram uni viro, Deo sponso, virginem et castam exhibere disposui. Quæ cum ita sint, tu o pater, proinde cavere debueras, ne de me ulli hominum aliquam pactionem, me nescia, faceres : præsertim cum in ea ætate jam profecerim, ut quod mihi sit inutile amodo discernere possim. Sic effata virgo addidit etiam hæc : *Quod autem utrumque me, conjugio scilicet et mandatis Dei, deservire opposuistis, absit a me ut quidquam tale agam, cum nimis absurdum possit videri, si amori prioris sponsi Redemptoris mei aliquem mortalem homuncionem, quamvis potentem, superinducam. Ut ergo finem sermonis pariter audiatis, pro certo noveritis : quod a justo proposito et sancto mandato, me gratia Dei juvante, numquam deviabo : sed ancilla Christi castimoniæ dedita usque in finem perseverabo.*

14. Hæc dicens sancta virgo Dei puella nec quod licebat appetivit, nec quod cogebatur consensit; sed parentum suorum contrarios conatus superavit. Iratus est pater, fortassis ploravit mater : non curavit illa, cui ante oculos versabatur " Speciosus forma præ filiis hominum. " Talia invicem eis prosequentibus, immo disceptantibus, non sine aliqua perturbatione discessum est.

15. Jamque dies aderat, quam de desponsanda virgine patrem ejus et Harduinum supra dictum est constituisse. Qui supra modum ambiens connubio puellæ perfrui, collecta affinium suorum et amicorum ingenti caterva, ad locum statutum devenire festinat. At vero Hunlinus multis interim circumseptus angustiis, quod scilicet hinc filiam suam cuncta quæ ei de nuptiis hortabantur, obstinatius respuentem videbat, illinc formidans non in prosperum sibi cedere si reus mendacii et contemptor potentissimi viri iram ejus incurreret, assumptam virginem, nimis reluctantem magis quam si traheretur ad carcerem, ad præfatum locum secum deducit. Ubi cum de more ea quæ hujusmodi desponsationi conveniunt agerentur, quid virgo renitendo fecerit quidve contradicendo dixerit haud facile est verbis exprimere. Jam enim sui quodammodo præsaga martyrii, in hæc verba coram cunctis intrepida voce prorupit : *Video,* inquit, *et satis ammiror vos omnes qui adversus puellulam unam convenistis, laborem cassum assumere et inania tractare consilia ac superflua miscere colloquia, nullum prorsus umquam effectum habitura, sed fortassis in perniciem alicujus nocitura. Certissime enim quod agere nitimini, quasi inane reputandum est : quod me nolentem et invitam tali marito tradere laboratis, qui, etiam si imminentem cervici meæ minaci dextera gladium amputando capiti imposuerit, gratia ejus protegente cui sponso me tota devotione commisi, numquam me uxorem habebit.*

16. Hac oratione habita, tamen desponsata virgine conventus ille solvitur et ad propria quique revertuntur. Ex his elapsa virgo et de laqueo venantium erepta ad domum paternam regreditur; multoque amplius quam solita erat, operibus sanctis jam in palam insistere cœpit. Et sicut electa grana seminum vel quælibet quando teruntur aromata, ex contritione majorem de se fragrantiam * emittunt, sic ipsa quanto graviorem persecutorum castitatis suæ pressuram tolerabat, tanto

* *cod.* fraglantiam.

magis magisque augere studuit vires animi virtutum incrementis. Et ut evangelico parumper uti liceat exemplo, salva reverentia sororum Deo dilectarum quæ corpori Christi specialiter ministrare meruerunt, hæc in jejuniis, vigiliis, obsecrationibus et carnis maceratione cum Maria secus pedes Domini residens contemplativa quiete verba oris ejus audiebat; in eleemosynis vero, in pauperibus recreandis, in visitandis infirmis ceterisque misericordiæ operibus cum Martha activa sollicitudine frequens Christi ministerium exercere satagebat, tanto utique ardentius quanto se in proximo triumphum martyrii adepturam divina inspiratione sentiebat.

17. Cum autem misericors Deus labores ejus et certamina finiri et eam in domo Patris sui per coronam passionis mansione perpetua disponeret sublimari, contigit progenitores ejus, a quodam amicorum suorum, ut moris est secularium, invitatos, ad paratum certa die convivium cum familia sua perrexisse, et eam solam cum sola nutrice domi remansisse. Quid vero causæ extiterit quod vocata cum parentibus non abierit, patet ratio: ne scilicet mors, quæ secus delectationem posita est, per fenestras simplicis columbæ, id est oculos virginis, intraret. Noverat enim in talibus conviviorum conventibus multa inhonesta et turpia motibus corporum et lusibus actitari, et lasciva histrionum cantica atque nociva versari colloquia, quibus non tantum mores bonos, sed et quinque sensuum corporis diligentiam corrumpi perfacile est. Quin etiam meminerat temulentos convivas non solum multa criminalia, sed etiam effusionem sanguinis sæpius perpetrasse, et crudelem feram, puellam male saltantem, sceleratum adulteri regis convivium justo sanguini miscuisse. Hæc secum virgo retractans et ut profana devitans, in tecto suo solitaria residebat et in cubili suo quæ Dei sunt meditabatur.

18. Quo Harduinus comperto, gavisus admodum se tempus invenisse explendæ cupiditatis suæ opportunum, assumptis satellitibus multis, eo pervolat: haud aliter quam si lupina voracitas ad rapiendam ovem hianti ore discurrat. At illa cui de conservanda castimonia tota mentis fervebat intentio et ad Deum, ut eam de manibus quærentium eriperet, jugis dirigebatur oratio, ubi turbam advenientium proximare præsensit, illico gravi oppressa formidine, ut puellaris habebat imbecillitas, quid agat, quo se vertat, quemve tutiorem latendi locum inveniat, per diversa domus latibula divertens sibi subveniri de cœlo corde satis anxio suspirabat. Hinc ad nutricem: *Absconde me*, inquit, *in loculo quem alicubi secretiorem esse nosti, ubi nequaquam a requirentibus inveniri possim, et obseratis ostiis egrediens adventantibus obviam procede, dicens me prorsus abesse et cum parentibus meis abisse.* Talia dicentem nemo forte recogitet hanc trepidationem et sedulam absconsionem timore mortis eam peregisse, cujus jam mens conscia citius perferendæ passionis, sed ne pudicitiæ suæ Deo * devotæ jacturam per incestam maligni persuasoris pateretur violentiam. Sed quare hoc? Cum, si spiritus non consentiat nec caro delectetur, virginitatis claustra per illatam vim nullomodo possint * violari nec corporis integritas invita mente queat devirginari. Paruit nutrix velocius verbis dominæ præcipientis, et eam in remota recondens arca, ne facile posset deprehendi, multis vestibus operuit. Ac sic egressa, furenti turbæ inania excusationis verba prætendebat.

* *add. ex conj.*

* *cod.* possunt.

19. Illi vero, nihil tale curantes, circumvallatam domum, ne quem evadendi locum virgo repperiat, cum impetu multo irruunt, et cuncta domus loca lustrantes evertunt; et diu quæsitam minime reppererunt. Jam, frustrata inquisitione deficientes, abscedere parabant, cum unus eorum, socios revocans : *Si*, inquit, *arcam hanc aperuissetis, forsitan quam hac illacque discurrentes quæsivimus, intus latitantem invenissetis.* His auditis, resiliunt omnes, et aperta arca virginem mœrentem lætantes extrahunt, eamque secum deportantes, et quasi capta præda exultantes, maximeque dux eorum optata virginis inventione vehementer exhilaratus, perveniunt ad locum nomine Chaldericum, ubi nunc in honore omnium sanctorum et sancti Vedasti, quem Cameracensis seu Atrebatensis provinciæ prædicatorem et rectorem legimus primum fuisse, sed et in veneratione ejusdem virginis ecclesia constructa habetur. Porro præfatus Harduinus ut sibi consentiret sollicitus, cum tristem eam blanditiis delinire, nunc procacibus minis deterrere niteretur, illa intrepida, utpote Spiritu Dei roborata, memoria dignum tale ei dedit responsum : *Frustra*, inquit, *o persuasor mali, frustra venenosa verba prætendis, nec te nec minas tuas curanti. Quin, nullo modo cursum laboris mei præpedire valebis, quin reddam Altissimo vota meæ castitatis. Cujus inter alia hæc sanctæ exhortationis et piæ consolationis verba sunt, ut nequaquam sequaces viæ mandatorum ejus tuam et tibi similium rabiem pertimescant, qui quidem corpus perimere, sed nullum animæ metum mortis potestis inferre. Ego igitur, ipsius Dei mei animata doctrinis et confisa promissis, bona ejus credo me visuram in patria cœlesti, consortia sanctarum virginum ipsius gratia cum pleno gaudio percepturam.*

20. His dictis protinus se de sorte pessimorum extorquere volens, e manibus tenentium viriliter elabitur. Sed Harduinus cernens, furiis et commoto felle malitiæ suæ succensus, eam insequitur, et frendens exempto gladio percussam interemit*. Et sic victrix anima, carnis vinculis soluta, cum palma martyrii, quam semper optaverat, perpetuam cœlestis regni adepta est mansionem. Verum corpus sacræ virginis quanti esset meriti et quam pretiosa ejus mors esset in conspectu Domini, monstrare etiam in terris clementissimæ placuit divinitati. Nam ubi profluentem de vulnere morientis corporis funestus homicida cruorem perspexit, statim amisso lumine repentina percussus est cæcitate, ut justo judicio exterioribus damnaretur tenebris, qui voluntarie tenebras interiores patiebatur malignæ mentis. Tunc omnes illi qui ei comitabantur, viso tanto miraculo perterriti, quaqua poterant diffugio disperguntur. Et ne quid simile vel deterius eis contingeret, ex præsenti vindicta Dei pertimescentes, relicto duce suo quantocius ad sua quique non sine confusione repedarunt.

* *sic.*

21. Post hæc statim diffusa circumquaque facti hujus fama, audientes beatæ Maxelendis parentes, tali eam passionis genere præsentem vitam finisse, adjuncta propinquorum caterva, cum mœrore et affectu lugubri eo properantes, simulque turba provinciarum utriusque sexus novitate rumoris excitati, undique catervatim irruentes, debito honore exequias parant, funebria complent obsequia. Plures etiam sacerdotalis seu clericalis ordinis cum illuc devote convenissent, corpus feretro compositum detulerunt, cum hymnis atque psalmorum melodia, in basili-

cam beatorum apostolorum sive sancti Supplicii confessoris, quæ est constructa in proxima villa, quæ Pomeriolas vocatur. Ibi debitis celebratis missarum officiis, sepelierunt eam honorifice in basilica eadem.

22. Cum autem humatum ibi corpus jam triennio quievisset, divina pietas, ne talis thesaurus in agro absconditus lateret diutius, et ut mentes suorum imitatione sacræ virginis magis ac magis erigeret robore bonæ operationis, eam quam apud superos jam cœlesti gloria sublimarat, etiam apud homines gratia sua hoc modo clarificare curavit.

23. Erat in supradicto loco degens quædam mulier, Amaltrudis nomine, quæ, longe ante defuncto marito, propter æternitatis et regni futuri expectationem religiosa pollebat viduitate; et ab ipsa ecclesia, quam propriis sumptibus in honore sanctorum apostolorum Petri et Pauli et sancti Supplicii confessoris ædificaverat, vigiliis et orationibus assidue vacans, non nisi ad breve discedebat. Hæc cum aliquando, talibus intenta meditationibus, plus solito, ut sæpe evenit, pernoctaret, et completa pensione debitæ servitutis, parum fessa membra quieti dedisset, voce lapsa de summis divinitus ammonetur ut, Cameracensem episcopum, sanctum Vindicianum, adiens, suggerendo fiducialiter eum ammoneat, quatinus sibi cœlitus emissum non cunctetur nec differat complere mandatum. Hoc enim noverit sine dubio placere Deo, ut beatæ virginis corpus e terra levatum ad locum interfectionis ejus referat, quia ibi signis et prodigiis Dominus virtutum, qui et rex gloriæ, clarificare eam disponebat.

24. Hac tam præclara visione ancilla Christi valde clarificata, cœlesti oraculo ocius parere festinat. Pontificem sanctum nil morata petit et revelata sibi ex ordine pandit. Ille vero fidelis feminæ narrationi attente aurem accommodans, et de tam veracis nuntiæ verbis nihil hæsitans, certa die assumptis secum pluribus sacri ordinis ministris, ut pontificali congruebat dignitati, accitis quoque non paucis, quos circumquaque religiosæ noverat vitæ viris, concurrente etiam grandi utriusque sexus multitudine, quæ fama volante commota ad spectaculum tanti negotii undique certatim confluebat, ad sepulcrum virginis properavit. Quo cum perventum esset, præmissa quidem jejunii devotione et circumfluæ plebis supplicatione omnipotentis Dei gratiam, ut præsenti ministerio pie faveret, fideliter exorante, cúm metu et reverentia levatum e tumulo corpus sanctum et in feretro ad hoc decenter præparato compositum, cum ingenti cordis et vocis lætitia, cum hymnorum et psalmorum modulatione, præeuntibus et sequentibus turbis laudes resonantibus, ad locum Caldericum, quo virgo pertulerat martyrium, congruo honore deportaverunt.

25. Audierat perendie, fama mobili præcurrente, hanc virginis fore elevationem miseram agens vitam Harduinus, quem ob necem sanctæ martyris vindicta Dei cæcitate corporali damnatum supra scriptum est, et, salubri usus consilio, assumpto duce itineris, festinus occurrit; et ferentibus feretrum obvius projectusque humi, clamans et reatum suum corde recognoscens, et lacrimabiliter implorans ut, intercessione gloriosæ Maxelendis, mereretur consequi veniam delictorum, credens etiam et confitens reddi sibi ipsius merito lumen oculorum, ac sicut mentis

ita etiam corporis sibi restitui sanitatem. Affuit auris divinæ exauditionis desiderio pauperis, suffragia sanctæ virginis tam humiliter implorantis, et ut magis ac magis opinio ipsius sanctæ claresceret in terris, ejus meritis jam triennio amissum interemptori lumen oculorum restituit. Viso tanto miraculo et præsenti cognita Dei virtute, omnis plebs consurgit in laudibus; et nulli tantam copiam verbi inesse credimus ad enarrandum quanta ab ore omnium gaudia resonaverint misericordi Deo grates devote referentium, tot et tantis signis famulam suam mirificanti.

26. Interim Harduinus tanto munere donatus, et supra quam credi possit, ut decebat, corde lætificatus, post immensas quas intimo affectu sanctæ virgini fundebat gratias, ad pedes episcopi sancti provolvitur, et cuncta quæ sibi de amissione luminis et de interemptione contigerant coram omnibus retexit. Tunc videns episcopus satis opportunum esse astantem plebis multitudinem suo exhortari sermone, tandem vix indicto silentio, pauco pro tempore sic dicere cœpit : *Ecce*, ait, *fratres carissimi, ecce, perspicuum noscere potestis quia quod de hujus sacri corporis translatione agimus, totum divina benignitate dispositum esse incunctanter credere debeamus, cui cuncta disponenti et sanctæ martyris venerationem præsenti miraculo sublimiter decorare et hunc fidelis populi conventum salutiferæ devotionis gaudio ita placuerit lætificare. Quapropter vos omnes quibus Dei gratia donatum est hujus specialis obsequii et condignæ laudationis interesse consortio, oportet maxime ut auctorem tanti beneficii in lætitia cordis vestri, pleno mentis affectu et vocis ministerio magnificare devote studeatis, et huic margaritæ jam in cœlestis regis ornamento positæ, scilicet beatæ Maxelendi, ad cujus hodie implenda servitia convenistis, vos et omnia vestra attentius commendare non negligatis; cujus suffragiis supernis civibus, inter quos ipsa emicat, posita carnis corruptione admisceri valeatis.*

27. Finita episcopi oratione et data plebi benedictione, inde progressi, jubilantes Deo in voce exultationis, pervenerunt in prædictam Chalderici basilicam, jam antea in honore sancti Vedasti, quin etiam et ipsius sanctæ martyris ut supradictum est ædificatam, ibique sacro corpore a præsule reverenter collocato, Missarum quoque solemniis devotissime celebratis, et omnibus rite peractis, collecta plebis dimissa est. Pontifex... *(Sequentia edita sunt ex hoc cod. in* Act. SS. Belgii, *tom. III, pp. 588, 589, annot.* h, i, k, *addito num. 19 (ibid., p. 587).*

MIRACULUM SANCTI NICOLAI, EPISC. MYRENSIS. (Cfr. supra, pag. 16, 31°.)

Fuit in partibus Italiæ vir quidam, qui sanctum Nicolaum venerabatur summa devotione et diligebat summa veneratione. Vir iste infra curiam juxta palatium suum ecclesiam sancti Nicolai ædificaverat, quam devotus frequentabat, et frequentans Deo et sancto Nicolao assiduus serviebat. Accidit autem ut insidiantes piratæ furarentur unicum filium hujus viri, atque ad transmarinas et peregrinas transferentes partes, venderent mercatoribus Constantinopolitanis. Crevit puer et diversis succedentibus dominis, tandem ipsi venditur

Constantinopolitano imperatori. Qui vultu elegantem et bonæ indolis adolescentem, et officiosissime obedientem, bene habuit, atque in suo palatio primum pincernam constituit. Interea pater orbatus dolebat et ejulabat, et sanctum Nicolaum flebilibus vocibus accusabat, et filium quem amiserat eidem confessori imputabat et improperabat. Solemnitates tamen beati Nicolai per annos singulos festiva devotione celebrabat, atque ob sancti confessoris dilectionem egenis multa dividebat et erogabat. Quodam autem anno, peractis solemnitatibus, mœrens pater solus in ecclesia remansit, et juxta consuetudinem suam sanctum Nicolaum ob mortem filii sui accusare et exprobrare cœpit. Eadem hora filius ejus Constantinopoli ante imperatorem stabat, et imperatoris scyphum pretiosissimum tenebat, et pater in Italia præfatis querimoniis orabat, et orans sanctum Nicolaum accusabat. Tunc beatus Nicolaus amplius non ferens tristitiam et mœrorem servi sui, adolescentem occulta vi accepit et portavit, atque uno momento sic ante orantem patrem in Italia constituit, quomodo astabat et serviebat in Græcia Constantinopolitano imperatori. Stupent ambo, sed magis filius, qui pro palatio ecclesiam et pro imperatore videbat jacentem et orantem senem. Tandem senex : *Responde mihi, adolescens : hujus ecclesiæ januis clausis quomodo intrasti? Quis sis? Unde venis? Quid requirat iste scyphus, quem portas in manibus tuis?* Stupens jacebat adolescens et, arbitrans se dormire et phantastice ista cernere, penitus ignorabat quid stupenti et interroganti posset ac deberet respondere. Vir instabat et cunctantem adolescentem continuis interrogationibus perurgebat. *Ego,* inquit adolescens, *quid tibi dicam nescio? At tu indica mihi ubi sit Constantinopolitanum palatium, ubi modo consistens Constantinopolitano imperatori serviebam.* Miratur homo; et adolescentem diligentius intuens et paulatim quædam vestigia amissi filii in adolescente recognoscens, instabat et orabat, et causam ex ordine confiteri adolescentem compellebat. Tunc puer captivitatem suam et captivitatis laborem seriatim exposuit, et qualiter demum ipsi Constantinopolitano serviret imperatori, indicavit. Audit senex et lætatur, et in amplexus recepti filii ruens insatiabiliter eam osculabatur. *Tu,* inquit, *frater, ne formides, ne stupeas. Meus es filius, quem dominus meus, confessor Nicolaus a morte custodivit et lamentis mei desiderii condescendens reportavit.* Dein fit gaudium quale exigebat præsens tempus; atque in momentaneo, sancti confessoris auxilio, in æternam lætitiam dolentis senis conversus est luctus longus et continuus. Sunt multa præsentibus æqualia aut etiam majora sancti Nicolai miracula, quibus in ejus laude pæne universus exultat mundus et in ejus veneratione universi populi accenduntur.

DE SANCTO FOLQUINO EPISCOPO. (Cfr. supra, pag. 18, 43°.)

Ut notatum est, sequentia omittuntur apud Mabillon :

Agnita autem pœna, concessa sunt et remediorum cataplasmata quibus purgarentur male vitiatæ mentis colluvia. Ergo gratis eis gratiam fidei prærogavit, ut in fide ambulantes mererentur et gratiam et pro gratia, præmium scilicet prioris

gratiæ quæ est fides, immortalitatem et vitam æternam : et hoc etiam quodammodo esset debitum, non quia homo meruit, sed quia Deus voluit. Ineffabili igitur providentia bonitatis Dei collatum est electis ejus, ut et copiosis gratiæ muneribus gratis ditentur, et hoc ipsum quo munerantur quodammodo per gratiam mereantur, “ alius sic, alius vero sic, unusquisque secundum quod in eo operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. „ Soli Unigenito non ad mensuram dat Spiritum. *In ipso* namque, ait apostolus, *habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Membris ejus pro sua cuique voluntate partitur, non omnia singulis, sed eadem utilia omnibus, maxima grandioribus et leviora dans minoribus, ut sit Deus omnia in omnibus. Unde mater nostra Ecclesia quosdam quidem habet prophetas, quosdam apostolos, quosdam evangelistas, alios vero pastores et doctores. Inter quos quidam fuere, qui exordia suæ nascentis infantiæ, ut competebat rudimentis novellæ fidei, miraculis oblectarentur, quorum tunc copia erat pernecessaria, videlicet ut miraculorum exhibitio promissorum esset certitudo, et nova facerent qui nova prædicarent. Laudabiles prorsus qui eam fide et miraculis plantaverunt, nec minus qui moribus, exemplis et prædicatione excoluerunt. Nec nostra culpanda sunt tempora, quasi non Deo placita, eo quod sint miraculorum inexperta, cum non ea pro magno sancti affectent, magis in hoc glorientur quod sint quibus per se fides in Deum sola sufficiat, spes meritorum vel animet vel deterreat, caritatis dualitas oblectetur et pascat. Nec hujusmodi signis magnopere studere servos suos Dominus voluit ; sed et quibusdam, quasi non recte gloriantibus quod dæmonia illis in nomine ejus subjicerentur : *Nolite*, ait, *in hoc gaudere ; gaudete potius quod nomina vestra scripta sunt in cælis*. Hæc pro compendio dicta sint, ut ostenderemus donum quod quisque habet, non a se, sed a Deo esse, nec sibi debitum, sed a Deo gratis prærogatum : nec magis approbandos esse qui miracula faciunt, quam qui virtutibus enitescunt. Denique et magi in Ægypto multa operati sunt ; Judam quoque cum ceteris apostolis signa fecisse invenimus. Porro vere mirabilis Deus noster in omnibus, qui distributionem gratiarum ita moderatur, ut nec mortalibus captura difficilis, nec intentio possidentium sit confusa divortiis, sed diversitas omnis donorum ad unum beatitudinis tendat in viarum conclusione compendium, ad videndum videlicet ipsum, quod utique electorum est summum. Dispar hæc claritas et diversa donorum largitas nunc est ammirabilis quæstio ; quandoque erit ammirabilior pulchritudo et ornatus templi Domini, de quo dicitur Deo : *Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.*

DE SANCTO THOMA APOSTOLO. (Cfr. supra, pag. 18, 47°.)

Narratio domni Odilonis, Cluniacensis abbatis, de quodam miraculo sancti Thomæ apostoli.

1. Dilecto suo frater Odilo, Cluniacensis abbas, salutem in Domino. — Salutare est omnibus christiani nominis cultoribus semper quærere et audire aliquid

ædificativum, et quantum sit Dominus in sanctis suis mirabilis cognoscere. Cum enim te avidum super hoc cognoverim, juxta petitionis tuæ ammonitionem, quæ in curia Romana vidi et audivi, scripto tibi intimare volui. Aderam anno præsenti, feria scilicet VI^ta^ post Dominicæ Ascensionis solemnitatem, ante domni papæ præsentiam, de nostris videlicet negotiis locuturus, cum subito affuit quidam, qui legatos Bizanteos, id est Constantinopolitani imperatoris, adesse pro foribus nuntiaret. Exhilaratus vero domnus papa super tanti nominis legatis, ex latere suo episcopum misit, ut eos honorifice introduceret sibique præsentaret. Veniunt, salutatoque papa universali et plerisque curialibus, de salute imperatoris suorumque qualitate prout fuerant sciscitati satis honeste retulerunt. Causa vero eorum hæc fuit.

2. Intererat cum eis Indiæ archiepiscopus, vir satis honestæ formæ, et juxta suæ linguæ notitiam satis eloquentissimus, qui sociali adjutorio defuncti sui principis destitutus, consilii causa ad prædictum imperatorem jam pridem venerat. Cumque imperator petitionem ejus audisset et ex familiaribus suis unum principem dedisset, quasi perfecto negotio ad propria redire disposuit. Cumque iter ageret, novum principem morte impediente amisit. Quo tumulato, imperatorem repetit, doloris sui casum nuntiaturus. Imperator vero consolatus eum, ne doleret ammonuit. Principem recepit alterum imperatoris munificentia. Tunc archiepiscopus mitigato dolore agit iter, sed non peragit; repentinus enim secundi interitus principis duplicato dolore vehementer eum turbavit. Quid ageret ignorabat? Incertum enim habebat, aut imperatorem repetere aut inceptum iter imperfecto negotio peragere deberet. Vicit tandem virilis consilii strenuitas imminentis periculi jacturam; suorumque exhortationibus relevatus, et ne desperaret ammonitus, retrogradum iter arripuit, seque pii imperatoris oculis diri infortunii bajulus repræsentavit. Cognito igitur imperator inopinatæ rei eventu, obstupuit, et petitioni archiepiscopi satisfecisse dicens, tertium mittere denegavit. Humilis autem archiepiscopus vix multis lacrimis impetravit ut Romanam curiam ei visitare consilii gratia liceret, et legatos imperatoris cum litteris deprecatoriis secum ducere valeret.

3. Cumque in curia esset, quibusdam palatinis præesse se ecclesiæ illi referebat in qua beati apostoli Thomæ corpus requiescere dicebatur. Inter cetera vero quæ de situ ecclesiæ thesaurorumque opulentia et ornamentorum varietate enarraret, unum disseruit, quod non sine admiratione aures audientium capere possunt. Prædicti apostoli ecclesia magnæ altitudinis fluvio ex omni parte clauditur; qui, decurrentibus aquis, septenni etiam puerulo octo diebus ante festivitatem apostoli, totidemque post festivitatem, præ nimia siccitate se viabilem præbet. In ipso autem solemni die collectis in unum totius provinciæ proceribus omnique clero et populo, post multas lacrimas altaque suspiria, archiepiscopus cum sui ordinis clericis ad beati apostoli feretrum accedit, et ex eo cum magna reverentia corpus levatum in cathedra pontificali decenter collocat, primusque tanti advocati pedibus advolutus, oblationis suæ munere apostolum honorat. Beatus vero apostolus brachium erigit, manumque aperit et quidquid ei ab universis nostræ fidei culto-

ribus offertur, gratanter accipit. Si quis vero hæreticus populo admixtus, quasi pro devotione in manu apostoli aliquid ponere nititur, claudit sanctus manum, et nefanda munera accipere denegat.

4. Cumque talia relatione quorumdam in auribus domni papæ sonuissent, adesse jussit episcopum et ne amplius in palatio falsa seminaret, sub anathemate prohibere voluit. Veritati enim contrarium esse videbatur, quod de apostolo divulgasset. Episcopus autem coram omnibus nihil esse verius affirmabat; et, assensu domni papæ, sacrosancti Evangelii juramento ita esse comprobavit. Credidit tandem domnus papa, credidit et omnis curia, et apud omnipotentiam divinam apostolum majora impetrare posse acclamabant. **Explicit.**

LXXXIX. Codex signatus n° 7462-81.

Hic codex fol. 216 cui omni ex parte convenit descriptio quam paulo superius, p. 1 dedimus, olim in museo Bollandiano signatus erat **Q** Ms 10. Quem adhibuit Heribertus Rosweydus in edendis *Vitis Patrum* Antverpiæ anno 1615 (vid. Proleg., p. LXXII et LXXIII, Ms Moretianus). Continet etiam nonnulla miracula, desumpta ut plurimum ex Historia ecclesiastica Venerabilis Bedæ, deinde majorem partem opusculi Petri cognomento Venerabilis, abbatis Cluniacensis, quod inscribitur *Liber Miraculorum* quodque reperitur apud Migne, P. L., tom. CLXXXIX, p. 851 sqq.; tandem sequentia distinctius notanda :

1° Vita sancti Frontonii, immo actus ejus a beato Hieronymo conscripti (fol. 121^{v}-122^{v}).

Edita apud Rosweydum, tom. cit., p. 238-241.

2° Narratio sancti Hieronymi presbyteri de captivo monacho nomine Malcho (fol. 122^{v}-124^{r}).

Edita ibid., p. 93-96.

3° Vita sancti Pauli primi heremitæ edita a beato Hieronymo presbytero (fol. 134^{r}-135^{v}).

Edita apud Rosweydum, tom. cit., p. 17-20.

4° Vita sancti Antonii, prius ab Athanasio episcopo Alexandriæ græco stilo descripta, dehinc ab Evagrio presbitero ad Innocentium in latinum translata (fol. 135^{v}-147^{v}).

Edit. ibid., p. 35-60.

5° Vita beati Pachomii abbatis (fol. 147^{v}-160^{r}).

Edit. ibid., p. 111-138.

6° Regula beati Pachomii abbatis (fol. 160^{r}-166^{v}).

Edita apud Holstenium, *Codex Regularum*, tom. VI, p. 26 sq. (ed. Augustæ Vindelicorum 1756).

7° Vita beati Hylarionis monachi (fol. 166^{v}-171^{v}).

Edita apud Rosweydum, tom. cit., p. 75-85.

8° Acta sancti Johannis Alexandriæ archiepiscopi, quæ quidem prætermissa fuerant a Johanne atque Sophronio viris qui ejus vitam conscripserunt, sed postmodum Leontius episcopus Neapoleos, Cyprorum insulæ, ea studiose supplevit. Cujus narrationes sanctissimus ac ter beatus domnus Nicholaus papa ad multorum ædificationem Anastasio peccatori interpretari præcepit (fol. 171^{v}-184^{r}).

Edit. ibid., p. 178-205.

9° Vita beati Abraham monachi et heremitæ (fol. 184^{r}-188^{v}).

Edit. ibid., pp. 144-150 ac 368-373, ubi legitur Vita sanctæ Mariæ meretricis, neptis beati Abrahæ.

10° Vita sanctæ Paulæ edita a beato Hieronymo presbytero (fol. 188^{v}-195^{r}).

Edit. ibid., p. 401-414.

11° Vita sanctæ Eufrosinæ virginis Christi (fol. 195^{r}-197^{r}).

Edit. ibid., p. 363-368.

12° Vita beatæ Marinæ virginis (fol. 197^{r}-198^{r}).

Edit. ibid., pp. 393, 394.

13° Vita immo conversio seu pœnitentia Pelagiæ meretricis (fol. 198^{r}-200^{r}).

Edit. ibid., p. 376-380.

14° Vita sanctæ Mariæ Ægyptiacæ (fol. 200^{r}-205^{r}).

Edit. ibid., p. 381-392.

15° Miraculum sanctæ Dei Genitricis et virginis Mariæ de Theophilo peccatore (fol. 205^{r}-207^{r}).

Narratio auctore Eutychiano, edita in *Act. SS.*, ad d. 4 Febr., tom. I, p. 483-487.

XC. Codex signatus n° 7482.

Initio et fine mutilus, nunc foliorum 232 (quamquam signata videantur 240, nimirum quod post folium 130 sequens notatum est numero 139 : nulla tamen eo loco excisa sunt), formæ majoris (0^{m}, 46 × 0,32), columnis binis, lineis graphide ductis, exaratus seculo XIII. Tituli Vitarum minio signati sunt, sicut et multæ litteræ majores exordio capitum, aliæ vero colore viridi vel cæruleo. Litteræ initiales singularum Vitarum admodum amplæ et variis coloribus, non tamen ita eleganti arte, depictæ.

Folio chartaceo in capite codicis inscriptus est index contentorum manu Godefridi Henschenii. Codex erat Bollandianorum **P** MS 155.

1° [De sancto Joanne evangelista] (fol. 1^{r}-3^{v}).

Fragmentum Libri v *Historiæ apostolicæ,* tractantis de rebus a beato evangelista gestis, editi apud Fabricium, *Codex Apocryphus Novi Testamenti,* p. 531 sqq.; scilicet a num. xv med. — At in cod. multæ occurrunt lectiones variantes et passim quædam omissa sunt.

2° Vita sancti Silvestri (fol. 3^{v}-12^{v}).

Edita apud Mombritium, tom. I. — Sed non paucæ occurrunt variantes lectiones. Insuper in libro I reperiuntur additiones notatæ supra tom. I, pp. 6, 7, numm. 4, 5. In libro II non pauca omissa sunt.

3° Vita sancti Fursei abbatis et confessoris (fol. 12^{v}-16^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Jan., tom. II, p. 36-41. — Folio in codice exciso, desinit in his verbis : *Septimo Kal. Februarii* (num. 38).

4° [Miracula S. Fursei] (fol. 17^{r}-17^{v}).

Fragmentum relationis editæ ibid., p. 41-44; scilicet num. 21-25.

5° Passio sancti Sebastiani (fol. 17^{v}-30^{r}).

Edita ibid., ad d. 20 Jan., tom. II, p. 265-278.

6° Passio sanctorum martyrum Marii et Marthæ, Audifax et Abacuc (fol. 30^{r}-31^{v}).

Edita ibid., ad d. 19 Jan., tom. II, p. 216 sqq. — In cod. leguntur tantum num. 1-5.

7° Passio sanctæ Agnetis virginis (fol. 31^{v}-33^{r}).

Passio auctore sancto Ambrosio, edita ibid., tom. II, p. 351-354.

8° Passio sancti Vincentii martyris (fol. 33^{r}-36^{v}).

Edita ibid., ad d. 22 Jan., tom. II, p. 394-397.

9° Sermo sancti Augustini episcopi de eodem (fol. 36^{v}-37^{r}).

Editus apud Migne, P. L., tom. XXXVIII, p. 1255-1258, sermo CCLXXVI.

10° In conversione sancti Pauli apostoli (fol. 37^{r}-39^{v}).

Ista narratio constat ex capite IX *Actuum Apostolorum* (v. 1-30) et libro II opusculi B. Lini editi in *Maxima Biblioth. veterum Patrum* (Lugd. 1677), tom. II, p. 70 sqq.; scilicet ab initio usque ad hæc verba : *Quapropter Paulus iterum ei est oblatus* (p. 71, col. 2 extr.).

11° Passio sancti Ignatii martyris (fol. 39^{v}-43^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Feb., tom. I, p. 29-33.

12° Passio sanctæ Agathæ virginis (fol. 43^{r}-48^{v}).

Edita ibid., ad d. 5 Feb., tom. I, p. 615-618.

13° Vita sancti Vedasti episcopi et confessoris (fol. 48^{v}-49^{r}).

Vita auctore Alcuino, edita ibid., ad d. 6 Feb., tom. I, p. 794-799. — Prologus in cod. deest.

14° Miracula a magistro Haimone edita (fol. 49^{r}-50^{r}).

Edita ibid., pp. 801, 802.

15° Vita sancti Silvini confessoris (fol. 50^{r}-53^{r}).

Vita auctore Antenore episcopo, edita ibid., ad d. 17 Feb., tom. III, p. 29-31. — Prologus deest in cod.

16° Vita vel passio sanctæ Julianæ virginis (fol. 53^{r}-54^{v}).

Edita ibid., ad d. 16 Feb., tom. II, p. 873-876. — Sed in cod. numm. 1-5 ac 13-22 multum contracti.

17° Sermo in Cathedra sancti Petri apostoli (fol. 54^{v}-55^{r}).

Inc. *Beatus Petrus apostolus, Johannis filius, vico Bethaida, quæ est in provincia Galileæ, ortus, a Domino de navi cum fratre Andrea vocatus.*

18° Vita sancti Gregorii papæ (fol. 55^{r}-58^{v}).

Contracta ex Vita edita in *Act. SS.*, ad d. 12 Martii, tom. II, p. 130-137.

19° Passio sancti Marci evangelistæ (fol. 58^{v}-59^{v}).

Edita ibid., ad d. 25 Aprilis, tom. III, p. 347-349, sub hoc titulo : *Apostolatus Alexandrinus.*

20° Passio sancti Philippi apostoli (fol. 59^{v}-60^{r}).

Edita ibid., ad d. 1 Maii, tom. I, pp. 11, 12. — Sed in cod. om. prologus.

Incipit : *Philippus, apostolus Domini nostri Jesu Christi, post ascensionem Salvatoris.*

21° Passio sancti Jacobi apostoli Minoris (fol. 60^r-60^v).

Convenit cum Passione de qua actum est supra, tom. I, p. 203, 4°. Incipit tamen in cod. hocce modo : *Jacobo apostolo præsidente cathedræ ecclesiæ Iherusolimorum, orta est perturbatio Judæorum.*

22° Tractatus in Inventione sanctæ Crucis legendus (fol. 60^v-63^r).

Edita ope hujus cod., qui dicitur " noster Antverpiensis „ (p. 451, annot. *a*), in *Actis SS.*, inter Acta apocrypha sancti Judæ-Quiriaci, ad d. 4 Maii, tom. I, p. 449 sqq.

23° Vita sancti Maurunti levitæ et abbatis (fol. 63^r-65^r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 5 Maii, tom. II, p. 3. — At in cod. loco trium primarum phrasium numeri 1 descriptus est num. 22 Vitæ sanctæ Rictrudis editæ in *Actis SS.* ad d. 12 Maii, tom. III, p. 81 sqq. In fine additur relatio cujusdam miraculi editi ibid., tom. III, pp. 93, 94, numm. 17, 18, sed stylo mutato. Codicis lectionem quoad hoc miraculum videsis in Append.

24° Passio sanctorum martyrum Marcellini et Petri (fol. 65^r-66^v).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 2 Jun., tom. I, p. 171-173.

25° Passio sanctorum martyrum Gervasii et Prothasii (fol. 66^v-69^r).

Passio ita incipit : *In tempore illo Philippus quidam cum filio suo in domo sua sancti Gervasii et Prothasii corpora sepelivit. Quorum pater...* (*Act. SS.*, ad d. 19 Jun., tom. III, p. 821, num. 18 extr.) usque ad finem num. 21. Inde annectuntur quædam ex Passione sanctorum Nazarii et Celsi edita in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 302 sqq., scilicet num. 1, ac num. 2 usque ad verba *confundetur Nero* (lin. 23). Dein pergit cod. : *Post tertium vero diem sedit Nero furens et æstuans, turpis visu, et jussit sibi offerri sanctos martyres Nazarium, Gervasium Prothasiumque. Cumque statuissent eos ministri ante tribunal, tenebræ...* (ibid., p. 304, lin. 8)... *ira Nero dixit :* " *Malefici* (lin. 13)... *diis meis, quia immolare contemnitis.* „ *Sanctus Nazarius dixit :* " *Dii vestri* (lin. 21)... *mereantur.* „ *Dixitque ad eos Nero :* " *Nolite* (lin. 31)... usque ad finem num. 7. Deest in cod. initium num. 8 usque ad *ambulavit* (lin. 13)... Inde rursus conveniunt ambæ narrationes usque ad *consumptus est* (p. 307, lin. 3). Post hæc legitur in cod. nostro ut in *Actis SS.*, tom. cit., numm. 22, 23 (p. 822) ; ac denique reliqua pars convenit cum reliqua parte Passionis sanctorum Nazarii et Celsi ut in *Analectis*, pag. 307 inde a linea 3 (*Tandem...*).

26° Passio sanctorum martyrum Johannis et Pauli (fol. 69^r-69^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 26 Junii, tom. V, pp. 159, 160. — In cod. non leguntur quæ in editis parenthesi inclusa sunt.

27° In natale sanctæ Felicitatis (fol. 69^{v}-71^{r}).

Homilia sancti Gregorii Magni, edita apud Migne, P. L., tom. LXXVI, p. 1086 sqq.

28° Relatio sancti Vedasti (fol. 71^{r}-72^{v}).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 6 Febr. tom. I, pp. 809, 810, num. 1-7.

29° Passio sancti Apollinaris martyris (fol. 72^{v}-76^{v}).

Edita ibid., ad d. 23 Julii, tom. V, p. 344-350. — In cod. non leguntur quæ in editis inclusa sunt parenthesi.

30° Passio sancti Jacobi apostoli, fratris sancti Johannis evangelistæ (fol. 76^{v}-78^{v}).

Liber IV *Apostolicæ Historiæ* editæ apud Fabricium, p. 516-532 (cfr. supra, n° 1). — In cod. occurrunt multæ lectiones variantes.

31° Passio sancti Polocronii episcopi et sociorum ejus (fol. 78^{v}-79^{r}).

Edita apud Mombritium, tom. II.

32° Passio sanctorum Abdon et Sennen (fol. 79^{r}-81^{r}).

Convenit cum Passione de qua actum est supra, tom. I, p. 217, 58°.

33° Tractatus ad Vincula sancti Petri legendus (fol. 81^{r}-81^{v}).

Iste tractatus constat tum ex iis quæ edita sunt in *Anal. Boll.*, tom. I, pp. 617, 618; tum ex iis quæ in *Act. SS.* ad d. 29 Junii, tom. V, p. 451, num. 112. — In fine addita sunt quædam de sancto Donato, episcopo Eurœæ in Epiro, qui dicitur Theodosii filiam dæmonio liberasse. De quo cfr. *Act. SS.*, ad d. 30 Aprilis, tom. III, p. 764.

34° Passio sancti Stephani papæ (fol. 81^{v}-84^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Aug., tom. I, p. 139-144.

35° Passio sancti Sixti episcopi (fol. 84^{r}-85^{v}).

Edita apud Mombritium, tom. II.

36° Passio sancti Laurentii (fol. 85^{v}-87^{v}).

Edita ibid.

37° Vita sancti Gaugerici episcopi et confessoris (fol. 87^{v}-90^{v}).

Edita ex hoc cod. in *Act. SS.*, ad d. 11 Aug., tom. II, p. 672-675.

38° Sermo beati Hieronymi presbyteri de Assumptione sanctæ Mariæ (fol. 90^{v}-95^{v}).

Editus apud Migne, P. L., tom. XXX, p. 122 sqq.

39° Passio sancti Bartholomei (fol. 95^v-98^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Augusti, tom. V, p. 34-38.

40° Vita beati Augustini episcopi et confessoris (fol. 98^v-101^r).

Fragmentum Vitæ auctore Possidio, editæ in *Act. SS.*, ad d. 28 Aug., tom. VI, p. 427 sqq.; scilicet numm. 1-9, 20-26, 68 et 69.

41° Passio sancti Lamberti episcopi et martyris (fol. 101^r-106^v).

Passio auctore Stephano, Leodiensi episcopo, edita in *Act. SS.*, ad d. 17 Sept., p. 581-588. — Prologus om. in cod.

42° Passio sancti Mathei apostoli (fol. 106^v-111^r).

Edita apud Fabricium, p. 636-668. — Initio ac fine convenit cum Passione de qua supra, tom. I, p. 47, 116°. Phrasis vero cujus dubia erat lectio, hic legitur sequenti modo : *natas tristitias temporales, quæ corporibus sunt molestæ.*

43° Passio sancti Mauricii sociorumque ejus (fol. 111^r-113^r).

Passio auctore S. Eucherio Lugdunensi, edita in *Act. SS.*, ad d. 22 Sept., tom. VI, pp. 342, 343. — In cod. om. num. 1; numero 12 additum est quod ibid. p. 348, num. 17, *Neque enim hoc* usque ad : *frequentamus*, cum hac clausula : *quæ multa narranda sunt, si per singula scribantur. Tamen fidelibus cordibus absque lectione cognita esse noscuntur, quæ, quanta et qualia miracula istic per sanctos suos ad honorem et gloriam nominis sui Dominus operari non desinit. Pro quo ipso die nocteque psalmorum hymnorumque decantatio non desistit; quod jubente sancto ac præclaro Christi martyre beato Sigismundo rege est institutum hucusque hodie Deo protegente est conservatum. Propterea hic laudes Dei servis canentibus ore* (corr. *horæ*) *persolvuntur, cui est honor et gloria, potestas et imperium per omnia secula seculorum. Amen.*

44° Passio sancti Firmini (fol. 113^r-116^v).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 25 Sept., tom. VII, p. 51-55.

45° Passio sanctorum Cosmæ et Damiani (fol. 116^v-117^v).

Edita ex hoc cod. ibid., ad d. 27 Sept., tom. VII, pp. 473, 474.

46° Vita sancti Hieronymi (fol. 117^v-120^r).

Edita apud Migne, P. L., tom. XXII, p. 201 sqq. — Codex lectionem habet notatam ibi p. 203, sub litt. *b*; item lectionem not. p. 209, sub litt. *c*. Abrumpitur autem ad hæc verba *plantam leonis* (p. 210, lin. 20).

47° Miracula sancti Vedasti episcopi, in translatione ejusdem legenda (fol. 120^r-124^r).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 6 Feb., tom. I, p. 805-808. — In cod. om. præfatio.

48° Passio sancti Leodegarii episcopi et martyris (fol. 124r-128r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Oct., tom. I, p. 485-490. — Om. prologus. Ex Vita prima additi sunt ad finem : num. 51 ; num. 52 usque ad *dilatatus radiabat ;* num. 55 ab his verbis : *Transacto vero spatio ;* num. 56 ; num. 57 usque ad *lateque percrebuit ;* num. 58 usque ad *dicitur respondisse.*

49° Passio sanctorum martyrum Dionisii, Rustici, et Eleutherii (fol. 128r-130v).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 9 Oct., tom. IV, p. 792-794.

50° Passio sancti Calixti papæ (fol. 130v-140v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Oct., tom. VI, post 439-441.

51° In natale sancti Lucæ evangelistæ (fol. 140v-141v).

Homilia maximam affinitatem habens cum homilia a Paulo Diacono conscripta et edita apud Migne, P. L., tom. XCV, p. 1530 sqq. — Incipit : *Lucas juxta traditionem veterum Ecclesiæ tractatorum Syrus natione, Anthiocensis, medicæ artis peritissimus extitit.*

52° Vita sancti Amati episcopi et confessoris (fol. 142r-146v).

Inedita videtur, edeturque in Appendice, collata 1° cum Vita compendiata quæ legitur in cod. Bruxellensi 7460, ut monuimus supra, p. 7 (44°) ; 2° cum Vita quæ hic occurrit paulo inferius, 71° ; tandem 3° cum apographo quodam musei Bollandiani.

53° Passio sanctorum Crispini et Crispiniani (fol. 146v-148r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Oct., tom. XI, p. 535-537.

54° Vita sancti Amandi (fol. 148r-152v).

Vita auctore Baudemundo, abbate Blandiniensi, edita in *Act. SS.*, ad d. 6 Feb., tom. I, p. 848-854. — In cod. add. nota de obitu S. Amandi edita ex hoc cod. ibid. (p. 839, num. 112 extr.) ac initium opusculi Milonis editi in *Anal. Boll.*, tom. IV, p. 157, usque ad verba : *omnibus notum est.* Pro his tamen ultimis verbis (*cuncta-notum est*) in cod. ita scriptum est : *legimus ab ipso Dei viro ædificata fuisse.*

54° Passio sanctorum apostolorum Symonis et Judæ (fol. 152v-157r).

Edita apud Fabricium, p. 608-636. — In cod. multæ sunt lectiones variantes.

55° Passio sancti Quintini martyris (fol. 157r-159r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 31 Oct., tom. XIII, p. 781 sqq.; scilicet num. 1-13. — In cod. præponitur prologus de quo ibid., p. 783, annot. *b*. Pro ultima phrasi num. 13 ita cod. : *Cujus anima in ætherem evecta* etc., ut ibid., p. 799, num. 18, cum his variantibus lectionibus : *et inter ... suscepta est ... aquæ profundo ... fuit abscondi-*

tum, custodiente tamen ... permansit ... quanto magis ... laudem et gloriam Domini ... sit honor, laus et gratiarum actio cum Patre et Spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

56° Vita sancti Martini episcopi et confessoris (fol. 159r-165r).

Vita auctore Sulpicio Severo, edita in *Corp. Script. eccles. Latinorum*, tom. I, p. 109 sqq. — In cod. prologus om. et ob folia excisa desiderantur in cod. num. 22-24 cum initio num. 25; deinde loco num. 12 veniunt quæ tom. cit. leguntur p. 185, de mortuo suscitato in vico civitatis Carnotensis. Tandem in fine addita sunt quæ de obitu sancti Martini narrantur in epistola ad Bassulam, ibid. edita, p. 147 (*Martinus igitur obitum suum*) usque ad p. 151.

57° Vita sancti Briccii episcopi (fol. 165r-165v).

Edita apud Surium ad d. 13 Nov.

58° Passio sanctæ Ceciliæ (fol. 166r-172r).

Edita apud Mombritium, tom. I.

59° Passio sancti Clementis papæ (fol. 172r-174r).

Edita ibid.

60° Passio sancti Andreæ apostoli (fol. 174r-176r).

Edita apud Surium ad d. 30 Nov.

61° Vita sancti Nicholai episcopi et confessoris (fol. 176r-183v).

Hæc Vita constat 1° numm. II-XIII Vitæ editæ apud Carminium, hoc tamen discrimine quod referuntur numm. XII et XIII juxta textum Mombritianum. Constat 2° duobus miraculis editis in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 151-157; 3° num. XXI Vitæ editæ apud Carminium.

62° Passio sanctorum Fusciani et Victorici (fol. 183v-185r).

Edita apud Salmon, tom. cit. — In cod. omissus prologus cum numm. I, II, III; numeri IV omissæ duæ ultimæ phrases (*Nam diabolica fraude*); numeri V om. initium (*Conspice frater-et in æternum non perire*); numeri VII posterior dimidia pars om. (inde a verbis : *Cujus semper esse est æternum atque incommutabilem permanere*); num. IX sub finem hæc omissa : *pro eorum fide atque constantia* usque ad *peccatorum venia tribuatur.*

63° Passio sanctæ Luciæ virginis (fol. 185r-186v).

Edita apud Surium ad d. 13 Dec.

64° Passio sancti Thomæ apostoli (fol. 186v-192v).

Edita apud Mombritium, tom. II.

65° Vita sanctæ Mariæ Magdalenæ (fol. 192v-193v).

Fragmentum sermonis Odonis Cluniacensis, editi in *Act. SS.*, ad d. 22 Julii,

tom. V, p. 218 sqq., scilicet numm. 171-174, cum nonnullis phrasibus numeri 177 et addimento quod legitur apud Faillon, tom. II, p. 446 extr. (*Post Dominicam resurrectionem-prædicarent*).

66° De transitu sanctæ Mariæ Magdalenæ (fol. 193v-194r).

Editum apud Faillon, tom. II, p. 440-442. — Inc. *Erat tunc temporis...*

67° Passio sancti Christophori (fol. 194r-202r).

Passio de qua actum est in *Act. SS.*, ad d. 25 Julii, tom. VI, p. 142, num. 100. — Inc. *Erat vir quidam christianus, nomine Christophorus, vir sanctus et valde clarus in illis temporibus, et doctrina ammirandus, et potens virtutibus. Hic de Cynocæphalorum oriundus genere, gente, vultu et loquela omnibus dissimilis, vultu pristino retento loquelam mutaverat.*

68° Passio sancti Ypoliti martyris (fol. 202r-203v).

Edita apud Mombritium, tom. II.

69° Sermo in Decollatione sancti Johannis Baptistæ (fol. 203v-204r).

Inc. *Beatus igitur Johannes Baptista dum prædicaret Judæis, præcipiebat eis bonorum operum studium dare, justitiam inter se invicem custodire et pietatem in Dominum nostrum feliciter conservare.*

70° Relatio de revelatione capitis sancti Johannis Baptistæ, quod celebratur IIII Kl. Septembris (fol. 204r-207v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 24 Junii, tom. IV, p. 716-718 et p. 724-728, seu numm. 113-118 et numm. 144-157.

71° Vita sancti Amati (fol. 207v-211v).

Vita de qua paulo superius ad num. 52°.

72° Miraculum de leone in vita sancti Ieronimi presbiteri (fol. 211v-213r).

Editum apud Migne, P. L., tom. XXII, p. 210-214. — Incipit : *Quadam namque die* (p. 210, lin. 4), desinitque ut notatur ibid., p. 213, annot. *c*.

73° Item de transitu sancti Martini (fol. 213r-213v).

Caput XLIII lib. I *Historiæ Francorum* (Migne, P. L., tom. LXXI, p. 184-186), omissa in cod. ultima parte capitis, scilicet ab his verbis : *Quod si quis requiret.*

74° Item de eodem (fol. 213v).

Caput IV lib. I *De miraculis sancti Martini* (edit. ibid., p. 918).

75° Item de eodem (fol. 213v-214r).

Caput V ejusdem libri (ibid., pp. 918, 919).

76° Passio sancti Georgii (fol. 214^{r}-219^{v}).

Versio quædam Actorum quæ græce conscripta edita sunt in *Act. SS.*, tom. III Aprilis, p. xxv sqq. (Versio latina Francisci Zini invenitur tom. cit., p. 117 sqq.)

77° Altercatio sanctorum apostolorum Petri et Pauli cum Symone Mago (fol. 220^{r}-225^{r}).

Tractatus Marcelli, editus apud Fabricium, Parte iii, p. 632-653.

78° Passio sancti Petri (fol. 225^{r}-229^{r}).

Liber I *Tractatus B. Lini, Romanorum pontificis, de passione D. Petri et Pauli ad ecclesias Orientales* (in *Maxima Bibliotheca veterum Patrum,* Lugduni 1677, tom. II, p. 67-70).

79° Passio sancti Pauli (fol. 229^{r}-230^{v}).

Fragmentum libri II editi ibid., p. 70-73. — Incipit : *Cum apostolus Paulus suscitasset Patroclum, pincernam Neronis, ut supra in ejusdem apostoli Conversione legitur, tunc oblatus est iterum Neroni. Nero autem ut eum vidit, vehementissime* (p. 71, col. 2 extr. ad fin.)... Ob avulsa folia desinit in cod. : *ibique invenietis duos viros orantes, Titum et* (p. 73, col. 1, lin. 17).

Appendix ad cod. 7482.

MIRACULUM SANCTI MAURONTI ABBATIS. (Cfr. supra, pag. 35, 23°.)

1. Post (1) multa siquidem præclara et stupenda miraculorum insignia, quæ per suum famulum Maurontum adhuc mundales auras carpentem, et pro quo jam superis admisso operatam constat cunctis tremendam deitatem, id duximus, fratres carissimi, ecclesiæ suppliciter intimandum, ad laudem scilicet regis cœlitum et ad ædificationem audientium, quod de ipso nuper nobis innotuit agnitione veridica, ad aures jamjam multorum evidenter designata. Nam nihil credimns fore jocundius et magis proficuum Ecclesiæ, quam divina opera proferendo [1] cum gratiarum actionibus extollere et devotionis laudibus passim et ubique denudare. Quoniam quidem, ut scriptum est, regis consilium celare et tegere existit utile et honestum, regis autem regum arcana propagare et extendere honorabile fit et gratissimum : qua de re quod proposuimus proferendum [2] de hoc nostro patrono,

[1] *cod.* præferendo. — [2] *cod.* præferendum.

(1) Præposita est hæc nota manu seculi XV : *Hoc legitur in die processionis villæ. Ad matutinas de sancto Mauronto. Lectio prima.* Et divisa est tota narratio in novem partes, numeris margini adscriptis distinctas.

puris auribus cordium audiat vestra intentio, semper in omnibus hujusmodi ipsum magnificando, cui vere sanctorum omnium imputatur admirabilis operatio.

2. In villa igitur quæ vocitatur Haineis, beatum Maurontum suamque genitricem Rictrudim contingens jure hereditatis, degebat quidam rusticus, cui erat officium cambam sanctis præfatis obnoxiam juxta debitum servitutis conservare, quam liberam ut decebat et immunem ita tenuerat ab omni ditione, quo gratia alicujus respectus nulli subjugata videretur dominio, nisi soli sanctorum quos diximus arbitrio. Verumtamen quadam die, pestifero suasu accitus, quidam miles, nomine Osbertus, ejusdem villæ prædictæ vocabulum usurpans advocati, sed agens vicem crudelitatis et tyranni, irruit protervo spiritu super cambarium superius dictum, exigens ab eo pro camba arripere censuale respectus munusculum, ad sui scilicet miseriam et sibi veniendæ ultionis detrimentum. Qui rusticus, nova et inaudita permotus [1] temeritate, studuit omni conatu adversus eum contendendo rectitudinis conscientia id sibi denegare. Tyrannus autem e contra succensus igne furiali, orsus est innocentem [2] cambarium vexare studio vehementi, ipsum inquiens aut sibi concessurum velociter quod postularet, aut suppliciis plectendum suæ mancipationi subjugaret.

3. Villanus autem turbatus violentia hujusmodi, nec habens locum in præsentiarum tale periculum evadendi, visum est sibi apud ipsum saltem inducias expetere, quas videntur secularium leges admittere ; quibus liceret conducere tutorem rei hujusmodi legitimum, quem vulgo appellant warandum, qui hanc rem ecclesiasticam testificaretur et dissereret examine judicum, ei scilicet respectui numquam fuisse mancipatam nec debere mancipari, cui eam ipse contenderet injusta ratione applicari.

4. Quibus libenter annuit Dei adversarius, inde acceptis fidejussoribus, sperans tunc contra [3] villanum justiorem causam nancisci, cum neminem repperiret, ut meditabatur, ausum exinde contra se congredi. Cambarius autem inde secedens, secum consultus, arrepto itinere Martianas est profectus. Ibique perveniens, Albrici abbatis præsentiæ subiit, et rei ordinem coram fratribus ei enarravit. Quo audito, abbas et monachi consternati animo supplicaverunt beatæ Rictrudi et Mauronto, ejus sacro filio, ut quibus fiebat tantæ tyrannidis injuria idem impetrassent apud summum judicem sibi conferri id ulciscendi magnalia. Imminente autem termino induciarum, abbas et fratres tale decreverunt consultum, ut cui quærebatur fieri nefanda in his rebus usurpatio, quemque præfatus vir sibi proposuerat fore præsidio, ipsius ejusdem beati Mauronti ad constitutum placitum deferrentur reliquiæ, quæ prætenderentur in rerum suarum idonea tuitione, quibusque intuitis is perversus, corde compunctus, se compesceret ab injusto conamine aliquatenus, et innocentem hominem desisteret vexare ulterius. Sed pro dolor ! Quem vis dæmoniaca hostiliter instigat et acuit, cæcitati insistens vix aut nullatenus resipiscit.

5. Ecce assumptis, ut decretum est, sacris reliquiis, quidam monachorum comi-

[1] *cod.* promotus. — [2] *cod.* innocenter. — [3] *cod.* cura.

tantes cambarium, adeuntes eas tulerunt coram adversario et suis complicibus ad placitum, dicentes pro villano beatum Maurontum res suas venisse tutatum et id injuriæ se præsentasse prohibitum. At tyrannus imbutus crudelitate [1] et habendi desiderio, nullam reverentiam reservavit pignori sanctissimo; sed iracundior effectus erga innocentem rusticum, vi opprimendo, extorsit ab eo solvendæ legis dispendium, adeo vociferans protervo clamore non legitimum rei disserendæ vicarium produxisse, cui quamvis sancto, nil restabat de homine præter ossa atque corpus exanime. Heu viri audacia, universa temeritate deterior, omnique crudelitate perversior. Quid tibi rationis humanæ quæve cogitatio, cum tantæ tyrannidis facinus perpetrare ausus fuisti, tali præsente patrono? Tune, miser, putabas nil in mundo valitudinis sui corpus habere post obitum, cujus cum superis tanta gloria comitabatur spiritum? Sed vere, ut credimus, te intus artabat interior hostis, cujus, cuncta postponendo [2], obtemperabas aculeis.

6. Patrata autem dedecoris et injuriæ coram sacris reliquiis ignominia, perversus transgressor proficiscens tetendit ad propria. Ubi perveniens, suum cornipedem duxit ut biberet ad puteum, cujus, mox arreptus dementia, prosilivit alto præcipiti in profundum : testificans gemitu insanæ vocis miserando, se multa passum indesinenter a beato quod meruerat Mauronto. Id autem agens per aliquot temporis spatium, Dei judicio hujusmodi ignominia exhalavit spiritum. Pro furiosa rabies infelicis viri! Quo interitu umquam dignior extitisti, cum jamjam lapsus mente, tantum Dei famulum contemnendo tandem meruisti decidens mortem subire in puteo, mox lapsurus in gehennæ cahos et irremeabili profundo? Et quamvis insanus ut profitebaris, ita siquidem erat, beatus vero Maurontus te torquendo laniabat, quoniam quidem merita suarum virtutum sui pro contemptu tibi ingerebant supplicium.

7. His et in omnibus hujusmodi semper laudetur divina operatio et ipsius ineffabilis extollatur glorificatio, — quæ, misericorditer mirificans sanctos suos miraculorum beneficiis, justo in judicio condemnat reprobos per tormenta ultionis, — suisque fidelibus præferatur humilis et supplex devotio atque totius reverentiæ et servitutis exhibitio; quoniam quidem quidquid sanctorum dignitati impenditur, ad illum procul dubio refertur in quo et per quem, contempto emolumento temporalitatis, ipsi tripudiant, adepti gloriam æternitatis, laudantes et glorificantes sanctæ Trinitatis majestatem, cum qua gaudeamus per cuncta seculorum secula. Amen.

DE SANCTO AMATO EPISCOPO SENONENSI. (Vid. supra in elencho, 52° et 71°.)

Textum recensitum in elencho, n° 52°, signavimus numero 1; textum recensitum n° 71° signavimus numero 2; textum cod. Brux. 7460 numero 3; apograph. Bolland. numero 4.

[1] *cod.* crudelitatis. — [2] *cod.* postponenda.

[Prologus in vitam sancti Amati episcopi et confessoris.] [1]

1. Mirus artifex [2] idemque opifex, Dominus omnipotens et Deus noster, qui secundum omnipotentiam suam fecit quæ sunt et gubernat eadem ut sunt, cœlum, terram, mare et omnia quæ in eis sunt (semper enim bonus, in seculum misericordia ejus), sedentibus in tenebris et umbra mortis lucem veram cœlitus ministravit, dum propter nimiam caritatem suam qua nos dilexit, Filium suum terris infudit, ut, quia ipse est lux mundi, quisquis eum secutus fuerit, in peccatorum tenebris atque pœnarum latebris non maneat, sed lumen æternum et perennis vitæ gaudium possideat. Hic Jesus Christus, oleo lætitiæ præ suis unctus participibus, largifluam pietatis benignitatem mundo exhibens, hoc est redemptionis salutem nobis in medio terræ perimplens, victo diabolo ac mortis jure morte propria superato [3], dum celsa penetrans ad Patrem ascenderet, ne plasma suum ulterius dominans culpa peccati pœnis addiceret, prolatæ lucis ministros statuit, quibus dixit : *Vos estis lux mundi.* Sicque illos jubare tantæ claritatis irradians tota orbis per spatia prædicare et eam cunctis mortalibus adhibere præcepit : *Ite*, inquiens, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Sicut misit me Pater et ego mitto vos. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Et illi quidem, videlicet apostoli sancti, sibi desursum dati gratia Flaminis roborati, ut gentium plenitudinem vocarent ad fidei lumen profecti, prædicaverunt ubique, Deo cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis, ita ut, salutiferæ tuba [4] exhortationis vocatis multis ad militiam Dominicæ servitutis, post peracta negotia, post adepta potestatis judiciariæ tribunalia, hac [5] gloriosa vicariaque functione inclitum et numerosum credentium relinquerent exercitum, cum sanctitatis videlicet vigore lucifluum, qui, magistri [6] repleti dogmate, paterna nihilominus inferebant nationibus jussa, quorum doctrina fulget Ecclesia ut sol et luna.

2. Horum alii, per diversa tormenta triumphatores et amici Dei facti; alii, seipsos hostiam vivam Deoque placentem offerentes, idonei inventi; alii, carnis pudicitiam cum virginitatis flore integram conservantes, angelorum societate digni, dæmonibus imperabant, mortuos suscitabant, leprosos mundabant paraly-

[1] *totum Prologum omittunt codd.* 2, 3. *In cod.* 4 *sequens legitur* [Prologus.] Ne cui forte legentium sermo displiceat incultus, imperitiamque scriptoris omnis denotet studiosus initio scedulæ, ita votum purgetur idiotæ, ut primo præsumptio non culpetur in opere, sed probetur effectus obedientiæ, demumque summo reputetur a cordis ardore, quod fit spe mercedis æternæ. Jussus enim fratrum præcepto mandati, potius et exactus amore sancti patris Amati, leges artis grammaticæ postposui, necnon rhetoricæ utpote nescius curam minime dedi, sed, fidelia fidelis ipse fideliter exequens, simplici locuturus sermone injunctum quamvis inepte suscepi. Debita igitur charitate compulsus, auxilium ad hoc peto sancti Spiritus, ut vires negatas ingenio sensus, clementia ejus mihi tribuat virtutes. — [2] *cod.* apifex. — [3] *cod.* superata. — [4] *cod.* turba. — [5] *ita videtur legendum ; cod.* ac. — [6] *cod.* magistro.

ticos sanabant, claudis gressum restituebant, surdis aures aperiebant, mutis sermonem indulgebant, cæcos illuminabant, diversas infirmitates in sanitatem commutabant. Namque, ut ostenderetur mirabilis Deus in sanctis, ipse dabat virtutem et fortitudinem fidelibus suis, per quos innotesceret salubriter nomen ejus mirabile in quo oportet omnes salvos fieri et esse.

3. Quapropter gratias agimus tibi, Domine, qui nos indolens prævaricationis offensa perire, ineffabili clementia potentiæ damna nostra, quæ gratuito solvis munere, atque directis hujus undique secus pietatis præconibus effectu opificentiæ magnalibus nos quoque sublevas redemptionis pretio gloriosius : nimirum ascendens in altum captivam ducendo captivitatem, omni homini indulges promissam in cœlis hereditatem inæstimabilem, utique perennis vitæ felicitatem; hoc est, æternæ coram te lucis tribuis portionem. Tibi laus et jubilatio, mundi beata reparatio. Te glorificet omnis nostra redemptio, qui tuorum firma manes et perpes salvatio. Sit nomen tuum, Deus, benedictum in secula; honor et gloria tibi per omnia tempora. Gloriosis ergo, sicut dictum est, actibus sancti circumornati et moribus, repleto jam per se mundo fidei et virtutum muneribus, quia placuerunt Deo et sine macula sunt inventi, ab hac valle lacrimarum et dolore variarum tribulationum ad palmam et gaudium sunt translati polorum, ubi summa et perpetua felicitas ac cum indeficienti lætitia magna est illis festivitas.

4. Cum quibus etiam beatus pater Amatus in curia cœlesti gaudenter ascitus, unusque de tam egregiis assignatus senatoribus, quoniam justis institerat operibus, exultat multiplici nunc candore decoratus. Hi sunt sancti ad nuptias filii regis introducti : claris vestibus amicti, accensis lampadibus fulgidi et in secretis gloriæ cubilibus collocati, cantantes semper Domino canticum novum, hymnis sonoris frequentant *Alleluia* dulcifluum. Ipse nempe laus et gaudium manet illorum qui tanta eos vexit ad dona præmiorum, cujus læti de præsentia, deificæ potestatis veneranter adorant magnalia. Immensis itaque super astra præmiis cumulati, variis quoque signorum prodigiis terra fiunt incliti; nempe non minus per innumeras fulgent virtutes; quam stellæ per æthereas partes. Magnus quippe Dominus et laudabilis nimis, necnon mirabilis, ut diximus, est in sanctis suis. Inde, fratres, nos etiam ad salutem nostram id semper exequentes, eorum actus considerando sacrosque mores, parati jugiter ad prædicandas Deitatis virtutes, corde et ore laudemus Deum in sanctis, cujus claritas illustrationis extat in illis. Cum societate enim eorum cœlum exultat, patrociniis terra tripudiat. Dignum plane, immo nobis est proficuum agere quod implentibus fiet omnino salubre, ut scilicet in illis auctorem omnium laudemus, eorumque sub honore canticum jocunditatis jubilemus. Quæ enim virtus prædicatur de membris, ad caput referri non dubitatur. Siquidem ineffabile solamen procuramus, si tantos apud Deum patronos acquiramus.

5. Tantis sane muneribus munera mundus omnis per quadra sui climata sanctorum retinet ossa, quorum precibus plura salutis experitur se habere beneficia, hac veneratione honesta. Inter quæ hic et nos habemus præcipui confessoris Amati, amabilis Dei pontificis, corpus honorabile : quo patrocinante impetramus

diu perenniterque valere. Etenim pater pius protectorque noster assiduus, hic domnus pastor Amatus, sicut privilegium apud nos manendi tenet, ita voti nostri commoda meritis apud Deum obtinet, quos miseranter enutrit et fovet, dum forte vitæ et dogmatum suorum imitatores videt. Cujus cum filii simus, ut tanto patrono digni simus invigilare debemus. At qui circa ejus reliquiarum excubias studio fervere, famulatu deservire exigimur, quod docuit non derogare, quod boni operatus est non negare, suescere verum sequi et implere contendere præcipimur. Cujus viam tenere quid aliud est quam recto itinere regnum cœlorum penetrare? Ad quod pervenire dat imitatio sanctorum vitæ. Hinc ergo jam pro posse nostro, gratia salutis, gestorum illius aliqua pertentare ratio cogit magnæ in illo fiduciæ.

6. Incipit vita sancti Amati [1]. Igitur beatus [2] Amatus ante secula prædestinatus, in fine autem temporis ordine congruo vocatus, ex christianis et justis parentibus feliciter natus [3], feliciter educatus fuit. Qui inter ipsa primævæ ætatis crepundia superna præsignitus gratia, futurus admodum putabatur deicola, ut olim Johannes Altissimi propheta, dum in annis puerilibus, quadam quasi [4] prærogativa, sollicitus semper erga quæque videbatur [5] honesta. Cujus rei causa litterarum studiis traditus scholares alas meruit in ipsa, ut ita dictum sit, pueritia, altiora scilicet capiens et coævos in scientia præcellens. Denique " optavit et datus est ei sensus; invocavit et venit in se [6] sapientiæ spiritus. „ Quo quia usus est, particeps amicitiæ Dei factus est [7]. Unde sub christiana professione a tali dictus Amatus amore, amicabiliter Christi mandatis curavit invigilare et die nocteque [8] in legis Dei meditans observatione, discendo beneplacitum Domino [9] esse recedere ab iniquitate, ab [10] omni se malitia voluit alienum facere, dolos et [11] conjurationes, odium et obtrectationes fugiens, invidiamque cum ira et omni malivolentia non attingens. Quæ enim in illo fervebat sapientia, cunctam vincebat [12] malitiam, suumque custodiens alumnum totam procul ab eo [13] pellebat nequitiam.

7. Illa [1] eum instruens sacrificium salutare, mandata [2] Dei docebat [3] attendere. Sicque magistra scientia edoctus, sanctitatis se contulit operibus. Quotidie namque sedulum piæ servitutis officium exhibens, in vigiliis, in jejuniis, in orationibus frequentabat inveniri [4] paratus. Lectionibus sacris intentus, colloquiis divinis assuetus, sibi fiebat institutus [5] et proximis aptabatur ad augmentum gratiæ necessarius [6]. Omnibus nimirum ut poterat proficuus hos instruebat documentis nobilibus; illos vero condignis reficiebat eleemosynæ ministrationibus.

8. Talibus ergo studiis [1] animatus honorem concupivit clericatus, atque sata-

Num. 6. — [1] *rubrica desumpta ex* 2; *eadem est in* 3, *qui tamen addit* episcopi et confessoris, cujus festivitas est xiii° Kl. Novembris. *Nulla rubrica in* 1, 4. — [2] (I. b.) Sacer 3. — [3] feliciter natus *add. ex* 2-4. — [4] (q. q.) quasi quadam 2, 3. — [5] videbantur 3. — [6] eum 2. — [7] (a. D. f. e.) f. e. a. D. 3. — [8] noctuque 3, 4. — [9] Deo 2. — [10] et ab 3. — [11] *om.* 4. — [12] vincit 3, 4. — [13] (ab eo) *add. ex* 3.

Num. 7. — [1] (Illa eum-ministrationibus) *sive totus num.* 7 *om.* 2, 3. — [2] mandatis 4. — [3] dicebat 4. — [4] *ita* 4; invenire 1, 2, 3. — [5] *forsan pro* justissimus. — [6] necessarium 4.

Num. 8. — [1] (Talibus e. s.) Tali ergo virtute 2.

gens [2] partem habere in hereditate sortis Dominicæ, sumpta per manus imponentium benedictione, resecatis necnon capillis, velut carnis vitiis, properavit clericus institui et esse. Quæ [3] autem cleri sunt non ignorans, a seculi alienando se operibus, nolebat implicari mundi voluptatibus, negotiis [4], usuris et fraudibus, atque per exhibitionem acquisitis honorum gradibus. Non vagis oculis, non lingua infreni, non tumido pergens incessu, sed verecundus et humilis mente manens et habitu, coronam capitis conservabat immaculatam, ut in cœlis repromissam sibi acciperet immarcessibilem et æternam.

9. Jam vero quæ beatus Amatus sanctarum virtutum [1] opera non exercuit? Quæ cœlestium mandatorum præcepta non peregit? Quis illo erga cunctorum animos in [2] pietate devotior? Quis eo in fraterna caritate ferventior? Quis in districtione legis severior? Ut autem brevi dicam epilogo : ita certabat in Dei officio, ut vix inveniretur quis similis illi, qui conservaret legem Excelsi. Sic nimirum claris moribus et actu fulgebat, ut tanquam sol splendidos sui operis in Ecclesia radios emitteret, exemplumque justitiæ videntibus [3] approbaret. O virum per omnia Deo dignum, o laudabilem clericum et beatum Domini servum! Qui dum custodivit justitias ejus, justificatus est; dum [4] fideliter militavit, in libro vitæ ascriptus est.

10. Ex beato beatus Amatus [1] beatior semper effectus, tam sanctitatis merito quam honestioris dignitatis culmine præclaro, sumptis quibusdam [2] sanctæ matris Ecclesiæ gradibus, jamjamque [3] fulgurantior relucebat in singulis ordinibus. Sciens [4] denique [5] quanto gloriosior honore tanto magis ferventior inveniri debere, et sibi erat cautus observatione, et aliis fiebat admirabilis imitatione. Præcinctis namque lumbis, lucernam tenens ardentem manibus mundis, omni hora paratus et vigilans, expectabat Dominum reversurum a nuptiis. Sane stolis non ineptus [6] sacerdotalibus, accurabat instantius quatinus mente pura et digitis expiatis mysterium [7] illud tractaret vivificum, cooperatione sancti Spiritus.

11. Præterea [1], Pauli usus exemplo, omnia omnibus erat, omnimodo se præbens cunctis, prout poscebat ratio. Præcellentibus [2] quidem, verbis plurimum jocundis, temporibusque proverbiis sapienter aptatis, animos demulcebat; minoribus vero, dictu affabili vota mentium sublevabat: universosque modis addecentibus informans, illis informatus et ipse, ab omnibus amabatur. Nec tantum provinciales intra fines instantia benignitatis ipsius contenta est, sed volitabat etiam nobilis fama ad usque regna extera. *Non potest* siquidem, ait Salvator, *civitas abscondi supra montem posita :* neque accensa sub modio ponitur lucerna, sed super candelabrum in Ecclesia, hoc est in congregatione sanctorum numerosa. Passim igitur bonitatis ejus rumore flagrante [3] et sic opinionis ab eo longius honore

— [2] (a. s.) s. a. 3, 4. — [3] (Quæ-æternam) *om.* 2, 3. — [4] in neg. 4.

Num. 9. — [1] (s. v.) *om.* 2. — [2] *om.* 2. — [3] viventibus 3. — [4] et dum 3.

Num. 10. — [1] (beatus A.) *om.* 2. — [2] quibusque 3. — [3] jamjam 3. — [4] (Sciens-numerosa) *om.* 2. — [5] quia 3. — [6] (non i.) indeptus 3, ineptus 4. — [7] mysterium *add. ex* 3.

Num. 11. — [1] Propterea 4. — [2] (præcellentibus-optatio) *om.* 3. — [3] fragrante 2.

prodeunte. magnus quidem æstimabatur a populo necnon optabatur illi ab imprecantibus multis prospera fidelisque optatio [4].

12. Interea, tempore vocationis suæ determinato, Senonensium episcopus terrenis rebus exemptus ad [1] Christum fuit accersitus. Confluentibus ergo ad constituendum inibi pastorem animarum vicinarum urbium pontificibus, sanctus Amatus electioni addicitur et in oculis omnium præsentatur, licet haud mediocriter invitus. Attamen acclamantibus universis : dignum eum sacerdotio, pecuniæ minime [2] quæstum, verum christianæ plebis sitiens salutem, promotus et sublimatus est ad episcopium. Acceptaque ligandi et solvendi cum Petro potestate, simulque sancti Spiritus [3] virtute, populum sibi creditum prædicatione instruens, benedictione confirmans, oves Domini diaboli non sinebat [4] incursione lacerari, quas piis reficiens doctrinæ pabulis, super [5] eas in ovili Dominico cura pervigili vigilias custodiebat seculi [6] noctis. Pontificis quoque nomen non ignorans et ministerium, in omnibus seipsum exemplum præbuit bonorum operum. Diutina [7] enim in justitia bene edoctus, sibi videbatur parcus, egenis largus, ore serenus, corpore castus, vigiliis, jejuniis et orationibus deditus, atque omni bonitate repletus. Fidelis nempe servus et prudens, quem super suam Dominus constituerat familiam, ut det illis tritici mensuram, eam verbis docens, exemplis instruens, assiduis insuper orationibus prius pro se, deinde sacrificium offerendo pro sibi commisso populo, a delictis emundans quosquos in via rectitudinis deducebat. Nec prætereundum quia dæmonibus sic erat infestus, ut nemo ei ad tentandum accedere fieret [8] ausus. Quibus [9] e contra præcepto cum signo crucis imperans, et a corporibus eos obsessis removens, de credentium finibus proturbabat [10]. Ast angelorum frequenti usus alloquio, supernorum multipliciter astruebatur ministerio.

13. Ea [1] tempestate Theodericus [2] Lucdovei [3], qui ex Dagoberto processerat, iniquam tyrannidem moliebatur Francorum primoribus. Qui ab eisdem diu [4] insecutus, tandem captus et violenter injuriis adactus, tonsoratus in monasterium mittitur, ac frater ipsius in regnum Hildericus eligitur. Sed et ipso a Francis ob nefandorum insolentiam actuum interfecto, dudum quoque ejus similiter fratre Lothario [5] in juventute mortuo, regalem quam nuper amiserat recepit dignitatem. In [6] hujus itaque sceptri monarchia plurimis dissentientibus, diversis et partibus [7] hac illacque vacillantibus, mali enim bonis invident et libenter insidias parant, sanctus pontifex Amatus apud eum accusatur, et quasi infidelis ab impiis et reniti justitiæ cupientibus insimulatur. Unde neque spectaculi judicio admotus, neque a

— [4] optio 2, 4.

Num. 12. — [1] et ad 3, 4. — [2] *ita* 2-4 ; nimiæ 1. — [3] (sim. s. S.) s. S. sim. 2. — [4] (d. non s.) non s. diabolica 2. — [5] et super 4. — [6] scilicet 3. — [7] (diutina-deducebat) *om.* 3. — [8] fuerit 3. — [9] (quibus-ministerio) *om.* 3. — [10] perturbabat 4.

Num. 13. — [1] Hac 3. — [2] *cod.* Thodericus, *at mox* Theodericus, *ut alii.* — [3] Locdovei 2, Ludowici 3, Clodovei 4. — [4] (ab e. d.) d. ab e. 2-4. — [5] Hlothario 4. — [6] (In-diss.) *ita* 2 ; hujus itaque sceptri sententiis in monarchia sentientibus (dissentientibus 4) 1, 3, 4. — [7] (d. et p.) *ita* 2 ; diversisque et partibus 1, 4 ; diversa partibus etiam 3.

regis majestate super hoc negotio quidquam interrogatus, Theoderico malignantium parti [8] in his [9] credulo, a proprio sublatus episcopio, exul abire jussus est immerito. Qui oves sibi creditas sanctæ Trinitati commendans sicque sibi [10] in persecutione gaudens, relicto vero gregi condolens, ut [11] quondam innocens Joseph honore privatus sed innocentiæ simplicitate vestitus, ad locum sui libentissime properabat exilii. Tum [12] vero ex jussu tyranni ad Peronam, quæ est urbs regia in pago Viromandorum, usque perductus, ibidem sub honorifico abbate Ultano custodiæ perstitit mancipatus.

14. Etenim [1] vernante regaliter quondam Sigeberti regno, qui frater fuerat præfati Lucdovei [2] ex jam dicto Dagoberto, cum Grimoaldus [3] esset major domus et Herchennaldus [4] quasi patricius ejus, sanctus Furseus in Hibernia ex regali progenie oriundus, qui et angelica visitatione de multis fuerat admonitus, relictis parentibus et patria, Franciam petiit, pro nomine Domini peregrinus. Inde vero ab Erchennaldo susceptus et in præscripto loco positus, usque ad horam sui obitus, honorifico habitu atque honestissime est tumulatus. Post cujus decessum duo germani ejus, sanctus scilicet Foillanus episcopus et ante monstratus abbas Ultanus, fraterno ducti amore, immo divina ordinatione subsequentes, Foillanus Fossensis cœnobii privilegio potitus, Ultanus quoque cura paternitatis de Peronensi monasterio implicatus, et moribus viguerunt et actibus valuerunt.

15. Enimvero [1] sacer præsul [2] Amatus, sede præsulari [3] depositus et in eodem loco sub custodia positus, ne ullo modo a sui statu propositi posset avelli, sed in constantis fidei patientia inveniretur ut [4] semper versari, prudenti vigore sensus ac dono continebatur almi Spiritus. Nutricem denique suam, veram [5] philosophiam, sibi blandis fomentis pectus demulcentem tristesque quas invenerat phalanges longe fugantem, recognoscens, ejusque vultui perspicuo visum cordis perfecte imprimens, blandienti admodum delectabatur [6], et in hac consolatione sublevabatur, reputans etiam quoniam non sunt condignæ passiones hujus temporis ad superventuram gloriam, quæ revelabitur [7] in sanctis [8], necnon pro aliquibus merito sibi accidisse peccatis. Et quia dicit apostolus [9] : *Omne gaudium existimate* [10], *cum in tentationes varias* [11] *incideritis*, tentationis turbinem patienter sufferebat et passionem [12] ignominiæ supportabat, scilicet [13] sciens scriptum per multas tentationes [14] intrandum [15] regnum cœlorum.

16. Ad [1] sui igitur juvamen sacrum beati Ultani [2] experiebatur solamen;

— [8] partibus 3; partim 4. — [9] (in h.) nimis 3. — [10] (sicq. s.) sibique 3. — [11] (ut-vestitus) *om.* 3 — [12] Tunc 3.

Num. 14. — [1] *totus num. deest in* 2. — [2] Ludovei 3; Clodovei 4. — [3] filius Pippini principis et frater beatæ Gertrudis virginis *add.* 4. — [4] Erchenaldus 3; Herchenaldus 4.

Num. 15. — [1] (Enimvero-turbinem) Cujus sacro solamine tentationum turbines 2. — [2] (s. p.) pontifex 3, 4. — [3] cum toto sublimitatis decore *add.* 3, 4. — [4] *om.* 3, 4. — [5] utique *add.* 3, 4. — [6] condelectabatur 3, 4. — [7] revelatur 4. — [8] nobis 3. — [9] Jacobus *add.* 3. — [10] fratres mei *add.* 3. — [11] tentationibus variis 3. — [12] (suff. et p.) ferens, passiones 2. — [13] *om.* 2. — [14] tribulationes 2-4. — [15] esse *add.* 2.

Num. 16. — [1] (Ad-assidue) *om.* 2. — [2] abbatis *add.* 3.

cujus providentia decentissime in verbis gratiæ et subsidio alimoniæ proficiebat assidue. Permansit itaque sacer præsul Amatus in hoc loco non parvo temporis spatio, et exulavit sub abbate sæpedicto, vere sancto et per omnia Dei servo, donec pro meritis meritam in astris percepturus coronam, Ultanus pater ab [3] angelis veheretur ad sideream palmam.

17. Diebus [1] illis, uti clara editus prosapia, Maurontus regis præclarus fulgebat in aula. Qui. quoniam perlucidæ [2] mentis ingenio potiebatur, rebus semper et undique bene gestis gloriosus [3] exhibebatur. Unde totius palatii fulgidos inter optimates fulgidus ipse videbatur, et quidam symmistes [4]. Hic ergo, nobilis viri et Francigenæ Adalbaldi primogenitus [5], Rictrudem [6] habebat genitricem, sacris ornatam moribus. Parentes [7] namque ipsius ex Domini benedictione nati sunt. His [8] filii superno munere [9] fuere, jam dictus videlicet [10] Maurontus, abbas et levita sanctus, cum tribus magni meriti sororibus: Clothende [11], Eusebia, necnon [12] Alsende [13] novissima. Istis [14] una fides, una jugiter devotio fervebat: quæ sic illos Christi circa monita sollicitabat, quatinus cum gloria nativæ originis conspicua exornarentur sanctitate beatudinis.

18. Rictrudis itaque post beatum viri [1] sui [2] obitum, sociis filiabus ac numeroso grege sanctimonialium, quod sibi a sancto Amando fuerat [3] datum, Martianas inhabitavit cœnobium, ibique spiritualibus exercitiis dans operam, totam deinceps collati temporis in pia amoris [4] generatione [5] duxit vitam, quousque beatam cœlo redderet animam, et gloriam spiritus ejus caperet æternam. Præscriptus igitur filius ipsius [6], Maurontus, laicali [7] habitu aliquantulum detentus, sed postmodum a prænominato pontifice, miraculorum factore Amando [8] confessore, clericus et [9] abbas ordinatus, atque diaconi [10] ad gradum perductus [11], in suo, qui Broilus dicitur, fundo, sagaci monasterium ad sancti Petri honorem extruxit voto, delegatisque redditibus [12] una cum illic Deo servientibus; quod erat suum [13] a parentibus [14], libentissime Domini contulit [15] obtutibus. His et factis similibus decenter nobilitabatur in omnibus.

19. Ultano ergo abbate viam ingresso carnis universæ [1], huic [2] ad præsens accersito jussum est a rege sanctum Christi Amatum episcopum in Perona exulem, secum sine mora ducere [3], et in suo noviter extructo monasterio custodiendum servare. At [4], quia res exigens causam dabat, opportunitas quoque temporis adju-

— [3] ab *add. ex* 2, 4.

Num. 17. — [1] De sancto Mauronto *in marg. add.* 1; De sancta Rictrude et Maurunto ejus filio *litteris rubris add.* 3. — [2] perlucido 3, 4. — [3] *om.* 3. — [4] simmistes 1; symmistes 2; simistes 3; summistes 4. — [5] qui prædicti Helchenaldi *(sic)* patricii frater erat germanus *add.* 4. — [6] vero *add.* 4. — [7] (Parentes-his) Horum 3. — [8] *ita* 2, 4; Hii 1. — [9] *add. ex* 3. — [10] videlicet *add. ex* 2-4. — [11] Clotende 2, 3; Clorsende 4. — [12] et *add.* 3. — [13] Adalsende 3, 4. — [14] In istis 3.

Num. 18. — [1] mariti 4. — [2] (v. s.) s. v. 2. — [3] (A. f.) f. A. 3, 4. — [4] amori 4. — [5] intentione 3. — [6] ejus 3. — [7] in l. 3. — [8] *perperam corr.* Amato 3. — [9] (c. et) clericorum 3; clericatus 4. — [10] diaconii 2, 3. — [11] deductus 2. — [12] reditibus 2-4. — [13] sibi 3. — [14] relictum prædium *add.* 3. — [15] (D. c.) c. D. 2.

Num. 19. — [1] (c. u.) u. c. 3. — [2] Mauronto 3. — [3] deducere 2. — [4] ac 2-4.

dicabat onus, Maurontus [5] districtus imperio viæ se misit illico, et veniens Peronam ex mandato sumpto pontifice [6] a loco cum omni suo apparatu et phalanga repedabat [7] ad propria. Sic aliquantulum iter emensum episcopalem eos coegit divertere ad urbem dictam Cameracum. Ubi sarcinas famulis deponentibus et quæ erant hospitii, tam Domino ipso [8] quam ceteris disponentibus [9], in medio civitatis suburbio sitam atque beatæ Dei Genitricis Mariæ [10] sub honore dedicatam ille [11] captivus et exul subintrat solus ecclesiam, pro se sibique devotis [12] orationem divino fusurus conspectui sacram [13]. Quam ingressus, a collo suo suam sustulit cappam, ac simul utramque manicam. Quæ sacris deponens manibus, solis in infusum radium appendit, velut nescius. Etenim sol ipse verus, illius et omnium illuminator Dominus, in luce suæ fidei et simplicitate clara, diu lucidum [14] mirificare volens sanctum suum, tale pro eo patefecit donum suum, quo fidelis servi magnum propalaretur meritum, multis ex tunc manifestum.

20. Cunctis denique diversorii congruenter dispensatis, etiam Maurontus ad ipsius tetendit oratorium ædis. Visoque illo mirabili et potius vehementer admirabili [1] signo cœlestis doni, stupidus admodum [2] cecidit ad sancti Amati episcopi [3] vestigia pedum [4], pavensque : *Ne memineris*, ait [5], *vir beate, Dei quoque per omnia care* [6], *quod te* [7] *ad custodiendum* [8] *suscipiens huc usque volui adducere ; sed, indulta misericorditer, si quid peccavi, venia, humilia quæso ne respuas vota. Ecce ex hoc jam mihi, voluntas si fuerit, sociare* [9] *: omnimodis sanctæ tuæ paternitati succumbens, præsto sum obedire. Sicut probamus te apud Deum valere, sentiamus etiam pro nobis orare.* Auditis præsul istis sui ductoris sermonibus, sublevans a terra quantocius, voce illum melliflua est adorsus : *Ne tibi*, inquiens, *frater, videatur aliquomodo triste, quod tecum me* [10] *contigit huc devenire, qui paratus sum quocumque Dominus jusserit, et in carcerem et in mortem ire. Quod si ita præordinatum est ab illo, ubi fueris libentissime permanebo.* His dictis, ad signum concordiæ veracis ambo ruunt [11] simul in oscula pacis.

21. Patrato mirabiliter ad sancti laudem Amati signo præscripto, atque ad notitiam multorum [1] declarato, quanta in communi viatoribus illis lætitia fuerit, quanta gaudii exultatio, quam [2] votiva cordis exhilaratio, quis dicere sufficiet? *Gloriabuntur* [3], inquit psalmista, *in te omnes qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices justo.* Omnes igitur mente una, devotione pari accedentes, se piæ ipsius commendabant paternitati; credentesque interventu ejus multipliciter adjuvari, ab ipso petebant benedici. Quos benigna complectens mansuetudine firmat adeo ver-

— [5] itaque *add.* 3. — [6] sumptum pontificem 3, 4. — [7] repedavit 3, 4. — [8] illo 2. — [9] *ita* 2-4 ; deponentibus 1. — [10] (b. D. G. M.) b. M. D. G. 2 ; G. D. M. 3, 4. — [11] sanctus Amatus 3. — [12] (se s. d.) *ita* 2 *post corr.* ; *prius* se sibique votis ; in 1, 3, 4 se suisque votis. — [13] (d. f. c. s.) s. d. f. c. 3. — [14] (d. l.) dilucidum 2.

Num. 20. — [1] (et-admirabili) *om.* 3. — [2] *om.* 3. — [3] *om.* 3, 4. — [4] *om.* 3. — [5] inquit 2. — [6] (Dei-care) *om.* 3. — [7] te *add. ex* 3. — [8] *hic add.* te 2. — [9] te sociare 2-4. — [10] mihi 2. — [11] ruerunt 2-4.

Num. 21. — [1] (a. n. m.) m. a. n. 2-4. — [2] quæ 3. — [3] (Gloriabuntur-reversi sunt) *om.* 3.

borum oratione. His ita dictis [4], indicti residuum sumit itineris. In sui vero primordio gressus sacer præsul Amatus taliter est affatus : *Domine, gressus nostros dirige et angelum tuum sanctum nobis comitem adhibe, ut semper in tua gradiamur veritate* *. Cumque socii respondissent, *Amen,* retro unde venerant, læti domum reversi sunt. Finito autem viæ spatio, haud procul a Martianis loco super Scarb fluvium sito aliquantulum Hamatico manserunt in cœnobio.

22. Hæc duo monasteria [1] vicina sibi, et commoda sub una lege, et societate degebant amica, ita ut, quamvis loco sejuncta, omnium tamen parerent vota commixta cum simplici sacræ vitæ concordia. In uno sancta sancti Adalbaldi Gertrudis avia cum sua pronepte et virgine Eusebia; in altero simili florebant studio Jonatus, incliti pontificis Amandi [2] discipulus, Rictrudis cum natabus [3] duabus; in utrisque etiam grex plurimus, celsis illustris virtutibus. Tantis confessor Amatus copulatus catervis, addecebat nimium illis, velut aureis gemma fabricis. O quantis ardoribus incitor qualibusque conatibus instigor, in piis videlicet spiritualium germinum profectibus quibus florebant [4] sancti Dei, honestius [5] cunctis ornati [6] floribus! Erat illis pax, amor, pietas in alterutrum. zelus et instantia divinarum circa dogmata legum. Unde singuli se ad bene agendum invicem cohortantes, exemplis probæ actionis alii alios provocantes, sicque de virtute in virtutem gradientes, voce et opere devotas Deo suæ salutis celebrabant in omnibus laudes. Videres hunc in virtutibus ceteros præire contendere; videres alium ne illo inveniretur inferior elaborare. Una siquidem omnes manens intentio ad celsæ justitiæ culmen subvehebat. In quibus [7] Dominus ipse, sicut discipulis [8] promiserat, habitans et in suo nomine congregatos benedicens, ipsi populus ejus et ipse Deus erat eorum!

23. Quid igitur nos, miseri et miserabiles, iniqui et peccatores? Quæ nos bonitas, quæ justitia, quæ sanctitas informat? Nulla plane nunditia tenet; pietas nulla commovet; sed, semper ad male agendum intenti, quæ prava sunt facere, quæ pessima sunt desideramus implere. Non timor Domini [1] facit timentes, non formido quæ nos expectant [2] pœnarum efficit metuentes. Cum flagitia quæ perpetramus a nobis Deum longe faciant, timendum valde est ne diaboli, Deo semper contrarii, laquei ligatos nos teneant, quibus restricti bona operari non valemus [3]. Ad fugienda vero peccata atque sectanda justitiæ [4] monita Dominus ipse alloquens admonet [5], et negligimus. Pœnarum acerbitatem minatur et postponimus. Spondet vitam, et torpemus. Promittit patriam cœlestem, et non-assurgimus. Quia vero

— [4] ductis 4.

Num. 22. — [1] *add. ex* 3. — [2] *sic etiam prius* 3; *corr. perperam* Amati. — [3] filiabus 3; natalibus 4. — [4] hi *add.* 3, 4. — [5] *ita etiam prius* 3; *corr.* honestis. — [6] *prius* ornari 3: *sed corr.* coronati. — [7] *ita videtur legendum ; codd.* quos. — [8] *ita* 3, 4; discipulus 1.

Num. 23. — [1] Dei 3, 4. — [2] *ita videtur legendum ; codd.* expectat. — [3] valeamus 3. — [4] Dei *add.* 3. — [5] (al. adm.) admonens loquitur 3, 4.

* Vide reliquum textum cod. 2 ad finem textus trium reliquorum codicum.

clemens auctor ac pius est salvator, dat [6] nobis exemplar veritatis, sanctos utique studio florentes beatitudinis, et [7] idcirco summis rutilos insigniis, quorum sit modus sacer magnaliis, quorum mundus omnis subsistit meritis, quorum diversi sublevantur infirmantes et invalidi patrociniis, quorum succumbit omnis creatura præceptis. Jam ergo, fratres, si forte debita gehennæ tormenta pavemus, si cœlorum præmia inæstimabilia [8], nobis promissa, accipere volumus, curandum nobis est et omni hora meditandum, ut quæ mala sunt declinemus [9], quæ [10] bona sunt, in mente et opere teneamus, atque, dum vitam [11] et actus sanctorum audimus, imitemur. Horum exemplis instructi [12], in cunctis maneamus attenti : sicque, mundo mortui, Deo [13] vivi satagamus inveniri : eorum intercessionibus roborati, qui sicut de se in gloria læti, ita de nobis jugiter sunt [14] solliciti. Quapropter, carissimi, illorum monitis obaudientes, quæ salutis nostræ videntur, hæc et opere implere [15] satagamus, ut cum eis in cœlorum regno sine fine gaudeamus.

24. In sancto denique Amato præsule [1] admodum præstante, totius perfectionis apice, atque ipsum studio ad claritatem beatitudinis non mediocriter illustrante, visum est bono dispensatori Mauronto levitæ et præfatæ [2] Rictrudi [3], illius genitrici sacræ, quatinus ad regendum populum Dei in Broilo eum præficerent [4] monasterio, se suumqua prædium per illum offerentes Domino. Quod ita factum est. Nam coactus vir Dei utriusque jussu cum omnis [5] catervæ suasu, necnon accepta [6] et eis data benedictione, illuc profectus est gratissime. Mutata commorationis [7] sede, non fidei [8] mente, omnis [9] studuit inibi fideliter voti militare conamine, dans subditis exemplum benignitatis, tam verborum dogmate [10] quam puritate simplicis vitæ. Accepta nempe [11] talenta sub fœnore exigi noverat, ac se vita comite multiplicari [12], præceptum habens intellectu et opere fratrem suum lucrifacere. Quod omni instantia hic et ubique non oblitus agere [13], securus Dominicæ præstolabatur [14] reversionem præsentiæ, auditurus in rationis examine : *Euge, serve bone et fidelis : intra in gaudium Domini tui ; et* [15], *quia super pauca fuisti fidelis, super* [16] *multa te constituam hereditatis bona perpetualis.*

25. Sane loco ipso juxta basilicam habebat cellulam, orationis sibi causa [1] compositam. Ubi, supernis licentius inhians internisque pleniter incubans, velut quodam quietis æternæ sub speculo, remota secum degebat in domo, apertisque [2] fenestris, quemadmodum [3] Daniel orabat contra Jerusalem, dum [4] cordis obtutibus

— [6] da 4. — [7] (et-magnaliis) *om.* 3. — [8] *om.* 3. — [9] *ita* 3, 4 ; inclinemus 1. — [10] et quæ 3. — [11] vitas 3. — [12] instructi 3, 4. — [13] Deo *add. ex* 3, 4. — [14] sint 3, 4. — [15] (hæc et opere implere) *ita videtur legendum,* (*nisi quis malit* facto et opere implere) ; facta perimplere 1, 4 ; facta implere 3.

Num. 24. — [1] pontifice 3, 4. — [2] *ita videtur legendum ; codd.* prælatæ. — [3] Rictrudis 4. — [4] *ita* 3, 4 ; perficerent 1. — [5] omnis *add. ex* 3, 4. — [6] (n. a.) accepta nec non 3, 4. — [7] enim morationis 4 ; commemorationis 3. — [8] fideli 3. — [9] omni 3. — [10] dogmatum 4. — [11] namque 4. — [12] (ac se v. c. m.) a se comes (*et post corr.* conans 3) ita (vitam 4) multiplicare 3, 4. — [13] facere 3. — [14] præstolabitur 3. — [15] ut 3, 4. — [16] supra 3.

Num. 25. — [1] (s. c.) c. s. 3. — [2] (apertisque-salutis) *om.* 3. — [3] quemammodum 1. — [4] cum 4.

non aliorsum defixis, a Jerusalem cœlesti respectum suæ supplicabat salutis. Et quia diutius activæ [5] laboribus, bene proximis pro posse ministrans, insudaverat [6], jam nunc velut Maria contemplativæ vitæ insidens, vivens Deo, quasi [7] mortuus erat mundo : quoniam, in hac peregrinatione solo corpore constitutus, cogitatione et aviditate in illa est æterna patria conversatus [8].

26. Tandem igitur a suo respectus misericorditer rege et domino, ut emeritus miles jamjamque a militiæ suæ labore solveretur diutino, consociari jussus est polorum regni gaudio. Ministratoriis [1] insuper obviam spiritibus directis, feliciter exceptus, feliciter est Deo præsentatus, ibique suæ salutis auctorem inveniens et [2] prævium [3] benignum, videlicet Christum Jesum, vera confestim immortalitate ac veræ lætitiæ designatur perpetuitate donari, juxta promissum Salvatoris dicentis : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum paratum vobis ab origine mundi:* in quo sancti exultant. omnes pariter tripudiant, plenoque gaudio lætantes, de præsentia sui regis jubilant gaudenter [4]. Quorum beatus præsul [5] Amatus, confessor egregius, copulatus choris, illa recenset præmia in superis [6] quæ nec oculus vidit, nec auris audivit nec cor hominis præcogitavit Gloria [7] hæc est omnibus sanctis ejus. Vere quoque et indeficientis Deus est lucis illustratione perfusus; ipse etiam velut sol refulgens semper et sine fuco astat illi candidus, sustinens expectando diem qua binas sit stolas habiturus et cum Christo perenniter regnaturus.

27. Omnibus itaque condigne paratis necessariis, debitum sepeliendi officium fidelium more complentes, in beati illum honorifice apostoli Petri ecclesia, Idibus Septembris [1] tumulo mandaverunt; titulum quoque sanctitatis ipsius et nominis desuper honestissime composuerunt [2]. Tanta [3] siquidem vis Dominicæ inspirationis universos attigerat [4], ut, ob ejus meritum tam apud Deum quam apud homines maximum, singuli quique non modica sumptus [5] illi xenia [6] contulerint, multis atque honorum copiis ad ejus honorem templum dedicaverint. Ipse vero Maurontus, vir egregius, universis quoque minister strenuus, cuncta sui patrimonii prædia per chartarum ipsi tradidit instrnmenta, disponens locum prout rogabat modus [7] et res condigna, præbens ex propriis omnia necessaria. Ad cumulum autem [8] virtutis inceptæ [9] dans plenitudinem operæ [10], omnibus quæ possederat renuntians, sese macerabat piis exercitiis. Talique terminans vitam fine beatitudinis pervenire meruit ad gloriam summæ quietis.

28. Fecerat interea [1] beatus confessor Amatus [2] massa [3] ferrea [4] secreto cate-

— [5] vitæ *add.* 3. — [6] insudarat 4; insudaret 3. — [7] *ita* 3, 4; quia 1. — [8] (in-conv.) *ita* 4; in illa æt. p. conversatus est 3; in i. est æt. p. constitutus 1.

Num. 26. — [1] Ministratoriis-præsentatus) *om.* 3. — [2] (et-Jesum) *om.* 3. — [3] præmium 4. — [4] gaudentes 3. — [5] *om.* 4. — [6] *in* 4 *prius* supernis, *sed. corr.* superis. — [7] (Gloria-regnaturus) *om.* 3.

Num. 27. — [1] (Id. Sept.) *om.* 3, 4. — [2] imposuerunt 3, 4. — [3] (tanta *usque ad finem num.*) *om.* 3. — [4] attingerat 4. — [5] subtus 4. — [6] *ita* 4; villixenia 1. — [7] modis 4. — [8] quoque 4. — [9] conceptæ 4. — [10] *ita* 4; opere 1.

Num. 28. — [1] præterea 3, 4. — [2] et præsul 3, 4. — [3] ex massa 4. — [4] *prius* massam ferream 3.

nam sibi immanem fabricari, cujus appetens pondere nimio gravari, ea se artius voluit implicari, reputans condignum si, velut spiritus internis alligabatur vinculis, artaretur pariter caro ferreæ gravedine molis. Hæc autem derepente soluta [5] ab exanimi corpore, et præsentem modis diversis illico [6] præstitit virtutem et deinceps tempore longo non unam [7] indulsit sanitatem [8]. Multa quidem per eum Dominus dignatus est magnalia operari [9], exhibens in illo virtutum suarum beneficia, quæ licet hominibus sint incognita, apud Omnipotentis tamen scientiam tenentur ascripta. E quibus nos [10] plura vidimus et audivimus [11]; in votis quoque pleniter [12] experti sumus. Hæc nos etsi frequenter immeriti consequimur, carissimi fratres et amantissimi, dignum est ut semper nomen Domini benedicamus.

29. Expleta ergo fideliter gestorum tuorum relatione, fusa quoque magna super eam a nobis devotione, pontifex sancte et confessor gloriose, pater pie et pastor [1] Amate, servorum tuorum preces et officia dignanter attende, ac pro nobis et nostra salute fidus causidicus astando semper apud Dominum intercede, ut hic te impetrante valere et in futuro possimus tecum et cum sanctis omnibus ante regem et dominum nostrum sine fine gloriantes exultare : cui est in Trinitate perfecta, uni Deo, Patri et Filio et Spiritui sancto, honor, virtus et gloria, regnum, majestas et omnipotentia per infinita secula seculorum. Amen.

30. Multi [1] per ignorantiam et superbo spiritu deceptam mentis æstimationem librorum quorumdam conati sunt corrumpere veritatem. Unde beati Amati transitum Idibus Septembris ab antecessoribus pro divina determinatione determinatum, mirum vel magis vituperandum, est a Stephano quodam III Kal. Maias affixum. Sciendum tamen, Northmannica direptione et negligentium incuria quoniam iste error sic prævaluit, nos ad auctoritatem vetustorum librorum converti debere, qui apud Sanctum Medardum et in archivo nostro atque multorum scriniis cœnobiorum inveniuntur.

—

8 *. Sed inter eundum gratia ei spiritalis non defuit, nec in eo quæ fecerat* potuit sanctitas celari : ita enim in verbis ejus et actibus divinæ dulcedinis copia abundavit, ut ductorem suum et comitem itineris, sanctum Mauruntum, ad contemptum rei secularis magis accenderet, et ad amorem cœlestis patriæ plus

* *cod.* fuerat.

— [5] *ita* 3, 4; suluta 1. — [6] *om.* 3. — [7] (n. u.) plurimas 3. — [8] sanitates, ad laudem Domini nostri Jesu Christi, qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen. *Ita 3, qui sic desinit.* — [9] (m. o.) o. m. 4. — [10] quoque *add.* 4. — [11] pleniter *add.* 4. — [12] *om.* 4.

Num. 29. — [1] amabilis *add.* 4.

Num. 30. — [1] *hic num. legitur in solo 1.*

* Textu cod. 2 omnino ab aliis discrepante et accedente ad textum editum in *Actis SS.*, tom. IV Sept., p. 128, servata est hic numerorum distinctio in *Act. SS.* loc cit. adhibita.

igniret; laboremque suum divini sermonis dulcedine leviantes, Hamaticum deveniunt, quo in loco diutius commorantes non minimum profecerunt. Ita lætus factus est tanto comite sanctus Mauruntus, quem sibi divina providentia contulerat, rege tamen aliud volente et imperante. Studuit namque beatissimus exul et custodem suum, beatissimum scilicet Mauruntum, levitate restringere : quantulumcumque enim, utpote qui divitiis afflueret, levis erat et vineam Dei, congregationem videlicet fidelium, quam sancta sancti Adabaldi avia Gertrudis inibi ad serviendum Deo collocaverat, vomere caritatis excolere ; si quæ vero superflua excrevissent, piæ recordationis sarculo resecare. Fructificabat ergo in domo Dei sicut oliva, atque hoc in loco non minus quam in aliis odorem suavitatis effundens, cœlestia prædicando frigidos calefaciebat, fortes autem in Dei servitio fortiores reddebat.

9. Beatissimus autem Mauruntus, frater superius nominatarum virginum, interdum hujus sancti consocii sui, Amati episcopi, et actuum exemplo et eruditionis constantia roboratus, cœpit cum matre sua sancta Rictrude de profectu suæ invicem salutis pertractare, et ut se suaque omnia Domino * consecrarent, instantissime cohortari. Qua de re mater, etsi exterius filium ad hoc devotiorem aliquatenus reputaret, tamen interius lætabatur, utpote quæ hujusmodi desiderio diu jam accensa inardebat. Gaudent siquidem ambo, mater de filii suasione, filius vero de matris quamvis tarda concessione. Igitur in pago Menapensi, in fundo suo qui Broilus dicitur, ecclesiam construxerunt, quam in honore beatissimi principis apostolorum Petri consecrari a Deo amabili Amato pontifice obtinuerunt, plurimaque suæ possessionis ibidem Domino contulerunt. Visum est etiam bono dispensatori, Maurunto levitæ, et præfatæ Rictrudi, ipsius genitrici sacræ, quatinus eidem ecclesiæ, quam ipsorum precibus ipse sanctus pontifex Domino dedicaverat, præficeretur, se suumque prædium per illum offerentes Altissimo, ut in hac ope freti cœlicas valvas mererentur ingredi in mortis confinio. Peractis autem omnibus quæ necessaria intellexit, beatus levita ad sanctum præsulem regressus est; quodque factum erat indicans, locum ipsum vitæ quem diu optaverat aptissimum intimavit. Optaverat enim antea seorsum a turba removeri corpusque omni negotio absolutum Dei servitio artius mancipari. O veridica et vere credibilis Domini nostri Jesu Christi prædicatio, qui discipulis suis cunctisque deinceps suis amatoribus manifestavit, dicens : *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ad hoc etiam perseverantiam docens, exhortando eos dixit : *Petite et accipietis; quærite et invenietis; pulsate et aperietur vobis.* Ecce, præsul, quod quæsieras invenisti. Habes namque custodis, immo servi, procuratoris suggestionem, loci præparationem, temporis opportunitatem. Festina ergo, ne tardes, locum ingredere, ubi tuæ peregrinationis longiturnitatem determines.

10. Relicto itaque Hamatici cœnobio, sacræ fidelium multitudini cum benedictione pacis præbens oscula, sacer præsul educitur, Broilumque perductus, sanctæ Rictrudis cum beatissimi Marunti * non minima petitione, rei gubernandæ præficitur. Cui etiam ipse caritativa familiaritate deserviens, tota animi devotione subjicitur. Mira quidem et laudanda humilitas, dominum domus sic alienigenæ in

* *add. ex conj.*

* *sic.*

eadem domo servum fieri; sed Dei nostri mirabilior atque laudabilior potestas, qui, cuncta prout vult et quomodo vult ordinans, humilitatem majorem prælato dedit, quam ipse commendat, dicens: *Qui major est vestrum, erit minister vester.* Quia *Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur.* Manens itaque ibidem cum venerabili levita venerabilis sacerdos Amatus, hortum Dei cultor diligentissime excolebat. Unde pro posse infructuosa quæque evellens, vitem, olivam, aliasque fructiferas arbores inserere non cessabat. Scilicet prædicationis aratro a cordibus subditorum vitiorum germina eradicans, grana virtutum seminabat, populumque ad eum undique convenientem dulcifluis sermonibus sæpissime confortabat. Quod tamen præter spem sibi evenit, quoniam, negotiorum omnium onere abjecto, solitarie vivere solique Deo solito secretius vacare atque ex toto opera sua mundum celare disposuerat. Quod nequaquam posse fieri verba Veritatis insinuant, ubi ait : *Non potest urbs super montem posita abscondi; nec ponunt lucernam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Suos quoque servos ad lucrum aliorum provocans, ait : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Quod etiam beatus Christi præsul non surda aure percipiens, et convenientibus populis collocutionem negare divinique sermonis pabula subtrahere metuebat, et, ut supra dictum est, quocumque modo secretius agere et non ad gloriam suam videri admodum desiderabat. Inter hæc vero juxta basilicam cellulam sibi fabricari præcepit, intra quam quandocumque opportunum erat sese continens, vigiliis, orationibus atque jejuniis incessanter fatigabatur. Ubi etiam multa corpori adhibuisse tormenta, postea, mortis videlicet tempore, comprobatur. Dominicis vero diebus egrediens, et, ut supra dictum est, populis collocutionem denegare divinique sermonis pabula subtrahere metuebat. Confluebant ad eum omnes provinciæ et prædicabat illis, sacrasque Scripturas relegebat, admonens illos ad æterna præmia et cœlestem patriam quantocius festinare. Totus enim erat dulcis consilio, totus amatus eloquio, plenus quippe Spiritu sancto, cœleste semper meditans opus.

11. Peracto namque tirocinii termino, rex regum ditissimus, de triumpho disponens, egregium militem de terris ad cœlos vocavit : quem inter angelicas cohortes in sede remunerationis collocans, corona quam diligentibus se præparat, caput ejus circumdedit, præmia scilicet retribuens quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. At cum jam de morte ejus tractatur, dignum est ut sacerdotis et levitæ separationis qualitas audiatur. Videns enim beatissimus Mauruntus sancto præsuli mortis impetum imminere, lacrimabiliter aiebat : *Quo, pater, spiritus se rapit? Quo sapientia evanescens aufugit? Quid linguæ torpescit valitudo? Quid sensum intercipit habetudo? Quis plebiculam tuam in situ fidei solidabit? Quis seminaria tua rivulo sanctitatis rigabit? Noveris eos certe cito perpeti detrimentum, si tuæ dilectionis perdiderint nutrimentum.* Ad hæc piissimus pater, lacrimosis vocibus filii condolens, humiliter, ut semper affuerat sentiendo, hujusmodi solamina referebat, dicens : *Noli, fili carissime, noli de meo lugere abscessu, cujus profecto præsentia parum utilitatis contulit. Noli, inquam, tibi de*

me temporalem adhibere tristitiam, cujus merita apud Deum tanta esse non dubito, ut per te me posse credam æternæ felicitatis cum sanctis adipisci lætitiam. Tu ipse quos desero suscipies, tu in fide solidabis, tu vitæ pascua providebis. Etenim manus Domini auxiliabitur tibi et brachium ejus confirmabit te. Hæc et his similia illis alternatim referentibus, quem confluentis populi lacrimosa suspiria non moverent, cui astantium frequentissimi singultus venas pietatis non aperirent? Quia vero omnia quæ ibi gesta sunt, nec nostrum est enarrare, nec possumus, cetera considerationi relinquentes, pauca quæ dicenda supersunt, prosequamur. Adunati ergo fratres lugentes præstolabantur exitum ejus, evangelia scilicet legentes atque psalmos et hymnos coram lectulo decantantes. Ille vero inter hæc dixit : *Silete paululum.* Tunc ille supplices oculos cum manibus ad cœlum elevans, diu tacitam precem fudit; post pusillum annuit ut canerent. Inter has igitur voces veniam universis petens atque valedicens, sic sancta illa anima de hac luce læta Idibus Septembris properavit ad Dominum.

12. Tantum ibidem in transitu ipsius sanctæ animæ in domo illa est fragrantia * odoris aspersa, ac si domus illa omnibus aromatibus fuisset plena. Sancta nimirum anima in cœlo repromissionis adepta gloriam, licet piissimus levita Mauruntus tanti viri solatio destitutus tristaretur, diligentissime tamen accurabat quatinus in terra corpus dignissime conderetur. More ergo sepeliendi corpore attrectato, maximum ferri pondus de collo supra pectus ejus pendens inventum est, quod videlicet certissimum occultæ afflictionis signum, sicut prælibavimus, habuerunt; quo etiam signo sanctitatis cum aliis virtutibus clarescente, illum gaudiis sanctorum jam interesse omnimodo crediderunt. Cumque diei hora in crastinum tertia advenisset, tetigit feretrum ejus paralyticus quidam, nullius membrorum suorum potestatem habens, et statim sanus factus est. Nullus enim infirmus feretrum beati Amati tetigit, qui non continuo recesserit sanus.

* *cod.* fraglantiam.

13. Conveniebant præterea ad exequias sepulturæ ejus multi dæmoniaci, cæci ac universis infirmitatibus oppressi. Beatus autem Mauruntus accipiens massam ferri quod sanctus vir portabat supra pectus pro sui corporis afflictionibus, tangebat infirmorum corpora et ad Christi invocationem cunctos sanitati restituebat. Multa vero et innumera per eumdem sanctum virum, postquam tumulariam meruit sepulturam, Christi clementia operata est miracula. Sepultum est autem beatissimum corpus in eadem ecclesia, juxta principis apostolorum Petri altare. Titulum quoque sanctitatis ipsius et nominis desuper honestissime composuerunt. Ipse vero Mauruntus, vir egregius, universis quoque minister strenuus, cuncta sui patrimonii prædia per chartarum tradidit instrumenta ad ejus honorem.

14. Audiens autem Theodericus rex multa et innumera miracula per beatum pontificem Amatum fieri, veniens et procidens ad sepulcrum ejus, deprecabatur indulgentiam et remissionem pro commisso facinorum. Multa etiam dona et innumera beneficia contulit beato Amato, auri videlicet et argenti possessionum ac terræ copiam. Servorum etiam dedit multitudinem in loco sepulturæ ejus, ut ipsi pro posse digna exhiberent servitia. Sic enim faciendo voluit sibi Deum reconciliare ac propitium reddere, quem graviter offenderat in sanctos suos, scilicet

Amatum et Leodegarium crudeliter persequendo et tyrannice captivando, pessimi consilio Ebronis a propriis sedibus eos ejiciens.

15. At vero haud * longe a supradicto cœnobio beatissimus Mauruntus aliam pulchræ ædificationis fabricavit ecclesiam, quam in honore Dei genitricis Mariæ et sanctissimi atque pontificis Amati dedicari faciens, corpusque sanctum de supradicta ecclesia translatum, divina revelante gratia, advocato Morinensi episcopo, nomine Baino, et cleri plebisque cœtu frequentissimo, in nova quarto Kalendas Maii quam dignissime recondidit juxta altare, in orientali parte; ubi etiam, ad laudem Domini nostri Jesu Christi, confessori præclaro servientium monachorum regulam constituens, omnium electione, Dei autem ordinatione, ipse idem gloriosus abbas extitit.

* *cod.* haut.

16. Sed ne de nimia vel velocitate vel taciturnitate ab aliquo arguamur, quod paulo ante prætermissum est cursu retrogrado æstimavimus rependendum ; quidque de massa ferri supra pectus inventa, immo pectori ejus infixa factum sit judicamus enarrandum. Fecit inde probatissimus abbas immanem catenam fabricari, quam, in sepulcro sancti affixam, probabilis patientiæ signum evidens posteris voluit exhibere.

17. Ad declarandam ergo gloriæ quantitatem in terris, qua præcellentissimus confessor fruebatur in cœlis, multimoda infirmitate detenti, ad ejus tumulum properantes, catena quasi tactu hujusmodi officium præstante, multimodam recuperabant sanitatem. Per merita enim sancti ibi dæmoniaci liberabantur, curvi erigebantur, et qualicumque infirmitatis genere oppressi saluti reddebantur : præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

XCI. Codex signatus n° 7483-86.

Foliorum nunc 211 (nam initio mutilus est), formæ majoris ($0^{m},40 \times 0,29$), columnis binis, lineis graphide plumbea ductis, diversis manibus exaratus seculo XIII. Tituli minio signati, sicut et litteræ capitales majores exordio capitum (præsertim a folio 179); harum quædam etiam viridi aut cæruleo colore. Exordium singularum Vitarum insignitum est ingenti littera capitali variis coloribus admodum artificiose depicta, subinde etiam scuto item artificiose depicto imposita ; sed fere omnes istæ litteræ manu barbara excisæ sunt.

Interiori tegumento et folio chartaceo in capite codicis inserto apparet nota **Q** MS 5, qua indicatur codicem olim fuisse musei Bollandiani.

1° [Passio sanctæ Eugeniæ virginis et sanctorum martyrum Prothi et Jacincti] (fol. 1r-8r).

Edita apud Migne, P. L., tom. LXXIII, p. 605-621. — Sed folio in cod. exciso,

incipit ad cap. IV med.; deinde in cod. subinde quædam sunt addita quæ in editione citata desunt.

2° Passio sancti Cornelii papæ et martyris (fol. 8r-12v).

Hujus Passionis conspectum subjicimus in Append.

3° Item Cornelii (fol. 12v-13r).

Edita apud Mombritium, tom. I.

4° Passio sancti Cypriani episcopi (fol. 13v-14v).

Hanc, ut notatum est in *Act. SS.* ad d. 14 Sept., tom. IV, p. 193, num. 13, edidit Pamelius in sua editione Operum S. Cypriani.

5° Passio sanctorum Chrisanthi martyris et Dariæ virginis (fol. 14v-19v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Oct., tom. XI, p. 469 sqq. — Deest in cod. prologus.

6° Vita et passio sancti Lamberti episcopi (fol. 19v-34v).

Vita auctore Nicolao, edita ibid., ad d. 27 Sept., tom. V, p. 602-617.

7° Passio sanctorum Mauricii sociorumque ejus (fol. 34v-38v).

Edita apud Surium ad d. 22 Sept. In fine tamen discrepant. Vide Append.

8° Passio sancti Firmini episcopi et martyris (fol. 50v-53r).

Passio similis ei de qua actum in tom. I, p. 48, 120°.

9° Passio sanctorum Felicis et Adaucti (fol. 56r-57r).

Vide Append.

10° Passio sanctorum Cosmæ et Damiani (fol. 57r-60r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 27 Sept., tom. VII, p. 474-478.

11° Passio sancti Piati martyris (fol. 60r-63r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Oct., tom. I, p. 22-24. — Sed, ut dicitur ibid., p. 11, num. 20, lectio codicis his interpolationibus scatet, quæ post Passionem in Annotatis leguntur.

12° Passio sancti Leodegarii episcopi et martyris (fol. 63r-70v).

Edita ope hujus cod. ibid., p. 485-490.

13° Passio sanctorum Caprasii et Fidis virginis (fol. 70v-73r).

Edita ibid., ad d. 20 Oct., tom. VIII, p. 823-825.

14° Passio sanctorum Dionisii, episcopi, Rustici presbiteri et Eleutherii diaconi (fol. 73r-85v).

Edita apud Surium ad d. 9 Oct.

15° Epistola Hincmari Remensis archiepiscopi ad Karolum regem (fol. 85^{v}-87^{r}).

Edita ibid.

16° Revelatio [dom]ni papæ Stephani (fol. 87^{r}-87^{v}).

Edita ibid.

17° [Passio sanctorum Crispini et Crispiniani] (fol. 87^{v}-90^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Oct., tom. XI, p. 535-537.

18° Passio sanctæ Benedictæ virginis et martyris (fol. 90^{r}-93^{r}).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 8 Oct., tom. IV, p. 219-222.

19° Passio sanctorum Ypipodii et Alexandri (fol. 93^{r}-95^{v}).

Edita ibid., ad d. 22 April., tom. III, p. 8-10.

20° Passio sanctorum Calocerii et Parthemii (fol. 95^{v}-97^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 19 Maii, tom. IV, p. 302-304.

21° Passio sanctorum Eustachii sociorumque ejus (fol. 97^{r}-102^{r}).

Edita ibid., ad d. 20 Sept., tom. VI, p. 123-135. — In cod. deest prologus.

22° Passio beati Quintini (fol. 102^{r}-105^{v}).

Edita ibid., ad d. 31 Oct., tom. XIII, p. 794-799; ubi et cod. nostri præcipuæ variantes lectiones notatæ sunt; num. 19-24 in cod. om.

23° Sermo in natali ejusdem (fol. 105^{v}-107^{r}).

Cfr. supra p. 8, ad cod. 7460, 58°.

24° Passio sancti Foillani episcopi et martyris (fol. 107^{r}-108^{v}).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 30 Oct., tom. XIII, p. 383-385.

25° Passio sancti Clementis papæ et martyris (fol. 108^{v}-111^{v}).

Edita apud Mombritium, tom. I.

26° Sermo in natali ejusdem (fol. 111^{v}-112^{v}).

Narratio miraculorum quæ ibid. post Passionem sunt edita.

27° Passio sanctorum Claudii, Sympromiani, Nicostratis, Castorii atque Simplicii (fol. 112^{v}-116^{v}).

Edita ibid.

28° Passio sancti Theodori martyris (fol. 116^{v}-119^{v}).

Edita apud Mombritium, tom. II.

29° Passio sancti Longini (fol. 119^{v}-121^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 15 Martii, tom. II, p. 384-386.

30° Passio sanctorum Fusciani et Victorici (fol. 121^{r}-123^{r}).

Edita apud Salmon, p. 15 sqq. — Sed in cod. omisso prologo ac num. I-III, incipit : *Tempore Rictiovari, impiissimi præsidis, quando persecutio gravissima in christianos agitabatur, sancti Dei Fuscianus...*

31° Passio sancti Nichasii Remorum archiepiscopi (fol. 123^{r}-126^{v}).

Eadem Passio de qua actum est supra, p. 18, 42°.

32° Passio sancti Sabini episcopi et martyris (fol. 126^{v}-128^{v}).

Edita apud Baluzium, *Miscellanea* (Lucæ 1761), tom. I, p. 12-14.

33° Passio sanctæ Eulaliæ virginis et martyris (fol. 128^{v}-130^{r}).

Edita supra, tom. I, p. 261-263.

34° Passio sanctæ Luciæ virginis et martyris (fol. 130^{r}-131^{v}).

Edita apud Surium ad d. 13 Dec.

35° Passio sanctæ Anastasiæ virginis et martyris (fol. 131^{v}-140^{r}).

Pars prior edita est apud Mombritium, tom. I, in Passione sancti Chrysogoni, posterior in *Bibliotheca Casinensi*, tom. III, Florilegii p. 179-184.

36° Vita sanctæ Genovefæ virginis (fol. 140^{r}-145^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 3 Jan., tom. I, p. 138-143. — In cod. num. 16 (ut notatum est tom. cit., p. 140, annot. *b*) hæc interposita leguntur :

Utique sanctus Dionisius primus episcopus civitatis Parisiorum fuit ; qui a persecutoribus in quarto miliario ab ea urbe martyrium consummavit. Et [ut] comperi juxta traditionem seniorum vel relationem passionis suæ, a sancto Clemente, filio in baptismo sancti Petri apostoli, Romæ episcopus ordinatus et in hanc provinciam ab eo directus est. Docet nos lectio quod primus episcopus Romæ Linus, secundus Anacletus fuit (utrique a sancto Petro apostolo ordinati, quatinus illi, sicut scriptum est, episcopatus curam gererent, porro sanctus Petrus apostolus apostolatus sui impleret officium), tertius vero Clemens, quem ante aliquos passionis suæ dies in sua ipse cathedra collocavit. Quin etiam certamen sancti Petri apostoli in Cæsarea gestum cum Simone mago et virtutes ac mirabilia passim a sancto Petro plene descripsit. Ergo quia de sancto Clemente, successore prædicti apostoli, ac de sancto Dionisio disserui, ad propositum redeam.

37° Passio sanctæ Agnetis virginis et martyris (fol. 145^{r}-148^{r}).

Passio auctore S. Ambrosio, edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Jan., tom. II, p. 351-354.

38° Passio sanctæ Agathæ virginis et martyris (fol. 148^{r}-150^{v}).

Edita ibid., ad d. 5 Feb., tom. I, p. 615-618.

39° Passio sanctæ Julianæ virginis et martyris (fol. 150^{r}-154^{v}).

Edita ibid., ad d. 16 Feb., tom. II, p. 873-877.

40° Passio sanctarum Perpetuæ et Felicitatis (fol. 154^{r}-155^{v}).

Edita supra, tom. I, p. 158-161.

41° Passio sanctæ Eufemiæ virginis et martyris (fol. 155^{v}-159^{r}).

Edita apud Mombritium, tom. I.

42° Passio sanctæ Margaretæ virginis (fol. 159^{r}-162^{r}).

Edita apud Mombritium, tom. II. — In cod. deest prologus et ea pars Passionis quæ agit de certamine quod carceri inclusa beata martyr cum diabolo sibi apparente sustinuit.

43° Vita sanctæ Praxedis virginis (fol. 162^{r}-163^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 19 Maii, tom. IV, pp. 299, 300. — In cod. omissi sunt numm. 3 et 4, ac multæ occurrunt lectiones variantes.

44° Vita sanctæ Mariæ Magdalenæ (fol. 163^{v}-167^{r}).

Sermo auctore Adone Cluniacensi, editus in *Act. SS.*, ad. d. 22 Julii, tom. V, p. 218-222.

45° Translatio sanctæ Mariæ Magdalenæ (fol. 168^{r}-171^{r}).

Narratio constat Vita edita apud Faillon, tom. II, p. 432-436, cui in cod. præfixus est prologus de quo ibid., p. 436. In fine autem, pro *Femina enim nulla,* ita cod.: *Ac si fides meretur poscentis, largam inde, annuente Christo, quisque tam animæ quam corporis reportat benedictionem, præstante Domino nostro Jesu Christo.* Deinde ipsa Translatio exhibet textum de quo in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 516, 69°, addito insuper miraculo edito apud Faillon, tom. II, p. 737, IV. — Spatiolum ibi vacuum suppletur ex cod. nostro his verbis : *Cruribus tenus.*

46° Passio sanctæ Christinæ virginis et martyris (fol. 171^{r}-176^{r}).

Passio rebus narratis haud absimilis illi quæ edita est apud Mombritium, tom. I; sed. in cod. est prolixior.

47° Passio sanctæ Ceciliæ virginis et martyris (fol. 176r-178v).

Edita apud Mombritium, tom. I. — Ob folia excisa in cod. mutila est.

48° In festo sancti Hugberti episcopi, III Nonas Novembris (fol. 179r-181r).

Fragmentum Vitæ. Cfr. *Act. SS.*, ad d. 3 Novembris, tom. I.

49° Depositio beatissimi Leonardi, VIII° Idus Novembris (fol. 181r-182v).

Fragmentum Vitæ editæ apud Arbellot.

50° In festo sancti Martini, III Idus Novembris (fol. 183r-190r).

In cod. leguntur hic 1° capitula 2-5 cum priori parte capituli 6 Vitæ S. Martini auctore Sulpitio Severo (*Corpus script. eccles.*, tom. I, p. 111-116); 2° epistola ad Bassulam, inde ab his verbis: *Martinus igitur...* (ibid., p. 147-151); 3° cap. XLIII lib. I Historiæ Francorum (Migne, P. L., tom. LXXI, p. 184 sqq.); 4° initium epistolæ ad Aurelium diaconum (*Corp. script. eccl.*, tom. I, p. 142 sqq.); 5° capp. IV et V lib. I Miraculorum S. Martini (Migne, tom. cit., pp. 918, 919); 6° capp. 1 et 2 Dialogi secundi auctore Sulpitio Severo (*Corp. script. eccl.*, ibid., p. 180-182).

51° In festo sancti Brictii episcopi, Idus Decembris (fol. 190r-191r).

52° In festo sancti Maclovii, XVII Kal. Decembris (fol. 191r-193r).

Fragmentum Vitæ editæ apud Surium ad d. 15 Novembris, scilicet capp. I-V.

53° In octavis sancti Martini (fol. 193r-194v).

Fragmentum secundi Dialogi, scilicet numm. 3, 4 ac initium num. 5 (*Corp. script. eccl.*, tom. cit., p. 183-186).

54° In festo sanctæ Ceciliæ (fol. 194v).

Fragmentum prologi in Passionem beatæ Cæciliæ, editi apud Mombritium, tom. I.

55° In festo sancti Teodardi episcopi et martyris, IIII Idus Septembris (fol. 195v-197v).

Fragmentum Vitæ editæ in *Act. SS.*, ad d. 10 Sept., tom. III, p. 589 sqq., scilicet numm. 4-11.

56° In solemnitate sancti Lantberti martyris, XV Kalendas Septembris (fol. 197v-201v).

Fragmentum Vitæ auctore Stephano, editæ in *Act. SS.*, ad. d. 17 Sept., tom. V, p. 581 sqq., scilicet numm. 5-20.

57° In festo Cornelii et Cipriani martyrum, XVIII Kal. Oct. (fol. 201^{v}-202^{v}).

Passio sancti Cornelii edita apud Mombritium, tom. I.

58° Eodem die Cipriani martyris, de cujus passione hæ lectiones in II° nocturno leguntur (fol. 202^{v}-204^{r}).

Acta edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Sept., tom. IV, pp. 332, 333. — In cod. subinde quædam omissa sunt.

59° Dominica infra octavas sancti Lamberti (fol. 205^{r}-206^{v}).

Lectiones desumptæ ex Vita quam indicavimus modo, 56°, scilicet num. 23-30, nonnullis subinde in cod. omissis.

60° Vitæ sanctæ Elyzabeth (fol. 208^{r}-211^{v}).

Fragmentum Vitæ beatæ Elysabeth cujus auctor sub oculis habuit libellum *De dictis quatuor ancillarum S. Elizabeth* editum apud Menckenium, *Script. Rer. Germ.*, tom. II, p. 2012 sqq.; immo sæpissime ipsum ad verbum exscripsit. Initio tamen scribendi ratio multum discrepat.

Appendix ad cod. 7483-86.

DE S. CORNELIO PAPA ET MART. (Cfr. supra, pag. 60, 2°.)

Inc. In diebus illis, cum universus orbis terrarum Romanorum ditione gereretur, anno post passionem Domini centesimo octogesimo nono Decius, crudelissimus omnium, adeptus est cum filio Volusiano imperium. Qui cum crudelitatis suæ venena terræ marique infudisset, plurimos sanctorum per tormenta dignos transmisit ad superos, et in tantum fidei [et] christiani nominis odium prorupit ut clericos sine audientia passim puniri præciperet. Eodem tempore erat Romæ sanctissimus papa, nomine Cornelius, ex prosapia sancti Dalmatii : nam ipsi ambo de quadam nobili progenie Adamavorum fuisse referuntur, quæ inter Romanos emicuit. Etenim ille primus Cornelius, in secularibus gloriosus dignitatibus, et ille alius sanctus qui in Actibus Apostolorum inscribitur laudis suæ præconio, de hac fuisse memorantur. Hic igitur Cornelius, patre Crastino nomine generatus, arcem apostolatus strenue gubernavit annos duos, menses similiter duos et dies tres, Fabiano succedens; quique, ingenti fidei amore fervidus, minas sacrilegi tyranni non pavebat, ita ut tunc neptem Galieni Augusti, nomine Basillam senatricem baptizaverit atque corpora sanctorum apostolorum de Catacumbis noctu levaverit et Vaticano in Monte Aureo posuerit, tertio Kalendarum Julii. Similique modo etiam tunc quosdam nobiles baptizavit. Fuit namque in provincia Frigia Cleonius

nomine (1) ... baptizavit eos. Quanta autem fide et virtutibus eminens extiterit, et quam sancte et religiose ad episcopatum venerit vel in episcopatu conversatus fuerit beatus Cornelius, scribit beatus Cyprianus, episcopus et martyr gloriosus, in epistola ad Antonianum, his verbis : " Venio nunc (2) ... vicit. „ Hactenus beatus Cyprianus. Quare autem cum venerabilem ac beatum Cornelium episcopum tantis laudibus commendaret, interposuerit repente de alio tamquam illius æmulo qui contra eum episcopalem locum niteretur invadere, hæc causa est. Novatianus, Romanæ Ecclesiæ presbyter, adversus Cornelium cathedram sacerdotalem conatus invadere, elatione quadam tumidus lapsis spem salutis penitus ademerat, etiamsi digne pœnituissent: ex quo et princeps hæreseos extitit Novatianorum, qui ab Ecclesia separati superbo nomine semetipsos Catharos, id est mundos, appellaverunt. Ob quam rem concilium celeberrimum in urbe Roma congregatum est, episcoporum quidem sexaginta numero, presbyterorumque totidem, cum diaconibus plurimis. Præterea etiam per singulas quasque provincias de hac re deliberatione decreti significatur quid facto opus esset. Statuit ergo Novatianum cum his qui eum mentis elatione tumidum sequerentur quique ad inhumanam istam et nihil fraternæ caritatis servantem sententiam declinarent, alienum esse ab ecclesia; eos vero qui lapsi in certamine fuerant, fraterna miseratione curandos et fomentis pœnitentiæ medicandos. Cyprianus vero de his librum magnificentissime edidit, in quo et lapsos ad pœnitentiam cohortatur et contradicentes alienos esse a Christi visceribus statuit. Extat epistola Cornelii ad Fabium, Antiochiæ episcopum, scripta, in qua docet singula quæque de Novatiano, quis qualisque fuerit vel vita vel moribus et quomodo ab Ecclesia deviaverit, quodque episcopatus cupiditate quam intra se latenter gerebat in hæc omnia mala deciderit. Denique " Cum semper, inquit, fratribus jurare solitus esset episcopatum se omnino non cupere „ (3) ... Cujus Novatiani auctor atque incentor Novatus Cypriani presbyter fuit. Hoc malum adversus Cornelium et Ecclesiam perpetratum lamentatur et luget idem beatus Cyprianus in epistola sexta ad eumdem antistitem (siquidem ad eum octo scripsit epistolas), dicens : " Miseramus (4) ... fecit. „ Item in epistola tertia : " Datur, inquit, opera (5) ... audiatur. „ Et post pauca errorem eorum breviter destruens : " Primus, inquit, felicitatis (6) ... curatur. „

Sed et in quarta epistola quis qualisve Novatus, presbyter suus, extiterit et qualiter adversus eum rebellis Romam navigans Novatianum contra beatum Cornelium episcopum fecerit, his verbis exequitur : " Nam de Novato (7) ... illic episcopum fecit. „ Et post pauca : " Spoliati, inquit, ab illo pupilli ... prævenisse sententiam. „ Item de Novatiani insania, cæcitate atque superbia in præfata ad Antonianum epistola sic loquitur : " Quod vero (8) ... facere. „ Sed et in epistola ad Jovianum digna irrisione ejusdem Novatiani vecordiam denotans, ita dicit : " Nam Novatianus simiarum more (9) ... extiterit. „

(1) *Anal. Boll.*, tom. II, pp. 289, 299, numm. 1, 2. — (2) Migne, P. L., tom. III, p. 768-776, numm. VIII, IX. — (3) P. L., tom. cit., p. 738-742 seu num. II. — (4) Migne, tom, cit., pp. 703, 704. — (5) Ibid., p. 814. — (6) Ibid., p. 815. — (7) Ibid., p. 727-730, numm. II, III. — (8) Ibid., p. 790, num. XXIV. — (9) Ibid., p. 1111.

Inter hæc omnia tam dura et gravia, quæ sive per paganos principes persequentes sive per hæreticos insanientes intus forisque adversus Christi Ecclesiam diabolus excitaverat, cum vix adhuc Decianæ persecutionis procella cessaret, et Volusiani jam atrocitas desæviret et Valeriani rabida crudelitas immineret, gloriosus pontifex Cornelius inter tot turbines et tempestates naviculam Domini intrepidus gubernabat, sedens Romæ sub gladiis persecutorum et sequens Christum dicentem : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*, rebus fere ipsis et patientiæ virtute cum apostolo clamans : *Nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi, foris pugnæ, intus timores.* Et iterum : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Apprehensus itaque a persecutoribus, omni se fidelium populo prosequente et simul mori cupiente, Christum gloriose confessus Centumcellis exilio truditur, Decio jubente. Quique cum esset in exilio, non cessabat prædicare verbis et scriptis nomen Domini Jesu Christi. Itaque inibi multi christianorum veniebant ad eum et confortabant animum ejus in Domino. Alii vero ad eum scripta dirigebant, quo doloribus non cederet, sed immutabilis in Domino perseveraret. Quapropter beatus Cyprianus, fidei ejus et confessionis nuntio accepto, cum esset in Libyæ partibus constitutus, vehementer exhilaratus cum omni Ecclesia et gavisus in Domino, scripsit ad eum de Celerino lectore qui per multa tormenta martyr Domini gloriosus ante eorum oculos fuisset effectus, ut, ista aliaque exempla præ oculis habens, mentis obtutum a sancto incepto non deflecteret.

Gratulationes quoque et laudes ejusdem sancti Cypriani habentur apud nos ita ad ecclesiam conscriptæ : “ Cognovimus (1) ... cesset oratio. „ At ubi divinæ dispensationis nutu tempus affuit ut post invicta fidei et passionum certamina per martyrii gloriam perciperent a Deo immortalitatis coronas, ad aures iniquissimi Decii perlatum est qualiter se invicem milites Christi cohortarentur. Qui jussit sibi præsentari ... (*Et stylo subinde immutato refertur Passio edita apud Schelstraete,* Antiquitas Ecclesiæ dissertationibus illustrata, *tom. I, p. 188 sqq.*)

DE S. MAURITIO ET SOCIIS MART. (Cfr. supra, pag. 60, 7°.)

Post num. IX *pergit cod. :* At vero (2) ... ædificatâ reclinis esse cognoscitur. Neque enim hoc omittendum (3) ... frequentamus. Quid miraculi (4) ... circumtulit. Mulier quædam filium suum unicum ad hoc monasterium adducens, abbati tradidit erudiendum, videlicet ut, factus clericus, sanctis manciparetur officiis. Verum, cum jam spiritualibus eruditus esset in litteris et cum reliquis clericis in choro canentium psalleret, modica pulsatus febre spiritum exhalavit. Currit mater ad obsequium funeris; orbata, plangens et maternos profundens gemitus, sepelivit filium. Attamen non sufficiunt hæ lacrimæ doloris quæ in exequiis effusæ sunt;

(1) Fere tota epistola citatur, quæ exstat edita apud Migne, tom. cit., p. 830-838. — (2) Ibid., num. XI. — (3) Num. X. — (4) Num. XI.

sed per singulos dies veniebat, et super sepulcrum nati sui emissis in altum vocibus ejulabat. Cui tantum apparens per visum nocte beatus Mauritius, ait : *Quid tu, o mulier, incessanter obitum filii tui plangens numquam desistis a luctu ?* Cui illa : *Dies,* inquit, *vitæ meæ hunc planctum non explebunt ; sed, dum advixero, semper defleam unicum meum. Nec unquam mitigabor a lacrimis, donec oculos corporis hujus de vita mors concludat.* Cui ille : *Noli ita,* ait, *quasi mortuum flere ; sed æquanimiter age et scias eum nobiscum habitare et vitæ perennis consortio nobiscum perfrui. Et ut veraciter credas vera esse quæ loquor, surge crastina die ad matutinum et audies vocem ejus inter choros psallentium monachorum. Et non solum die crastina, sed omnibus diebus vitæ tuæ, cum veneris, audies inter choros psallentium vocem ejus. Ideoque ne fleveris ; quia gaudere te oportet potius quam lugere.* Surgit mulier longaque ducit suspiria, nec obdormit in stratu suo donec signum consurgendi in nocturnas laudes commoveatur a monachis. Quo commoto, accedit ad ecclesiam, aliqua de visione quam viderat probatura. Nihil enim præteriit de pollicitatione facta; sed quæ fuerant divinitus nuntiata, mox cognoscuntur impleta. Verum ubi a cantore antiphonam inchoante caterva suscepit monachorum, audit genitrix parvuli vocem : cognoscit, gratias agit Deo. Illud quoque quod martyris ore promissum habebatur prorsus impletum est, ut omnibus diebus vitæ suæ accessisset mulier ad psallentium chorum, audiret hujus infantuli inter reliqua modulamina vocem.

Cum autem Guntrannus (1) ... trutinari. Hæc tantum miracula Passioni sanctorum inserenda credidi.

Ceterum (2) ... Deo protegente conservatur. Propterea denique illic degentes mente et ore incessanter debitas Deo laudes reboant, quorum suffragiis sanctorum exultant gaudenter; et non solum illic, sed ubicumque vel in honore ipsorum martyrum ecclesiæ fabricantur vel eorum veneratio digne percolitur seu quocumque locorum eorum reliquiarum memoratio celebratur, non solum corporum sed animarum pleniter, sanctorum meritis, morbis subvenitur, auxiliante Domino et Salvatore nostro Jesu Christo, qui in plenitudine divinitatis cum Patre et vivificantis virtute sancti Spiritus vivit et regnat Deus per infinitatem omnium seculorum..Amen.

DE SS. FELICE ET ADAUCTO. (Cfr. supra, pag. 60, 9°.)

Passio sanctorum Felicis et Adaucti.

1. Temporibus Diocletiani et Maximiani, sceleratorum principum, gravissima persecutionis imminebat christianis insecutio. Compellebantur enim ad idolatriæ cultum : cui promptissima ratione resistebant, scientes scriptum : *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* Ea tempestate presbyter quidam, nomine Felix,

(1) Ibid., excerptum Gregorii Turonensis. — (2) *Acta SS.,* tom. VI Sept., p. 341, num. 201.

sanctæ Romanæ Ecclesiæ, eorum conspectibus præsentatur. Interrogatus autem cui deorum famulatum impenderet, respondit se christianæ religionis intemerato cordis amore servare fidem. Imperatores dixerunt : *Scis decreta principum ? quanta indignatione desæviant contra nomen istud ?* Ad hæc sanctus Felix intrepidus ait : *Licet infesta animadversio sit eorum, oportet tamen obedire Deo magis quam hominum jussis, cujus sapientia conditi sumus et providentia gubernamur.*

2. Hujus responsione ira permoti, jusserunt ut diis sacrificia immolaret. Quibus ait : *Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum, effigiem membrorum gestantia, sed sensu carentia ; sacrificium vero et libamen Deo nostro, protegenti secula. Est enim fortitudo et martyrum palma, qui fideles suos in agonia roborat, dicens : " Ne timueritis eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere ; sed eum qui potens est utrumque perdere in gehennam.*Tunc nimio furore arrepti, diversa suppliciorum genera inferri ante tribunal jusserunt. Quibus illatis, invictæ constantia fidei munitus clipeoque divinæ protectionis, ait : *Verbo Domini cœli firmati sunt et spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Impios siquidem vidi superexaltatos et elevatos sicut cedros Libani : et transivi, et ecce non erant ; quæsivi, et non est inventus locus eorum. Periit memoria eorum cum sonitu potestatis et nominis. Dominus autem Jesus Christus, adjutor in tribulationibus, æternitatis regnum cum Deo Patre et Spiritu sancto possidet, gloria et honore perpetuo sublimatum.*

3. Cumque intolerabili furor eorum indignatione fervesceret : *Affluentiam*, inquiunt, *verborum cessare facient incrementa pœnarum. Meditatione enim assidua oris tui locupletatur facundia. — Non est ita*, inquit, *ut assertionis vestræ declamatio testatur ; sed Spiritus ubi vult spirat, et vox Veritatis adimpletur qua fidelibus dicitur : " Ego dabo vobis os et sapientiam cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. „ Nec quid rationis in conspectu principum amici Christi prosequantur intendunt, dum devotione purificatæ mentis visio Dei omnipotentis semper manifestatur. Vobis autem, non colentibus eum, auctorem omnium invisibilem et majestatis immensæ, sed spem inanis gloriæ idolorum culturæ committentibus ipsiusque famulis terrores minarum et dira supplicia inferentibus pandentur portæ horrisono stridentes cardine, ubi quatit ultrix flamma sontes, sceleratorum animas torvi devorant angues, sulphureus amnis extorquet gemitus, ululatus et planctus. Illic tartarus bis patet in præceps et tantum tendit sub umbras quantum ad æthereum cœli est suspectus olympum. Cujus immanis hydra servat limina, quinquaginta atris hiatibus intentans miseris mortale exitium.*

4. Satellites igitur dæmonum, imperatorum jussis obtemperantes, equulei vexationem celeri sub festinatione applicant, suspensumque gravi membrorum cruciatione afficiunt. Qua Dei sacerdos acerbitate interritus, sævientibus aiebat : *Discite vel nunc, impii, Jesu Christi, Salvatoris mundi, potentiam. Largitur enim servis suis patiendi benivolentiam, tolerandi sufferentiam et perseverandi constantiam. Cor contritum et humiliatum non spernit, sed est ipsi acceptabile sacrificium spiritus contribulatus ; quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in illis.*

5. Hæc et his similia ministris referentibus, cœperunt judices impietatis inter se quærere quid facto opus sit ne sublimitas auctoritatis eorum unius hominis contumacia superari videretur et contemptus judiciariæ potestatis consulte ulcisci fateretur. Data itaque nefandissima præceptione, capitalem jussus est subire sententiam. Qua jussione hilarior redditus, gratiarum hymnos Deo Patri retulit, dicens : *Benedico te, Pater, unigeniti tui pretio redemptus, qui me ad hanc dignitatem gloriæ misericorditer perduxisti, ut effusione proprii sanguinis consortium adipiscar pro tui nominis confessione feliciter morientium.*

6. Cumque ad decollandum duceretur, Spiritus sancti gratia debriatus, obvius ei fuit quidam christianus, cujus mentem tanta vis superni accenderat amoris ut, nulla interveniente mora interrogationis, se christianum sponte profiteretur, malens temporalem vitam funditus eodem momento perdere quam ab æterna diutius vivendo elongari beatitudine. Hic mox comprehensus cum eodem decollatus est. Ejus nomen ignorantes christiani, Adauctum eum appellaverunt, quod sancto Felici auctus sit ad coronam martyrii. Geminatis ergo meritis et celebri perfectionis triumpho ingens gaudium supernis intulerunt civibus et solemnem lætitiam omnibus adhibuerunt eorum memoriam recolentibus. Passi sunt autem via Ostiensi, tertio Kalendas Septembris, aperiente illis gratia Christi januam regni cœlestis. Corpora quoque cum aromatibus linteis honeste composita sepulturæ decentissimo honore sunt tradita.

Nos tandem, mirabilem Deum in sanctis suis considerantes, supplici devotione debitas pietati ejus referimus gratias, qui mortis suæ nos informat exemplo simul et martyrum : ut spes nostra firma sit, dum corpora miraculis coruscant, animæ stola immortalitatis gloriantur, nomenque eorum in toto orbe terrarum celebre habetur et multiplici suffragio consolantur alumnos, semper intercedendo pro salute viventium. Horum fidei constantiam sequentes, in hac convalle lacrimarum inter varias tentationes positi, auxilium petimus, ut eorum interventu gradientes de virtute in virtutem pervenire valeamus ad visionem Jesu Christi, Domini nostri, benedictionisque ejus gratia confoveri, ad laudem et gloriam sui sancti nominis, qui cum æterno Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per immortalia secula seculorum. Amen.

XCII. Codex signatus nº 7487-91.

Foliorum nunc omnino 232 (quamvis series numerorum qui in summis foliis manu recentiori inscripti sunt, perveniat ad numerum 245; sed nonnulla folia excisa sunt *, alia perperam notata **), formæ majoris (0^m,405 × 0,28), columnis

* Folia 34, 35, 40, 43, 45, 47, 49, 58, 59, 88, 89. — ** Prætermissi scilicet sunt, quamvis nulla folia his locis desiderentur, numeri 136, 156, 176, 177, 197 et e diverso bis repetiti numeri 84, 122, 132.

binis, lineis graphide ductis, exaratus diversis manibus extremo seculo XIII. Tituli minio signati sunt, sicut et multæ litteræ majores initiales, aliæ vero cæruleo aut viridi coloribus et plus minus ornatæ. Exordio singulorum fere documentorum conspicitur ingens littera variis coloribus ambitiose et plerumque satis insigni et eleganti arte depicta. In capite codicis, interiori scilicet tegumento, inscripta est nota olim Bollandiani musei Q Ms 4.

1° Textus vitæ, actuum atque obitus beati Remigii Remorum pontificis et Francorum apostoli, cujus depositio est Idus Januarii, translatio autem Kalendas Octobris (fol. 1r-27r).

Vita auctore Hincmaro edita ex hoc codice in *Act. SS.*, ad d. 1 Oct., tom. I, p. 131-166. — Monuerunt in Annot. *cc* (p. 148) editores nonnulla legi in cod. quæ ipsi duxerunt omittenda.

2° De reliquiis beati Remigii per S. Moderannum in Italiam delatis (fol. 27r-27v).

Narratio desumpta ex Flodoardi *Historia Remensis Ecclesiæ*, lib. II, cap. 20 (*Monum. Germ.*, Scr. tom. XIII, pp. 443, 444). Cfr. *Act. SS.*, tom. cit., pp. 123 et 124, num. 351-354, ubi etiam notatæ sunt additiones quæ in cod. leguntur.

3° Quomodo beatus Remigius in seculi hujus convalle lacrimarum ascensiones in corde suo disposuit et de virtute in virtutem gratia Dei excrevit, et pro quibus ipse atque alii sancti Dei orant, quia jam cum Deo spiritu in cœlo regnant, et qualiter orantes ad sepulcrum ejus præparare se debent ut exaudiantur, et qualiter munitis corpore et sanguine Christi et unum cum eo effectis nobis est exeundum de corpore (fol. 27v-32r).

Editum apud Migne, P. L., tom. CXXV, p. 1187-1198. Cfr. *Act. SS.*, tom. cit., p. 64, numm. 25, 26. — In cod. inter cap. XII et XIII sequentia inserta sunt : 1° miraculum de archiepiscopo Magontiæ verberato (fol. 29v et 30r), editum in *Act. SS.*, tom. cit., pp. 185, 186, num. 1-5; sed num. 3 hæc phrasis : *Posteaquam domnus-censum recepit* omissa est, itemque num. 5 : *Quo comperto-victus attribuit.* 2° (fol. 30v) miraculum enarratum ibid., p. 186, num. 7.

4° Sequitur exemplar testamenti beati Remigii (fol. 32r-33v).

Editum ope hujus cod. in *Act. SS.*, tom. cit., p. 167-169.

5° Sequuntur metrici versus conscripti in loculo argen-

teo in quo reconditum est integrum corpus beati Remigii (fol. 33[v]).

Editi ibid., p. 114, num. 303; cfr. num. 304.

6° Isti sequentes versus sunt scripti in scrinio corporis sancti Remigii, in linea inferiori per circuitum (fol. 33[v]).

Editi ibid.; cfr. ibid., num. 304.

7° Exemplar epistolæ beati Benedicti abbatis ad S. Remigium præsulem (fol. 33[v]).

Exordium scilicet hujus epistolæ (reliqua desiderantur, foliis excisis) editum ex hoc cod. ibid., p. 73, num. 77.

8° [Vita S. Hadelini confessoris acephala] (fol. 36[r]-38[v]).

Vita auctore Notgero, edita in *Act. SS.*, ad d. 3 Febr., tom. I, p. 372-376. – In cod. ob folia excisa desunt numm. 1, 2 cum initio num. 3 usque ad hæc verba : *beatum præesse Remaclum : hunc.*

9° Vita S. Vedasti episcopi et confessoris (fol. 38[v]-42[v]).

Vita auctore Alcuino, edita in *Act. SS.*, ad d. 6 Febr., tom. cit., p. 794-799. — In cod. ob folium excisum deest num. 9, inde a : *pontifex apostolum dicere Paulum* usque ad hæc verba num. 19 : *famuli obitum Deus.*

Post Vitam, sub titulo : *Epistola Albini levitæ ad Ratonem abbatem de vita S. Vedasti episcopi et confessoris,* ponitur prologus edit. tom. cit., pp. 794, 795, seu num. 1-4. Cfr. annot. *a*, p. 795.

10° Omelia ejusdem in die natalis sancti Vedasti, dicenda ad populum (fol. 42[v]).

Edita ibid., p. 800. – Sed in cod. ob fol. excisum mutila. Abrumpitur enim in verbis *in qua regnat cum Christo* (num. 2 initio).

11° [Sermo Haimini acephalus] (fol. 44[r]).

Editus ibid., pp. 802, 803. Incipit ad hæc verba : *[cor]poribus hominum heu quia solent* (num. 2 sub fin. — Cfr. infra, 14°).

12° Libellus de virtutibus sancti Vedasti, diversis temporibus ostensis, sed nuper a fratribus ejusdem cœnobii in unum collectis (fol. 44[r]-46[v]).

Editus ibid., p. 805-808. — Sed (quum folia 45 et 47 excisa sint) desiderantur numm. 3-7 ; item initium num. 8 usque ad hæc verba : *Habebat itaque idem bonus vir...* ac num. 11-14 una cum parte num. 10, inde a *venire electus Eligius.*

13° [Miracula S. Vedasti] (fol. 48[r]-48[v]).

Miracula auctore Haimino, edita ibid., pp. 801, 802. — Sed initio mutila, incipit narratio ad hæc verba : *die per ecclesiam vadens...* (num. 4, initio).

14° Sermo habitus in natali S. Vedasti, a magistro Haimino editus, de duobus parvulis meritis viri Dei sanatis (fol. 48ʳ).

Initium scilicet (num. 1-2 extr.) sermonis de quo supra, num. 11°.

15° [De miraculis S. Vedasti] (fol. 50ʳ-52ᵛ).

Editum in *Act. SS.* (sub titulo *Historia translationis S. Vedasti,* etc.), tom. cit., p. 809-812. Sed in cod., exciso folio 49, deest initium (num. 1-2, lin. 11). Ad fin. hæc leguntur : *Expliciunt pauca de miraculis S. Vedasti edita a venerabili Ulmaro monacho et presbitero.*

16° Epistola Huberti presbiteri ad Haiminum (fol. 52ᵛ-54ʳ).

Edita ibid., p. 803-805.

17° Vita sancti ac beati Amandi episcopi et confessoris, cujus memoria recolitur octavo Idus Februarii (fol. 54ʳ-57ᵛ).

Vita auctore Baudemundo, edita in *Act. SS.*, ad d. 6 Febr., tom. I, p. 848-854. — In fine mutila est in cod. (excisis foliis 58, 59) desinitque ad hæc verba : *lumen amisisti cor* (num. 24 extr.).

18° [De translatione S. Amandi] (fol. 60ʳ-61ᵛ).

Sermo Milonis, monachi Elnonensis, editus ibid., p. 889-891. — In cod. exordio mutilus. Incipit ad hæc verba : *inquiens Domine virtutum tabernacula* (num. 2 initio).

19° Sermo de elevatione corporis beati Amandi, quæ facta est a Lothario custode, anno ab incarnatione Domini octingentesimo nono, a transitu vero prædicti patris centesimo quinquagesimo, die vicesimo mensis Septembris (fol. 61ᵛ-64ʳ).

Editus ibid., p. 891-893.

20° Vita sancti ac beatissimi Sulpicii, episcopi Bituricæ urbis; cujus sollemnitas recolitur XVI° Kl. Februarii (fol. 64ʳ-66ᵛ).

Vid. Append.

21° Vita S. Silvini Tarvanensis episcopi (fol. 66ᵛ-69ʳ).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 17 Febr., tom. III, p. 29-31. — Prologus in cod. deest.

22° Vita S. Ansberti Rotomagensis episcopi (fol. 69ʳ-77ᵛ).

Vita auctore Aigrado, edita in *Act. SS.*, ad d. 9 Febr., tom. II, p. 347-356.

23° Vita S. Ambrosii, archiepiscopi Mediolanensis eccle-

siæ et confessoris Christi, dictata a S. Paulino presbytero *(ita corr.; prius* episcopo) (fol. 77^{v}-84^{v}).

Edita apud Migne, P. L., tom. XIV, p. 27-46.

24° Passio S. Cesarii martyris (fol. 84^{v}-87^{r}).

Edita ope hujus codicis in *Act. SS.*, ad d. 1 Novemb., tom. I, p. 106 sqq.

25° Vita beati Marculfi confessoris Christi (fol. 87^{r}-87^{v}).

Fragmentum Vitæ editæ in *Act. SS.*, ad d. 1 Maii, tom. I, p. 71-75; scilicet num. 1-3 cum parte num. 4, qui mutilus manet ad hæc verba: *Dei præsentia admodum.*

26° [Vita S. Augustini acephala] (fol. 90^{r}-97^{v}).

Vita auctore Possidio, edita in *Act. SS.*, ad d. 28 Aug., tom. VI, p. 427-440. — Initio mutila incipit: *id placere Augustinus...* (num. 34 sub finem). Post num. 67 legitur in cod. epistola ad Honoratum, de qua videsis tom. cit., p. 441, annot. *i.* Edita est hæc epistola apud Migne. P. L., tom. XXXIII, p. 1013 sqq., epist. CCXXVIII.

27° Vita beati Germani Autisiodorensis episcopi (fol. 97^{r}-111^{v}).

Vita auctore Constantio, edita ope hujus codicis in *Act. SS.*, ad d. 31 Julii, tom. VII, p. 201-220. — In cod. Vitam præcedunt 1° epistola Constantii ad Patientem, Lugdunensem episcopum, edita tom. modo cit., p. 200; nec non 2° procemium ibid. editum p. 201, annot *b.* Deest autem in cod. epilogus de quo ibid., p. 220, annot. *o.*

28° Vita S. Germani Parisiensis episcopi (fol. 111^{v}-119^{r}).

Vita auctore Venantio Fortunato, edita in *Act. SS.*, ad d. 28 Maii, tom. VI, p. 778-787. — Ob folia excisa deficit codex inde a medio num. 1 *(fecisse virtutem quam nasci contigerit)* usque ad hæc verba num. 16: *putredine resoluta vigore.*

29° Vita beati Martialis apostoli, Lemovicensium episcopi (fol. 119^{r}-130).

Edita apud Surium, ad d. 30 Junii.

30° Vita beati Jeronimi presbiteri (fol. 130^{r}-134^{v}).

Edita apud Migne, P. L., tom. XXII, p. 202-214.

31° Vita S^{tæ} Gertrudis, eximiæ virginis (fol. 134^{v}-157^{r}).

De hac Vita vide supra, tom. I, cod. 5649-67.

32° Vita S. Servatii episcopi et confessoris (fol. 157^{r}-170^{v}).

Vita fabulosa de qua egit cl. J. Heller in *Mon. Germ.*, Scr. tom. XXV, p. 6 (in Prolegomenis ad *Gesta episcoporum Leodiensium,* auctore Ægidio Aureævallensi). Ut monet Heller, hæc Vita quam sæpe ad enarranda gesta S. Servatii adhibuit

Ægidius, hucusque manet inedita. Reperitur etiam in cod. Bruxellensi 8401 (de quo infra agemus) et in cod. nostro signato 6 (43, III). Hanc, quum collata fuerit cum aliis exemplaribus, in *Analectis* nostris edemus.

33° Vita S. Nicholai, Myrrorum archiepiscopi, miræ sanctitatis viri (fol. 170v-185v).

Vita edita apud Carminium, p. 112 sqq. — Sed hæc notanda videntur :

Num. II om. in cod. inde ab his verbis : *De qua quia se occasio* usque ad finem.

Num. III om. inde a verbis : *Quis rex immense Deus* usque ad finem.

Num. IV. *Proh pudor-sermone replevit* om., itemque *Sed cum nollet*, usque ad finem.

Num. V. *O pueri Jacob-ignoraret sinistra* om. Dein *Tandem aliquantisper* usque ad finem om.

Num. VI : *ut etsi Homerus-indagare eligimus* om.

Num. VII : *Mira prorsus mira et stupenda* usque ad finem om.

Numm. XII et XIII referuntur secundum lectionem Mombritianam.

Numm. XIV-XVII(bis) om.

Inter primam et secundam phrasim num. XXI leguntur duo miracula edita in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 151-156, et concluditur tota narratio adhortatione quadam, edita apud Carminium p. 126, num. XV : *Lætemur ergo...*

Tandem addere juvat occurrere in cod. lectiones variantes optimas.

34° Translatio corporis beati Nicholai Mirreorum archipræsulis (fol. 185v-195v).

Edita in *Anal. Boll.*, tom. IV, p. 169 sqq.

35° Vita beati Eligii confessoris Christi, Noviomensis episcopi (fol. 195v-235r).

Vita Auctore S. Audoeno, edita apud Migne, P. L., p. 479-594. — In prologo, ab his verbis : *Unde lectorem obsecro ut vilitatem nostri* (p. 479 media) omnia om.

Lib. II, cap. XIV extr. om., inde a *Nam collectis undique* usque ad finem ; itemque capp. XV, XVI. Desunt quoque epistolæ duæ subnexæ ipsi Vitæ (p. 592-594).

36° Vita S. Severini, Coloniensis archiepiscopi (fol. 235r-237v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 23 Oct., tom. X, p. 56-59.

37° Vita beati Gregorii breviter deflorata (fol. 238r-244v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 12 Martii, tom. II, p. 130-137.

38° De S. Aniano (fol. 244v-245r).

Editum apud Hubert, *Antiquitez historiques de l'église royale de Saint-Aignan d'Orléans*, Preuves, pp. 4, 5. — In cod. hæc in modum prologi leguntur :

Nec illud silere volumus nec debemus in tempore quod de patrono nostro, sancto Aniano, de ejus vita vel virtutibus a veracibus senioribus nostris edicere audivimus ;

ut ad laudem sui nominis aliquid breviter de ejus origine vel operibus scribere non pigeamus, ut cunctis legentibus non sit onerosum et audientibus crebra oratio fiat ad salutem.

39° [Epistola Jacobi de Vitriaco ad beatam Lutgardem] (fol. 245v).

Edita a Julio de Saint-Genois in *Mémoires de l'Académie royale de Belgique*, tom. XXIII, p. 33.

Appendix ad cod. 7487-91.

DE S. SULPITIO PIO EPISC. BITUR. (Cfr. supra, pag. 73, 20°.)

Incipit præfatio in vita sancti ac beatissimi Sulpicii, episcopi et confessoris Bituricæ urbis.

1. Scripturus vitam sancti ac beatissimi Sulpicii episcopi, illustratorem ejus Spiritum sanctum corde flagito [1] humili, quo, demptis sceleribus cunctis, largiri dignetur facundiam menti [2] scribentis, ut [3] audita atque lecta queam dignis promere verbis. Cujus venerabiles actus nimia antiquitate aboliti, ab hominum memoria penitus sunt abrasi. In quodam mendoso prorsus repperi codice; quod huic inserere melius malui scedulæ. Hujus ergo sanctissimi virtutes nequaquam tentabo exarare omnes; sed pandam paucis quæ mihi innotuerunt paginæ veteres. Sancti etenim præclara sua latere merita malunt quam per fallacium favores diffundi. Obsecro autem ista lecturos ne quid hic leporis requirant, verum ab inerti [4] scripta vera relegant. **Explicit præfatio.**

Incipit vita sancti ac beatissimi Sulpicii, episcopi Bituricæ urbis. Cujus sollemnitas recolitur XVI° Kl. Februarii.

2. Fuit igitur venerabilis confessor Domini Sulpicius Galliæ provinciæ urbisque Bituricæ exortus, nobilis quidem genere, sed multo nobilior fidei dignitate [1]. Inter suos clarus ac divini muneris gratia habebatur præcipuus. Hujus quippe sancti viri infantia sacris quibusdam miraculorum indiciis præfulgebat. Sacris etiam sacerdotibus traditus est, litteris erudiendus. Quorum instituta atque vitæ honestæ imitatus exempla, Deo auspice qui eum prævidebat vas electionis futurum, ad summam pervenit religionis normam. Cum ætatis vero augmento crescebat totius

Præf. — [1] (*Variantes lectiones sunt codicis Brux.* 9636-37.) imploro. — [2] (f. m.) m. f. — [3] et. — [4] inertiæ.

Num. 2. — [1] (n. f. d.) f. n. sanctitate.

sanctitatis bono. Ita provectus in virile robur, totum se transfudit in Dei obsequium, ostendens exterius quod interius latebat bonum. Ait super hoc evangelicus sermo : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* [2].

3. Erat vir præfatus, sanctus scilicet Sulpicius, forma præcipuus, corpore cordeque castus, affabilis alloquio, amabilis aspectu, prudentia præditus [1], humilitate laudabilis, caritate redimitus et cunctarum virtutum floribus ornatus [2]. Adhuc in seculari habitu constitutus, nihil aliud meditabatur quam de ecclesiis atque monasteriis construendis. Quidquid habebat [3] terrenæ facultatis egenis [4], peregrinis et captivis impendebat. Terrena quoque omnia parvipendens, cœlestia mente contemplabatur, dicens cum apostolo : *Nostra conversatio in cœlis est.* Egenus extitit mundo, ut perpetes acquireret thesauros in cœlo, quibus fruitur triumphans modo. Ob castitatis amorem sprevit ex asse [5] carnis conjunctionem. Fervore præterea cœlestis patriæ, abrenuntiatis seculi pompis, proprii [6] tonsuram expetiit capitis, quo per clericatus vilitatem aptius semetipsum transfunderet in Dei omnipotentis servitutem. Factus autem clericus, in Christi sorte est fundatus, dicens cum psalmista : *Tu es susceptor meus, Domine*, et : *Dominus pars hereditatis meæ et calicis mei ; tu es qui restitues hereditatem meam* [7] *mihi.* Post hæc almus Sulpicius, omni justitia plenus, exornatur ecclesiasticæ dignitatis gradibus, quibus per omnia erat dignus, et apparuit omni populo jocundus, qui divinis extiterat infulis comptus.

4. Defuncto siquidem Bituricæ civitatis præsule, omnis clerus cum populo, omnis ætas omnisque sexus sanctum elegit Sulpicium ad episcopalem sublimare sedem. Renitente vero totis viribus eo ac indignum se fore proclamante tanto honore, volente Deo electio populi adimpletur, summusque consecratur sacerdos in eadem Biturica urbe. Jam etenim, sumpto episcopatus honore, qualem quantumve sese cunctis exhibuerit, non est meæ facultatis evolvere. Idem namque constantissime perseverabat qui prius fuerat. Eadem in corde humilitas, eadem in ipso devotio permanebat. Censura æqui regiminis [1] metuendus, lenitate pietatis erat diligendus, asper perversis, dulcis benivolis. Pauperum quoque [2] ac viduarum consolator, assidua dapsilitate præbebat eis victus vestitusque necessaria. Talentum vero sibi divinitus creditum non in humi fossa abscondit ; sed, omnes verbis docens et [3] exemplis roborans, viam salutis æternæ cunctis ostendebat, benigne cupiens illam Domini piam sententiam audire : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam ; intra in gaudium Domini tui.*

5. Post illud fere tempus quidam vir nobilis, nomine Theogesilus [1], jussu regis venit ad memoratum pontificem, beatum Sulpicium, pro quibusdam suis necessitatibus petiturus ab eo consilium. Ipse namque sanctus antistes [2], solitam dilectio-

— [2] (P. v. q. in c. e.) v. q. in c. e. P.

Num. 3. — [1] patientia robustus *add.* — [2] adornatus. — [3] etiam *add.* — [4] *om.* — [5] (ex asse) exarsæ. — [6] propriam. — [7] (r. h. m.) h. m. r.

Num. 4. — [1] (æ. r.) r. æ. — [2] *om.* — [3] *om.*

Num. 5. — [1] Theutgisilus. — [2] (s. a.) a. s.

nem exhibens, alacriter eum suscepit; et sicut erat ei consuetudo, Dominicæ prædicationis verba evangelizavit ei. Post sacram vero ammonitionem ad convivium suum vocare illum dignatus est. Cumque esset hiemis tempus, propter vim algoris ignem in domo sua accendi præcepit. Ministri autem, jussionem episcopi complentes, instruxerunt copiam lignorum, ut magnum concinnarent ignem. Dum siquidem alia satagentes, de vi incendii [3] minime cogitarent, mox contigit ut domus eadem, crescentibus flammis altius, in superioribus concremaretur. Domno ergo pontifice cum viro prædicto ad refectionis mensam sedente ac igne sublimius invalescente, ministri non valentes incendio resistere, domus egressi limine, fugam petiere. Tandem incumbente necessitate sanctus foras exiens, manum [4] in altum extendens signum Dominicæ crucis opposuit, et ilico, sedatis flammis, validissimus ignis vim suæ virtutis amisit. Omnes itaque qui aderant, videntes divinam in beato viro virtutem, glorificantes benedicebant Deo, mirabilia semper facienti. Quid autem stupendum in hoc facto, quidve faciendum* nisi omnipotentem ubique Deum laudare et benedicere qui suos taliter magnificat servos? Iste namque sanctus jam dudum in seipso omnes extinxerat libidinis flammas: ideo valuit de tecto ingentes extinguere flammas.

* *cod.* fatendum.

6. Aliud hujus magni sacerdotis Sulpicii non est prætermittendum virtutis signum, quod per eum ad laudem suam Dominus est dignatus ostendere. Homo quidam habens filium annorum ferme decem, a nativitate omnimodis mutum, aliis parentibus adolescentis secum assumptis, adduxit ad sæpe dictum antistitem sanctum, lacrimosis obsecrans precibus ut adolescentulo manum suæ pietatis porrigeret, ac pro eo preces ad Dominum funderet. Beatus vero Sulpicius pontifex, suscepto alacriter adolescente, flexis sacris genibus in terram atque oculis et [1] manibus ad cœlos protensis, oravit devotissime, dicens: *Domine, rex regum, creator totius seculi, qui* [2] *ad tuæ imaginis similitudinem plasmasti hominem* [3] *ac rationabili intellectu ornasti, obsecro misericordiam tuæ majestatis, qui habes omnium hominum flatum in manu tua, aperi os pueri istius, ut loquatur recte et laudet et* [4] *glorificet atque benedicat te, Deum* [5], *factorem suum ac confiteatur nomini tuo magno, quod est benedictum in secula seculorum.* Sanctus autem Domini confessor surgens ab oratione, accessit ad puerum tetigitque labia ejus, et benedicens ait: *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, veniat in te communis hominum locutio.* Confestim itaque apertum est os pueri et loquebatur recte, magnificans omnipotentem Deum atque sanctum illius servum Sulpicium, cujus almis precibus ac meritis fabatur [6]. Spiritus enim Domini replens omnia habensque scientiam vocis, erat in isto suo famulo: ideo agere quibat multa, his similia orando.

7. Non est præterea tegendum silentio quod suo tempore sanctus Sulpicius in [1] civitate Bituricas nullum permisit hæreticum nec gentilem vel [2] Judæum sine baptismi gratia manere. Multi namque ante ejus ordinationem Judæi habitabant in

— [3] (vi i.) incendio. — [4] magnum.

Num. 6. — [1] ac. — [2] hominem *add.* — [3] *om.* — [4] *om.* — [5] *om.* — [6] fatebatur.

Num. 7. — [1] sua *add.* — [2] nec.

supradictam [3] urbem absque baptismate. Suscepta itaque episcopali benedictione, secundum apostoli Pauli [4] dictum suadendo, increpando, obsecrando hortabatur eos ad fidem veram converti, evangelicum illud ipsis [5] objiciens : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum.* Nam diebus ac noctibus eorum conversionem fieri deprecabatur, ut Deus omnipotens auferre dignaretur velamen duritiæ de illorum cordibus [6] et, errore perfidiæ spreto, cognoscerent Deum verum [7] atque unigenitum Filium ejus, Dominum nostrum Jesum Christum, cum Spiritu sancto. Illi vero obtemperantes ejus salutiferis monitis, primo quidem pauci, deinde autem omnes, ad baptismi gratiam, superna operante clementia, convolarunt. Ecclesiastico itaque [8] more baptizatos monuit dulcibus alloquiis quo baptismi gratiam corde mundo ac [9] corpore casto diebus vitæ suæ conservarent : quia melius est viam veritatis non cognoscere, quam post agnitionem retro converti. Nullus vero mortalium in illa regione cupientium Deo placere præfato pontifici sancto poterat æquari : ita erat pervigil in orationibus, frugi in jejuniis multis, patiens in adversis, humilis in prosperis, caritatosus in cunctis, diligens tota anima, tota virtute Deum et omnes proximos ut semetipsum, inimicos quoque pro superno amore. Valvas etiam sedis pontificalis nullo tempore, nulla umquam necessitate compulsus egrediebatur, nisi psalterium psallendo totum compleret.

8. Eodem tempore, nimia succensus cupiditate, rex Dagobertus misit actorem suum crudelitate plenum ad urbem Bituricas, præcipiens ei suæ mentis malivolæ agere voluntatem. Qui tamen actor [1], totius pietatis oblitus, justitiæ omnis immemor, tyrannicas leges et insolitas consuetudines plebi imposuit Bituricæ. Illi vero, subito nuntio hebetati, regis imperio obtemperarunt nimio terrore [2] perculsi. Qua denique [3] afflictione cogente, universus Bituricæ regionis [4] populus una congregatus ad sancti Sulpicii præsentiam flentes et ejulantes venerunt. Tanta autem multitudo plangentium ac lugentium advenit, ut præ vocibus immanium gemituum sonus eorum procul diffunderetur. Omnes siquidem, solo prostrati, una voce et lacrimosis precibus beatum [5] supplicant pontificem [6], quatinus illis in [7] necessitatibus suis gravibus subveniret, ac pastor bonus, ovium suarum fletibus solita pietate condolens, opem ferendo liberaret eos [8] de imminenti oppressione. Vir quippe Dei, motus pietatis visceribus et compatiens illorum afflictionibus [9], ad lacrimas usque miserando prorumpit. Indicto [10] etiam jejunio per triduum, cum ipsis Domini [11] misericordiam exoravit, ut, misertus populo suo rex æternus, auferret afflictionem quam super eos posuerat [12] rex impius. Cum consultu itaque sacerdotum elegit quemdam de ministris suis, virum prudentem, et direxit eum ad religiosissimum Ludovicum regem [13], qui tunc temporis præfato tyranno successit in regnum. Præcepit namque illi ut summa industria clementiam regis posceret, ut

— [3] (in s.) prædictam. — [4] *om.* — [5] eis. — [6] (i. c.) c. i. — [7] (D. v.) v. D. — [8] autem. — [9] et.

Num. 8. — [1] *om.* — [2] (n. t.) timore. — [3] *om.* — [4] *om.* — [5] beato. — [6] pontifici. — [7] *om.* — [8] eum. — [9] afflictioni. — [10] Interdicto. — [11] Dei. — [12] imposuerat. — [13] (L. r.) r. L.

afflicti populi misereretur [14] et jugo gravissimæ servitutis oppressum dignanter regia benignitate absolveret. Continuo igitur ut præconis vox ex parte supplicantis pontificis pervenit ad pii [15] regis auditum, assensit clementer petitioni episcopali [16] populumque de illo gravi censu relevari et descriptionem quæ fuerat facta male, in præsenti reddi præcepit benigne. Quis namque dubitet hujusmodi clementiam apud regem obtinuisse, nisi beati viri merita promeruissent [17], quæ sic habentur efficacia et erga Deum et erga homines?

9. Cum ergo memoratus Christi pontifex tanto onere in ecclesiarum sollicitudine [1] et pauperum cura [2] universæque plebis negotiis [3] videret [4] se, fessum senio, prægravari, petiit sibi solatium, virum eruditum [5], a rege, qui secum tanti regiminis pondus sufferre valeret. Cui rex devotissime præbens assensum, petitionis tribuit effectum. Sanctus vero solita humilitate atque benigna caritate, quam prius cœperat, pauperum curam gerebat, magisque deinceps stipendia egenis subministrans, quia, partito in alio [6] onere, talibus negotiis attentius vacabat. Nonnulli autem insani sensus sanctum virum insidiose calumniabantur [7] quod, episcopatus honorem vilipendens, alteri tradidisset ac in pauperum susceptione ac si stultus gauderet. Sed vir altioris ingenii, nihil super eorum detractionibus curans, in cœpto Dei opere [8] persistebat et, laudem ab hominibus non requirens, jactantiæ etiam vanitatem totis nisibus fugiens [9], inflexibiliter cœlestibus præceptis erat intentus, sciens scriptum de boni actus perseverantia : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

10. Factum est itaque, cum vellet omnipotens Dominus [1] egregii sui confessoris merita præclara laborisque præcipui remunerare, exigua tactus infirmitate, plenus dierum atque justitiæ, cum virtutum dulcifluo nectare migravit ad cœlestia regna. Ergo sanctum corpus juxta christianorum morem cum honore maximo asportaverunt sui discipuli in oratorium. Cum autem pontificis beati corpus ad tumulandum deferrent, tanta multitudo egenorum et reliquæ plebis lugentium occurrit sancto funeri [2], ut quasi tonitruo esset locus ille plenus : ita vociferantium vocibus fremebat. Inter frementium lacrimosas voces [3] hæc resonabant [4] verba : *Cui, pastor benigne, deseris oves quas acquisisti Christo, Dei Filio? quas hactenus de malignorum dentibus protexisti. Tu antiqui hostis, humanum genus* [5] *pellicentis, tela sacris pedibus ac dignis* [6] *meritis procul pellebas ; onera regio jussu miseris injuste imposita mirabili humilitate mitigabas. Tu ipse a nobis cunctas* [7] *debilitates orando proturbabas* [8] *; et omnis nostra salus in tua virtute manebat. Væ nobis, modo perituris, quibus vivendi ablata est spes. Quid ultra nobis agendum? In tua morte sancta hodie nobis nata est mors amara. Suscipe itaque nostros, pie pater, fletus, saltem modo, ad cœlorum gloriam migrans : et quam non meremur veniam, a superno rege impetrare dignare, cui in hac valle lacrimarum tanto*

— [14] miseretur. — [15] piissimi. — [16] (p. e.) e. p. — [17] promeruisse.

Num. 9. — [1] sollicitudinem. — [2] curam. — [3] negotia. — [4] *add.* et *post* videret. — [5] erudiendum. — [6] aliis. — [7] calumniantes. — [8] (D. o.) o. D. — [9] *om.*

Num. 10. — [1] Deus. — [2] (s. f.) *om.* — [3] (f. l. v.) l. v. f. — [4] resonabantur. — [5] (h. g.) g. h. — [6] *om.* — [7] omnes. — [8] perturbabas.

amore servisti omni tempore. Totis ergo animæ viribus tuam oramus sanctitatem, ut tuarum quas relinquis ovium non obliviscaris, sed [9] *miserearis, cum ante regis æterni conspectum, regali ornamento* [10] *indutus, splendens astabis. Pro tuis* [11] *quidem magnis meritis tibi gloria angelorum amodo* [12] *manebit; nobis autem si tua defuerit protectio, malignorum oppressio per omnia secula manebit. Miserere nostri, optime pastor, miserere nostri* [13] *et omnium qui ad tuas sanctas confugium reliquias faciunt; atque cuncti, quicumque tua suffragia quærunt, mereantur adipisci optata cœlitus gaudia, te operante Deoque præstante. Amen* [14].

11. Sepulto siquidem sancto honorifice corpore, tanta populorum multitudo cœpit ecclesiam in qua humatum est frequentare, ut ipsa etiam [1] nequiret suscipere. Idcirco domnus et venerabilis abbas Dominicus eamdem basilicam ampliavit, ne, sua brevitate spreta, horresceret eam turba. Hac luce vero [2] mundiali [3] caruit hic sanctus sacerdos sexto decimo Kalendas Februarii, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et potestas cum æterno Patre et Spiritu sancto per immortalia secula seculorum. Amen.

12. Frequentatur autem idem sepulturæ sanctæ locus multum a multis [1], quoniam sui situs amœnitate placet cunctis. Est autem jocunda planitie in gyro aquis fluentibus, mira pratorum pulchritudine, uberrimis vineis et farrigeris agris visu nimis delectabilis ac omni formositate amabilis locus.

Hinc vineta micant, illinc herbosaque prata.
Gramineos agros circumdant æquora blanda.
Hunc sibi vir Domini providerat ante locellum,
Esset qui populis gratus venientibus illuc.
Hic paradisiacas epulas capit ecce viator,
Peccati veniam quærens ex corde fideli.
Cum victu modico terris bona sumit Olympi,
Hic orante pio patrono Cunctipotentem,
Gloria, laus et honor cui permanet omne per ævum.

Cœperunt quoque populi de tota illa provincia sancti ac [2] beatissimi Sulpicii avidissime [3] frequentare sepulturam et omni alacritate venerari, audientes procul signa quæ quotidie fiebant per ejus gloriosa merita ibi, ad honorem et laudem Domini nostri Jesu Christi. Tanta autem multitudine advenientium turbarum utriusque sexus et ætatis atque languentium fletibus replebatur sanctus ille locus, ut sacerdotes ac levitæ ministrare nequirent, neque officium sacerdotale implere in ecclesia sicut mos est celebrare.

13. Factum est autem post paucos almi confessoris dormitionis dies, erat quidam vir [1], Eligius nomine, in Bituricæ urbis territorio commanens, qui, longo

— [9] pie *add.* — [10] indumento. — [11] (P. t.) *ita videtur legendum; cod.* Potius. — [12] modo. — [13] (m. n.) *om.* — [14] *om.*

Num. 11. — [1] eam. — [2] (l. v.) v. l. — [3] mundali.

Num. 12. — [1] nobis. — [2] (s. a.) *om.* — [3] *om.*

Num. 13. — [1] (q. v.) v. q.

tempore languens, membris omnibus arefactis nervisque artuum contractis, jacebat mirabili macie atque pallido corpore semivivus in domo. Quid dicam de isto, qui nec omnino surgere ex lectulo nec revolvi in latus aliud sine alterius amminiculo quibat? Pene omnium membrorum dissolutione ac si mortuus jacebat. Tunc itaque in una dierum, male quiescens, visum est ei quod [2] se ferre posceret ad sanctissimi Sulpicii sepulcrum, corde credens quod ibi posset recipere integram sanitatem. Delatus autem ad beati viri tumulum, ibique aliquantis commoratus in oratione persistens diebus ac noctibus, cum nimiis fletibus, ut illi congruebat, Dei misericordiam atque sancti confessoris auxilium fideliter deprecabatur [3]. Ut ergo ait Christi sermo : *Quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis,* tamdiu petiit quousque quod optabat [4] adipisci promeruit. Accepta [5] siquidem ex integro omni sanitate, Dei clementiæ [6] sanctoque gratiarum actiones ex animo agens, rediit propriis pedibus domum qui alienis allatus est ad sæpe dicendi ac venerandi Sulpicii oratorium.

14. Abbas namque præfatus, Dominicus, cum suis monachis in memorata beati Sulpicii episcopi basilica die noctuque omnipotenti [1] Deo in psalmis et hymnis canticisque spiritualibus serviebant, diversa agentes ædificia infra et extra monasterium, ad confluentium populorum receptiones utilia. Tanta autem multitudo hominum illuc confluere solebat, ut multæ domus eam capere nequirent; et extensis circa tentoriis habitabant in eis. Omnes ergo cum fide recta sancti auxilium quærentes, recepta pristina sanitate [2] redeunt ad propria alacres.

15. Præterea nequaquam reor silentio [1] tegendum quod in lampade ante beati confessoris [2] sepulcrum [3] pendente actum est signum. Deficiente namque quodam tempore ex ea [4] oleo, custos ecclesiæ, terrore perturbatus [5] magno, eam replevit cera : quo facto, versa est divinitus in mirabile oleum. Repleta vero lampade margine tenus, crescere cœpit altius ac ruere terra tenus. Mirum dictu et mirabile visu : ex ipso liquore multi [6] debiles liniti [7], protinus facti sunt sani. Tua sunt, Christe, hæc mirabilia, qui dixisti tuis fidelibus : *Sine me nihil potestis facere.* Qui enim in Cana Galilææ de aqua fecisti vinum, tu quoque, ad ostendendum populis tui servi meritum, de cera facere dignatus es [8] oleum.

16. Prolixum est igitur omnia stilo exarare quæ sanctissimus pontifex Sulpicius in hac vivens valle lacrimarum mirabilia, Deo operante, exercuit, præsertim cum sua sicut alii sancti occulere voluit facta, vitans totis viribus [1] hominum [2] favores. Post ejus autem ex hac vita gloriosum discessum [3] tanta ac talia fiunt erga pretiosissima ejus pignora signa et prodigia, quanta nemo prudentium auditu percipere [4] valet nec scripto posteris relinquere, ut sanctum ex toto decet. Quisquis ergo ad hujus veniens sancti tumulum hæsitatione omni postposita, extemplo

— [2] quo. — [3] precabatur. — [4] optavit. — [5] accepto. — [6] clementiam.

Num. 14. — [1] omnipotente. — [2] (p. s.) s. p.

Num. 15. — [1] esse *add.* — [2] (b. c.) c. sancti. — [3] tumulum. — [4] eo. — [5] perterritus. — [6] *om.* — [7] deliniti. — [8] (f. d. e.) d. e. f.

Num. 16. — [1] (v. t. v.) t. vir. v. — [2] populi. — [3] excessum. — [4] perpendere.

exauditur per beata ejus [5] merita. Surdus [6] adveniens, redit recepto auditu gaudens; cæcus sancti solamen quærens, accepto lumine repedat videns; affatu privatus, affamine recepto revertitur lætus; membris etiam omnibus dissolutus paralysi, antidoto divino curatus regreditur mente hilari [7]. Quid longius morer? Omnis corporis infirmitas, omnis cordis imbecillitas cum Dei nutu ad sancti curatur monumentum. Non solum autem ubi gloriosi artus beati Sulpicii episcopi humati sunt, talia patefacit Dei omnipotentis pietas signa, verum etiam ubicumque ejus memoria digne ac venerabiliter celebratur, cuncti suscipiunt sui voti beneficia, nec inaniter illi propria [8] offert xenia quisquis fideliter eum recolens veneratur. Diligamus ergo sanctas ejusdem lipsanas, ubicumque in orbe nancisci queunt, ac humili veneremur corde : quo, nostro delectatus obsequio, per adjunctas nostris supplicationibus suas sacras preces nobis placabilem reddat et propitium æternum regem, Dominum nostrum Jesum Christum, cui cum sempiterno Genitore atque Spiritu sancto extat gloria, laus et jubilatio per immortalia secula seculorum. Amen.

XCIII. Codex signatus n° 7503-18.

Foliorum omnino 283, secundum antiquam notationem (quam secuti sumus) 280 (1), formæ majoris (0^{m},375 × 0,245), columnis binis, constans duabus partibus, quarum prior (usque ad fol. 68) seculo XII, posterior seculo XIV exarata est. In priori parte tituli minio descripti sunt, sicut et litteræ initiales, quarum una tantum satis ampla, in capite totius codicis, foliorum voluminibus et vario colore decorata est, sed non admodum insigni arte. In posteriori etiam parte tituli rubricati sunt; litteræ vero initiales alternæ rubro et cæruleo colore distinctæ, et in capite præcipuorum documentorum plus minus ornatæ, præsertim fol. 70^{r} et fol. 144^{r}.

In capite codicis (fol. 1^{r} secundum recentiorem notationem) inscripta est hæc nota : *Codex B. Collegio Societatis Jesu Paderborn. donatus anno 1612 : pervenit ad musæum Scriptorum Antverpiæ commutatione librorum* — et rursus (fol. 3^{r}) : *Collegii Soc. Jesu Paderborn. a° 1612*, et alia manu : *nunc commutatione librorum Musæi SS. Domus Prof. Soc. Jesu Antverp.* (2). Denique interiori tegumini agglutinata est nota antiqui Musei Bollandiani **Q** MS 3, quæ et inscripta est fol. 1^{v} et fol. 2^{r}.

— [5] (b. e.) e. b. — [6] nempe *add.* — [7] (m. h.) lætus. — [8] sua.

(1) Quia scilicet tria prima (quorum duo vacua relicta sunt, itemque tertium ex parte recta) numeris carent; præterea folium 69 excisum est, sed numerus 187 duplici folio inscriptus. — (2) Summo huic folio inscripta est alia nota seculo, ut videtur, XII; sed hujus litteræ ita exesæ sunt ut jam satis distincte legi nequeant.

Præter nonnulla alia documenta non hagiologica (1), hæc in codice continentur :

1° [De vita et gestis Caroli Magni] (fol. 53^r-64^v).

Vita auctore Eginardo, edita ope hujus codicis in *Act. SS.*, ad d. 28 Jan., tom. II, p. 877-887. — Eadem Vita accuratius edita est in *Monum. Germaniæ*, Scr. tom. II, p. 443. Cfr. p. 434, ubi editor de hoc nostro cod. mentionem facit.

2° Vita sancti Hildulphi archiepiscopi Treverorum, miræ sanctitatis viri. Quæ est quinto ydus Julii (fol. 70^r-76^r).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 11 Julii, tom. III, p. 228-238.

Sequitur Libellus de successoribus ejus in Vosago (qui aliquando vocatur perperam " Liber miraculorum. „ Editus est ex hoc codice a R. P. Domno Humberto Belhomme, O. S. B., in *Historia Mediani in monte Vosago monasterii*, Argentorati 1724, p. 143 sqq. Cfr. *Act. SS.*, loc. cit.

3° Vita sancti Severi presbiteri et confessoris. Quæ est sexto ydus Augusti (fol. 80^v-83^r).

Vita longior de qua in *Act. SS.* ad d. 8 Aug., tom. II, p. 350, num. 6. Textus codicis erit in usu, quum in *Anal. Boll.* edetur hæc prolixior Vita B. Severi, cujus compendium ex Breviario Viennensi anni 1532 editum est in tomo citato *Actorum*, pp. 350, 351.

4° De beata visione translationis imperatoris Karoli Magni. Quæ est VI kalendas Augusti (fol. 83^r-83^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 28 Jan., tom. II, p. 891, num. 4-6. — Num. 5 extr. in cod. habentur quæ ibid. impressa sunt p. 889, annot. *e : Translatus est ... Romanorum.*

5° Forma litterarum quas inquisitores vitæ et miraculorum recolendæ memoriæ Margaretæ, virginis Ordinis Prædicatorum, regis Ungariæ filiæ, miserunt domno papæ Johanni vicesimo primo. Cujus festum est quinto kalendas Februarii (fol. 83^v-84^r).

Edita ex hoc cod. in *Act. SS.*, ad d. 28 Jan.. tom. II, pp. 899, 900.

6° Vita [ejusdem B. Margaretæ] (fol. 84^r-88^v).

Vita auctore F. Garino O. P., edita ibid. ex hoc cod., p. 900-906.

7° Vita seu sermo de vita sancti Romoaldi confessoris,

(1) Inter quæ præcipue notanda (rec. not. fol. 2^v-47^v) *Cronica gestorum Karoli Magni imperatoris*, id est Annales Fuldenses, editi inter *Monum. Germ.*, Scr. tom. I, p. 343-415, et (fol. 47^v-56^r, seu ant. not. fol. 44^v-53^r) Vita Ludovici Pii imperatoris auctore Thegano, edita ibid., tom. II, p. 590-603.

heremitæ sacri heremi Camaldulensis, cujus festum est tertio decimo kalendas Augusti (fol. 88v-102r).

Sermo auctore Hieronymo, eremita Camaldulensi, editus ex hoc cod. in *Act. SS.*, ad d. 7 Febr., tom. II, p. 124-140.

8° Vita sancti Hugonis, episcopi Lincolniensis. Quæ est xv kalendas Octobris (fol. 102r-109v).

Fragmenta nonnulla Vitæ de qua actum est supra, tom. I, p. 189, 4°.

9° Vita sancti Morandi confessoris. Quæ est III° kalendas Junii (fol. 109v-112r).

Edita ex hoc cod. in *Act. SS.*, ad d. 3 Junii, tom. I, p. 349-352.

10° Vita sancti Popponis, abbatis Stabulensis et Sancti Maximini. Quæ est VIII kal. Februarii (fol. 118r-129v).

Edita item ibid., ad d. 25 Januarii, tom. II, p. 638-652.

11° Passio sancti Lazari, episcopi et martyris. Quæ est XVI kalendas Januarii (fol. 129v-131r).

Vid. Append.

12° Legenda sanctæ Hildegundis virginis, XII kalendas Maii (fol. 131v-132v).

De hac legenda actum est in *Act. SS.* ad d. 20 Aprilis, tom. II, p. 780, num. 3. Quo certius de Papebrochii effatis judicet ipse lector, eam in Appendice edemus.

13° Vita et passio sancti Werneri. Quæ est XIII kalendas Maii (fol. 132v-134v).

Edita ex hoc cod. in *Act. SS.*, ad d. 19 Aprilis, tom. II, p. 699-701.

14° Vita domni et magistri Alberti Magni, egregii doctoris de Ordine Prædicatorum. Quæ est XVII° kalendas Decembris (fol. 134v-138r).

Inedita, ut videtur. Cfr. Append.

15° Epistola Humberti, magistri Ordinis, ad domnum Albertum, postquam revocavit ipsum ad ordinem (fol. 138r-138v).

Hæc epistola in gallicum sermonem translata, edita est apud Joannem de Rechac a Sancta Maria *(Les vies et actions mémorables des saints, bienheureux et autres illustres personnages de l'Ordre des FF. Prêcheurs,* tom. III, p. 34-36), et apud Fleury *(Hist. ecclés.,* lib. LXXXIV, n. LXIV).

16° Vita sancti Arnoldi confessoris. Quæ est XV kalendas Augusti (fol. 138v-141r).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 18 Julii, tom. IV, p. 449-452.

17° Narratio inventionis cujusdam crucis, inventæ apud cœnobium sanctimonialium Berich (1) vocatum (fol. 141^{r}-141^{v}).

Inc. In nomine Domini amen. Anno nativitatis ejusdem millesimo ducentesimo quadragesimo, Hermanno de Goslaria in Beriche existente præposito, priorissa Alheide de Yttere, ipso die Inventionis crucis Dominicæ, major crux in Beriche est sic inventa. — Narratur deinde cuidam quercui silvæ quæ, ad vallem sub montem *Lerrenberch* pertinens, exitum habebat ad molendinum *Werbemule,* ovium pastorem sacram Eucharistiam intrusisse. Hæc in insignem Crucifixi imaginem commutata est. Servari hanc effigiem in monasterio Berich, frustra nitentibus eam obtinere incolis cœnobii in Netze.

18° Vita [beati] Meinwerci, episcopi ecclesiæ Padebornensis (fol. 142^{r}-166^{r}).

Edita ex hoc cod. in *Act. SS.,* ad d. 5 Junii, tom. I, p. 511-552.

19° Vita devoti presbyteri Heymeradi, in Hasingun reconditi (fol. 166^{r}-169^{v}).

Vita metrica auctore Erinhero, edita in *Monum. Germ.,* Scr. tom. X, p. 608-612.

20° Vita venerabilis domni Petri, Aroldensis præpositi (fol. 169^{v}-175^{v}).

Aliquod compendium Vitæ hujus venerabilis viri invenitur apud Guill. Giefers, *Westphalia sancta, pia, beata* (ed. 1854), tom. I, p. 216 sqq. Textus Vitæ primigenius edetur in Append.

21° Vita sanctæ Egburgis virginis (fol. 175^{v}-176^{v}).

Utrum apud hagiographos hujus sanctæ virginis ulla mentio fiat, haud certo liquet. — Vitam in Append. requiras.

22° Revelatio nova itineris et passionis undecim milium virginum (fol. 176^{v}-187^{r}).

Liber primus Revelationum B. Hermanni, editus in *Act. SS.,* ad d. 21 Oct., tom. IX, p. 173-185. — In cod. (fol. 186^{v}) annexa sunt ea quæ leguntur (ed. Col. 1483, fol. 188^{r}) post Passionem sanctarum virginum et edita sunt etiam in *Anal. Boll.,* tom. II, p. 341.

23° (Revelationes Elisabethæ de Schonaugia) (fol. 187^{r}-191^{r}).

Editæ in *Act. SS.,* ad d. 21 Oct., tom. IX, p. 163-173. — Sed in cod. præfatio omissa est et inserta sunt ea quæ recitantur tom. cit., p. 173 annot. *h.*

(1) Cœnobium monialium Ord. S. Augustini in Principatu Waldeck, diœcesis Moguntinensis.

24° Miracula sacrarum undecim milium virginum (fol. 191r-194r).

Videlicet *a*) ea quæ edita sunt apud Cæsarium Heisterbacensem, *Historiar. Memorab.* lib. VIII, capp. LXXXV, LXXXVI, p. 634-638; *b*) miraculum editum in *Legenda Aurea* (edit. Col. 1483), fol. 188r, col. 1, lin. 3 a fine; *c*) quæ leguntur apud Thomam Cantipratensem, *Bonum universale de Apibus,* lib. II, cap. LIII, num. 7 (edit. Colvenerii); *d*) alterum miraculum narratum in *Leg. Aurea,* loc. cit., col. 2.

25° Itinerarium cujusdam ymaginis sanctæ crucis (fol. 194r-199r).

Narratur quomodo in cœnobium *Nidermunster,* in Alsatia ad radices Montis Stæ Odiliæ, non sine miraculo multæ sacræ reliquiæ delatæ fuerint. Hujus prodigii relationem in cod. valde diffusam in compendium redactam ac gallice versam edidit R. D. Hunckler (1). Asserit hic auctor idem præstitisse anno 1691 sacerdotem quemdam Soc. Jesu, *Lyra* nuncupatum ; cujus tamen nulla fit mentio in *Bibliotheca Scriptorum S. J.* — Inter edita ac codicem hæc discrimina notari possunt : in edit. rex Galliæ qui reliquias dedit, vocatur *Carolus Magnus ;* in cod. legitur tantum *rex quidam Galliæ ;* in edit. Hugo nuncupatur *Burgundiæ dux,* dum in cod. *miles strenuus.* Secundum narrationem codicis una cum reliquiis Dominicis delatum est in Nidermunster *brachium S. Blasii* ac *brachium S. Dionysii ;* de his silent edit.

26° Passio sanctorum martirum Ebbekestorp quiescentium ; quæ est kalendis Augusti (fol. 199r-206v).

Maxima parte edita apud Leibnitium, *Scriptores rerum Brunsvicensium,* tom. I. Vide Append.

27° Passio sancti Symeonis episcopi et martyris. Quæ est XIII kalendas Martii (fol. 206v-207r).

Brevis narratio eorum quæ egit passusque est beatus Hierosolymorum episcopus : de quo in *Act. SS.*, ad d. 18 Feb., tom. III, p. 53 sqq.

28° Depositio sancti Wulframmi, episcopi et confessoris. Quæ est XIII kalendas Aprilis (fol. 207r).

Compendium Vitæ editæ in *Act. SS.*, ad d. 20 Martii, tom. III, pp. 145, 146.

(1) *Histoire des saints d'Alsace,* Argentorati 1837, p. 578-580.

Appendix ad cod. 7503-18.

DE SANCTO LAZARO, FRATRE MARIÆ ET MARTHÆ. (Cfr. supra, pag. 85, 11°.)

Incipit passio sancti Lazari episcopi et martyris, quæ est XVI kalendas Januarii.

1. Lazarus clarissimis exortus natalibus, utpote ex stirpe regia descendentibus. Cujus pater Syrus, mater vero Aucharia nuncupata est. Hic cum sororibus suis Martha et Magdalena Magdalum, quod est castrum secundo miliario a Genesareth, et Betaniam, quæ est juxta Hierusalem, et maximam Hierosolymorum partem possidebat. Quæ tamen inter se taliter diviserunt, quod Maria Magdalum, a quo Magdalena est nuncupata, et Lazarus partem urbis Hierusalem, et Martha Betaniam possidebat. Cum autem Magdalena deliciis corporis se totam exponeret, et Lazarus militiæ plus vacaret, Martha prudenter partem sororis et fratris et suam strenue gubernabat, et militibus suis et famulis et pauperibus necessaria ministrabat.

2. Cum autem, ut habetur in Evangelio secundum Lucam, iret Jesus in civitatem quæ vocatur Naym, et irent cum eo discipuli ejus et turba copiosa, et appropinquaret portæ civitatis et resuscitaret filium unicum matris suæ, Lazarus ad illam civitatem propter negotia multa militaria venerat; et cum esset ex ordinatione divina præsens in resuscitatione præfati juvenis, de equo phalerato descendens, prostratus ad pedes Domini Jesu, conversus est ad Christum.

3. Cum vero, ut habetur in Evangelio secundum Johannem, esset Lazarus languens in Betania, mortuus est ibi et sepultus. Venit itaque Jesus, et invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem. Lacrimatus ergo Jesus et stans ante sepulcrum, voce magna clamavit: *Lazare, veni foras.* Et statim qui fuerat mortuus, resurrexit. Hic ait Johannes Chrysostomus, in Sermone de Sabbato sancto, quod infernus diabolo loquens ne Jesum post mortem suam duceret ad infernum, quia timebat deprædari, dixit ad eum : *Illius Jesu vox me sola tremere fecit, virtus mea vocem ejus ferre non potuit. Nam quando vox ad ostium meum clamavit, dicens : Lazare, veni foras, statim Lazarus factus tutus, exivit de sinu meo, sicut leo de spelunca ad venatorem aut sicut aquila exiliens, omnem infirmitatem deponens in ictu oculi.*

4. Cum rursum, ut habetur in Evangelio secundum Johannem, ante sex dies Paschæ venisset Jesus Betaniam et fieret cœna in domo Simonis leprosi, Lazarus unus erat ex discumbentibus; et, ut dicit Chrysostomus, narrabat in mensa pœnas inferni, quas ibi viderat et audierat. Ex quarum horrore ibi concepto, nunquam postea risit. Et quamvis ibi Lazarus non sustinuerit pœnam sensus, existens tamen in limbo, primum pœnas damnatorum quas viderat enarravit. Vidit enim, ut ait idem, ante portas inferni arbores igneas et peccatores suspensos cruciari in illis arboribus, sicut illi qui libenter corruunt ad

malum. Alii pendebant per pedes, alii per manus, alii per aures, alii per brachia, alii per linguas. Et postea vidit fornacem ardentem per septem flammas in diversis caloribus; et septem plagæ erant in circuitu fornacis: prima ardens pix, secunda glacies, tertia vero sulphur, quarta sanguis, quinta serpentes, sexta fulgur, septima fœtor. Postea vidit alios flentes, alios gementes, alios ardentes. Et quærunt et desiderant mortem, et non inveniunt; et clamabant et dicebant: *Nos sumus in loco in quo est tristitia sine lætitia, in quo est dolor sempiternus, in quo est abundantia lacrimarum propter cruciatum animarum.*

5. In hoc loco vidit Lazarus rotam igneam habentem mille circuitus mille vicibus una hora. Et, percussa rota ab angelo tartareo, in unaquaque vice mille animæ cremabantur. Postea vidit flumen horribile in quo erant bestiæ diabolicæ, quasi pisces in medio maris; qui animas peccatorum devorabant sine ulla misericordia, sicut lupi devorant oves. Postea vidit multas animas submersas in illo flumine: alias usque ad labia, alias usque ad supercilia; et quotidie perenniter cruciabantur. Post hæc vidit locum tenebrosum, viris ac mulieribus plenum, in quo erant omnes pœnæ. Et erant ibi puellæ nigræ et sulphureæ, cum ignibus et serpentibus circa colla sua. Postea vidit puteum obscurum *, viris ac mulieribus plenum, qui comedebant linguas suas. Postea vidit viros et mulieres in loco glaciali; et ignis urebat mediam partem illorum et pars alia frigescebat. Postea vidit unum locum tenebrosum, plenum viris ac mulieribus; et erat ibi una anima super aliam, quasi oves in ovili. Postea vidit viros ac mulieres super canalia, ac multos fructus ante illos; et non licebat eis sumere de illis fructibus.

* *vox* obschurum *post* plenum.

6. Et post hæc subdit Lazarus quod multas pœnas alias quasi infinitas vidit ibi; et de interioribus pœnis, si essent centum viri loquentes et unusquisque haberet quatuor linguas ferreas, non potuissent enarrare vel dinumerare interiores pœnas inferni. Hæc igitur omnia narravit Lazarus in mensa illa.

7. Igitur post Ascensionem Domini, quarto decimo anno scilicet a Passione ejus, cum jam Stephanum occidissent, diversas gentium discipuli subeunt regiones, verbum Dei ibi seminantes. In hac igitur dispersione beatus Maximius *, unus de septuaginta duobus discipulis, beati quoque Lazarus, Maria Magdalena et Martha soror sua et Marcilla pedissequa sanctæ Marthæ nec non et Codomus, qui cæcus a nativitate extiterat, sanctus Trophimus, archiepiscopus Arelatensis postea factus, sanctus Fronto, postea episcopus Petragoricensis et beatus Eutropius, postea episcopus Aurasicensis, omnes hi simul et plures alii christiani, navi ab infidelibus impositi et pelago sine aliquo gubernatore impositi, ut scilicet omnes submergerentur, divino nutu Marsiliæ * advenerunt; ubi, cum nullos qui eos vellent recipere hospitio invenerunt, sub quadam porticu quæ fano illius gentis præerat morabantur.

* *sic.*

* *sic.*

8. Post aliquot vero tempus, cum beatus Maximius et ceteri (ut in Historia Transmarina reperitur) orarent Dominum ut eis dignaretur ostendere quis ex ipsis dignus esset episcopatu Marsiliæ, et omnes essent in oratione congregati, ceteris stantibus ad altare, beatus Lazarus tamquam illitteratus indignum * se reputans, fores oratorii custodiebat. Sed, mirabile dictu *, illis stantibus ante altare et sancto

* *cod.* indignus.

* *cod.* dum.

Lazaro juxta portam, ecce columba nive candidior super caput Lazari videntibus cunctis descendit. Qui eam abigens, ipsa per quatuor angulos oratorii circumvolans ad caput illius est reversa. Quo secundo et tertio illam abigente, ipsa semper ad caput beatissimi veniebat. Tunc omnes unanimiter eum super altare elevantes, episcopum Marsiliæ a Deo electum exclamabant.

9. Qui qualiter in episcopatu vixerit, in eadem Historia reperitur. Nam usque ad tempus sui martyrii sic corpus suum afflixit, ut nunquam panem frumenti aut vinum vel sal pro sapore sumeret; nisi quod ter in anno, scilicet in Natale Domini, Pascha et Pentecosten vinum sumebat: cujus tamen saporem aqua nimia suffocabat. In comestione sua cinerem prius sumebat, et post panem hordeaceum*. Semper autem jejunabat, et nunquam* in vespere comedebat. Omni tempore utebatur cilicio, tunica et mantello, ad modum eremitarum; nec habebat alias vestes. Et etiam tanto tempore portabat, quousque totaliter dissolverentur. Lectus suus pro culcitra cinerem et cilicium habebat, et pro coopertorio saccum; et pulvinar suum lapis durissimus. Semper autem gemens, calciamentum in pedibus non portabat. Quid plura? Talis extitit vita sua, quod super hominem fuit omne quod fecit, quod audientibus incredibile videretur, ut habetur in Historia Transmarina, ut recitat Chrysostomus et a citramarinis compilata fuit.

* *cod.* ordeaceum.
* *supplendum videtur* nisi.

10. Post multum vero temporis, dum regnaret Decius primus, quatuor præfectos contra Gallias destinavit, ut omnes christiani, ubicumque reperirentur, aut idolis immolarent aut gladio necarentur. Inter quos autem præfectus unus nomine Fessinus Marsiliæ* venit, volens ibi in christianos suam tyrannidem exercere. Occurrentes igitur ei cum magna reverentia idolatræ*, ad eorum instantiam sunt citati omnes christiani. Quos ex derisione associantes octo millia paganorum, advenit subito beatus Lazarus. Qui exclamans, ad eos dixit: *State omnes et videte.* Quibus stantibus, beatus Lazarus baculum aridum super quem se appodiavit, in terram fixit, et ut propter conversionem populi fronderet Dominum exoravit. Quo facto, octo millia paganorum crediderunt in Christum et christiana fide confirmati sunt.

* *sic.*
* *cod.* idolatriæ.

11. Quo audito, Fesinus furore succensus, quadringentos milites qui eum adducerent misit. Cum ergo eum orantem invenissent, et ex hoc sibi dicere non voluissent, iterum misit alios plures istis. Qui cum eum similiter orantem invenissent, cum eo pariter oraverunt. Surgens autem beatus Lazarus, dixit eis: *Ad quid venistis?* Qui dixerunt: *Dominus noster Fesinus misit nos, ut te ad eum ligatum ducamus.* Quibus beatus Lazarus: *Quamvis propter virtutem Christi nec ligatum nec solutum me ducere possetis, tamen, ut virtus Christi appareat, vobiscum ibo.* Et tunc beatus Lazarus eos ad fidem convertit.

12. Et a quodam juvene manibus sibi ligatis a tergo, Fesino præsentatur. Quem videns Fesinus, dolore viscerum et vertigine capitis totus plenus, de cathedra in qua sedebat corruit semivivus. Sed ad imperium beati Lazari surgens, interrogavit beatum Lazarum de natione et secta sua. Cui beatus Lazarus: *Natione sum Hierosolymitanus, sed fide sum christianus.* Cui Fesinus: *Primum est satis conveniens, sed secundum fatuum: tibi nomen imponis scilicet Christi crucifixi,*

qui se juvare non potuit nec tibi prodesse. Propter quod consulo, Lazare, ut sacrifices diis nostris. Cui Lazarus : *Illi sacrifico qui me a mortuis suscitavit; diis autem tuis non sacrifico, quia sunt opera manuum hominum.* Cui Fesinus : *Nisi sacrificaveris, per pœnas gravissimas secundam mortem horribilem tibi dabo et diris suppliciis consumeris. Si autem sacrificaveris, magnos honores a Cæsare consequeris.* Sed beatus Lazarus hæc omnia contemnens, jussu Fesini in carcerem missus est.

13. Post hæc Fesinus milites illos qui ad beatum Lazarum missi fuerant primo et secundo, cognito quod in Christum crederent, occidi fecit, capitibus amputatis. Post hæc, consilio Theodatæ cujusdam malefici, introductæ * sunt ad eum duæ juvenculæ speciosæ, ut ejus animum emollirent ad sacrificia idolorum. Quæ videntes beatum Lazarum in oratione stantem, nec propter verba earum nec propter solatia in aliquo se moventem, stupescentes et in extasim positæ in terram protinus corruerunt. Quæ ad jussum ejus surgentes, sic eis prædicavit quod in Christum firmissime crediderunt. Quo Fesinus eas ad se vocatas ante se stare fecit. Quibus dixit : *O garriferæ vilissimæ, quare amorem meum amisistis? Per caput Cæsaris et per meum, nisi statim sacrificaveritis, diris suppliciis peribitis.* Quæ dixerunt: *Tibi resistere non possumus; sed ex quo vis ut sacrificemus, jube servis tuis ut omnes plateæ laventur et floribus ac herbis odoriferis aspergantur, et omnia idola congregentur.* Erant autem tunc in civitate Marsiliæ duo idola : quorum unum erat in loco propinquo carceri beati Lazari; alterum in extrema parte juxta mare, versus plagam aquilonarem. Ad hoc ultimum idolum juvenculas deduxerunt, ut ei sacrificarent. Quæ accipientes zonas pulcherrimas quas portabant, ad collum idoli quasi ex devotione posuerunt, et trahentes idolum per collum in cinerem nutu divino redegerunt. Tunc dixit Fesinus suis : *Surgite omnes et succurrite. Et vocate lapicidas et aurifices, ut nobis fabricent unum alium deum, quia iste deus noster totaliter est consumptus.* Et Fesinus furore repletus unam istarum ligato ad pedes ejus magno saxo in mare præcipitari jussit, alteram capite detruncari.

* *cod.* introducti.

14. Hoc igitur facto, beatus Lazarus Fesino præsentatur. Qui jussit eum pectinibus ferreis discerpi * et loricam igneam ad carnem nudam poni. Deinde cratem ferream fieri fecit et beatum Lazarum ibidem ligari et extendi, et carbones vivos subtus succendi cum pice admixtos. Sed hæc omnia sic fuerunt frigefacta, quod beatus Lazarus quasi de balneo salvifico illæsus exivit. Deinde jussit illum in campo ad stipitem ligari et a sexcentis militibus sagittari. Sagittæ vero ad modum nubium volabant per aerem, et nec ad ipsum aliqua declinavit. Dum ergo hæc agerentur, una de sagittis subito Fesinum in oculo percussit et ipsum protinus excæcavit. Cui dixit beatus Lazarus : *Crastina die de sanguine meo oculum inunges, et claritatem accipies.* Crastina ergo die, de jussu Fesini ad decollandum ducitur; et facta oratione pro tota civitate Marsiliæ, capite detruncatur. Fesinus autem de sanguine ejus parum accipiens et oculum excæcatum inungens, dixit : *In nomine Domini et sancti Lazari inungo oculum ;* et statim visum recepit. Tunc Fesinus in Christum credidit; et omnes infideles quotquot in civitate Marsiliæ sunt inventi,

* *cod.* decerpi.

baptismum susceperunt et Christum ac sanctum Lazarum laudaverunt. Et corpus beatissimi Lazari honorifice sepelierunt, ad laudem et gloriam Christi Jesu, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat, unus Deus in secula seculorum. Amen.

DE SANCTA HILDEGUNDE VIRGINE. (Cfr. supra, pag. 85, 12°.)

Incipit legenda sanctæ Hildegundis virginis, XII kalendas Maii.

1. Cum eximius prophetarum, immo evangelista potius quam propheta dicendus, Isaias aversionem judaicæ plebis instinctu sancti Spiritus declamare vellet, ita exorsus est: *Audi, cœlum, et auribus percipe, terra, quia os Domini locutum est.* Mira dicturus, cœlum et terram ad audiendum vocat. Ita ego, dicturus rem omnibus gentibus inauditam et post partum Virginis sacratissimæ (ut æstimo) omnibus miraculis mirabiliorem, gloriosissimum virginis triumphum, nullo materiei competentiori quam eodem prophetico uti me posse arbitror exordio. Audi, cœlum, et auribus percipe, terra, novum quod Dominus fecit super terram his diebus nostris, a seculo inauditum, virili sexui imitabile, femineo gloriosum.

2. Venit quidam adolescens æstimatus, pulcher facie sed fide pulchrior et moribus*, honestate præditus, petens introitum in monasterium Sconaugiæ, quod situm est in territorio Warmaciensium, ex re nomen habens. Sonat enim *Pulchra insula*, et aera amœnissima, est personis et rebus opulenta, Cisterciensium Ordinis religione pollens, Claræevallis plantatio. Cooperante itaque quadam inclusa venerabili precibus suis, quæ nota erat monasterio fama non facie, præfatus adolescens in fratrem susceptus est. Ingressus vero tam durissimam cum diabolo et propria carne luctam, licet utrimque a gemino hoste graviter angeretur, semper tamen in mente habens: " *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, de die in diem robustior contra omnia tentamenta obtinuit victoriam. Valde tamen sollicitabatur ne arcanum suum, soli Deo cognitum, quoquomodo proderetur.

* *nisi est pro* morum.

3. Expleto autem in tali agone biennio, Joseph (quod sibi nomen imposuerat) præambulam felicissimi obitus sui incidit ægritudinem. Accito ergo priore monasterii, omnem seriem vitæ suæ ei confitebatur, eo dumtaxat tacito, ut, cursu vitæ mortalis pene consummato, quarta feria Paschalis hebdomadæ carnis onus Deo propitio depositurus.

4. " Patria mihi fuit terra vicina Agrippinæ; et, matre mea defuncta, pater meus " adhuc in tenera ætate orationis causa duxit me Hierosolymam. In reditu vero, " pater meus apud Tyrum de medio factus, me meaque omnia ministri sui fidei " commendavit. Qui avaritia et fraude (pessimis consultoribus) usus, omnia mea " auferens, me in domo relicto, clam me navigavit. Evigilans autem, cum audissem " quod mihi acciderat, quo dolore angebar non valeo explicare. Exul quippe et " vagus, ideoma terræ ignorans, in ecclesia cruciabar, non habens ubi caput recli-

“ narem ; mendicabam et scholas frequentabam. Transacto in ea miseria et mendicitate anno, transfretantibus Alemannis, cum infortunii mei casus cum magno ejulatu eis quererer, quidam nobilis dives et potens, misericordia motus, in curam suam me suscipiens, revexit in terram nativitatis meæ.

5. “ Eodem tempore controversia erat inter duos electos Treverensis ecclesiæ, quorum alteri apostolicus (1) qui tunc temporis Veronæ morabatur, alteri favebat imperator (2). Et cum uterque electorum suæ partis captaret favorem et pontifices hinc inde apices mitterent et reciperent, legatis etiam pluribus captis, cæsis et spoliatis, et per compita viarum tales structæ * essent insidiæ ut nulli legatorum apices bajulanti tutus esset transitus, Colonienses cum suo præsule alteri partium faventes, cum suas propter hoc litteras destinaturi essent, legatus quem ad hoc direxerunt, me, utpote adolescentem ad hoc opus idoneum, prece et pretio induxit, ut scripta baculo inclusa more viatoris portarem : quia in pedite minor foret nota suspicionis et legatus litteras non ferens eques transiret securus. Cumque Cisalpinas partes adissem, per viam gradiens, incidi in furem. Cui petenti ut comes itineris mei foret, cum ei acquiescerem, paululum progressis ecce post terga sonus excipitur persequentium. Fur ergo sibi conscius, saccum quem ferebat cum rebus furatis penes me deponens, inter frutecta nemoris donec persecutores transirent se abscondit. Advolantes itaque, me, tamquam furem manifestum, comprehenderunt. Et licet inficiantem, multis flagris cæsum vinctum ad judicium pertraxerunt et per sententiam ad crucis supplicium damnaverunt. Sed quia præsentia damni omnem pro innocentia mea allegationem meam exclusit, et cum non suppeteret mihi nisi laqueus, petivi copiam sacerdotis mihi dari et concedi horam confitendi.

*cod. strictæ.

6. “ Accito sacerdote, dum ei rem uti gesta erat ordine narrassem, et si nemus ambiretur furem intus repperiri; et in argumentum assertionis meæ me non furem sed litterarum pontificalium bajulum esse, arundinem in qua clausæ litteræ tenebantur prætendere : consilio sacerdotis sententia damnationis meæ revocata est; et nemore militibus, retibus * et canibus circumdato fur est comprehensus. Præcincti itaque ad judicium ambo urgebamur, sed ille amplius. Cumque ad confitendum crimen cruciatibus torqueretur, sic ait : *Intolerabilis* mihi dolor est in culpam sine culpa labi, cum jus gentium sit pro furto non damnari nisi furti bajulum vel abigeum. Unde potius apud quem saccus cum rebus furatis repertus est quam me damnare debetis ; et, si non mihi, saltem his qui me ceperunt credite, nihil in me furti repertum. — At ego,* inquam, *socium te itineris innocuum credebam. In deposito quod mihi credidisti nil mali latere suspicabar. Depositum tuum tibi reddo ; et vera me asserere, eum qui nec falli nec fallere potest, Deum testor.* At fur contra : *Vox unius, vox nullius. Idem actor et testis esse non potes. Res furtiva penes te reperta est : crimen te esse perhibet* infitiari.* Obticui, nec enim potui convincere fraudem. Tunc accedens presbyter, meus

* cod. rethibus.

* cod. intollerabilis.

* pro prohibet ?

(1) Nempe designat Lucium III. — (2) Nimirum Fridericus I Barbarossa (1152-1190).

“ confessor, pro me allegabat : *Indubitanter novi et fideliter promitto nil mali meruisse juvenem nec jure gravari ; sed innoxia simplicitas ejus divino jure laudanda est, non morte plectenda. Ne tamen innocens injuste damnetur et reus immerito absolvatur, consulo judicium ferri candentis adiri.* Quod cum factum esset, divino judicio innocentia mea probata est et scelus furis detectum : quippe examine peracto manus mea illæsa apparuit, furis adusta.

7. “ Illo ergo in cruce suspenso, confessor et liberator meus cum gaudio recepit me in domum suam. Sed ecce, omnium bonorum hostis diabolus cognationem suspensi adeo usque succendit, ut sine judicio me de domo sacerdotis violenter extractum, suspenso de equuleo deposito, loco ejus suspenderunt. Statimque angelus Domini affuit, per triduum me non solum sustentans sine læsione, sed et gloria vultus sui et odore oblectans, ita ut maximis deliciis me interesse putarem. In nocte vero audivi symphoniam tam dulcisonam atque jocundam, ut nihil unquam tale me audisse meminerim. Quærentem quis hoc esset, angelus me docuit virginis Agnetis, sororis meæ, animam cum tali concentu ad cœlum migrasse meque emenso biennio similiter migraturum. Cumque sic per triduum penderem non pendens, pastores (qui non casu sed divino nutu in vicino pascebant) de me miserando colloquebantur, quod mecum hanc facerent humanitatem ut succiso laqueo me deponerent et pie commendarent sepulturæ. Cumque ut condixerant me deponerent, angelus qui sustentaverat manum subdendo ne caderem, plane me ad terram sospite vita submisit. Respexi et territi fuere pastores ; et dixit mihi angelus : *Ecce liber eas. Ire tibi licet quocumque libet.* Et dixi : *Domine mi, Veronam ire proposui.* Et statim in momento transposuit me juxta Veronam. Et dixit : *Ecce Verona hinc distat tantum stadiis tribus. Liber ingrediaris.* Distat autem Verona ab Augusta in cujus confinio hæc gesta sunt, itinere dierum septem.

8. “ Ingressus itaque, negotium ad quod destinatus eram, prospere peregi; indeque rediens, Deo duce in hoc sanctum collegium intravi, in hoc misericordiam Dei et transitum meum expectans. Et quia hodie effulsit biennium quo percipiendæ coronæ promissa pendens cœlitus accepi, scio quod tempus meæ resolutionis instat et portus tenendi hora appropinquat. Et cum migravero, apparebit in me unde stupeatis et Deo, bonorum omnium largitori, gratias agere debeatis. „ His finitis, cum prior diceret : *Frater, inaudita refers. Ex quo argumento credam te vera asserere ?* respondit : *Si ea feria qua prædixi obiero et ante obitum vix spatio unius missæ legendæ officium linguæ deposuero, quæcumque dixi vera credatis.*

9. His dictis, Joseph ut prædixerat quarta feria Paschalis hebdomadæ (quæ erat duodecimo kalendas Maii, anno incarnationis Domini millesimo centesimo * octuagesimo octavo) sole jam ad occasum tendente, ad cœnam Agni vocatus, migravit ad Dominum. Ad cujus exequias dum abbas et fratres ex more convolarent et corpus ad lavandum detegeretur, virginale apparuit. Stupentibus cunctis miraculi novitate, sacerdos commendationes legens mutato sexu textum mutare cogebatur, pro monacho monacham recitans, pro fratre sororem. Et qui mas fuerat, nunc

* *cod.* ducentesimo.

femina nominatur. Cumque de brevibus pro ea scribendis dubitaretur a fratribus, abbas vice ignoti nominis jussit scribi : " Duodecimo kalendas Maii obiit ancilla Dei in Sconaugia. „ Emensis aliquot diebus post illius sanctissimæ obitum, fratres nomen illius scire cupientes, miserunt in vicinia Coloniæ, unde se oriundam confessa fuerat, et studiose investigantes, inventa quadam anu quæ cognata illius beatæ erat, quod Hildegundis vocaretur compererunt. Cujus meritis et precibus Deus, qui ei in fragili femineo sexu tam virilem tamque fortissimum donavit animum, det et nobis spiritum fortitudinis, quo valeamus evincere et eumdem fortissimum leonem diabolum, qui circuit quærens quem devoret. Quod ipse præstare dignetur qui vivit et regnat sine fine. Amen.

DE SANCTO ALBERTO MAGNO. (Cfr. supra, pag. 85, 14°.)

Incipit prologus in vitam domni et magistri Alberti Magni, egregii doctoris de Ordine Prædicatorum.

Quoniam, attestante inclita Sapientia, relucens lucerna non est in abscondito ponenda, nec sub modio latitanda, sed super candelabrum ut luceat collocanda, sic nec splendida facta antiquorum, veluti sub pigra taciturnitate sepulta reticenda sunt, sed modernorum auribus præsentanda, cum virtutis et exercitii scientifici januam aperiant et quasi vitæ imaginem oculis præsentium digna commemoratione insinuent. Ne ergo viri sanctissimi et doctores celeberrimi Ordinis Prædicatorum, per quorum vitam et doctrinam divina Providentia illuminavit Ecclesiam, sub taciturnitatis tenebra lateant, ne famæ gloriam quam meruerunt amittant, ne præsumptuosa rapina codicibus ab ipsis compositis titulus infigatur alienus (præsertim cum multi eorum propria nomina ex humilitate suis non inscripserunt libris), quædam memorabilia opera et facta aliquorum doctorum prædicti Ordinis Prædicatorum, illorum scilicet quorum nomina ad ista scribi facientis notitiam pervenerint, in præsenti tabula conscribentur : ut, si quis ipsorum operum amator ab illis indulgentiam et scientiam habere optaverit, per hanc inscriptionem citius ignota inveniat et de quæsitis securior fiat. Licet enim famæ gloriam spreverint et favorabiles hujus vitæ laudes vanas fugere voluerint, nominaque sua noluerint dilatare, fructus tamen suorum operum, per secula redolentes, ipsorum probitatem et scientiam enuntiant et declarant. Hi enim carere passionibus ac, desideriis mortificatis, solum spiritualibus innitentes, cunctis mortalibus, præsentibus et futuris, cupientes prodesse, innumerabilia mirandaque opera edidere. Horum doctrinam qui sequitur, in tenebris non ambulat, a via recta non deviat, a sana doctrina non errat ; vitat laqueos, confundit devios, instruit dubios et, in philosophiæ ac theologiæ splendoribus veritates irrefragabiles elucidans, amota concussione fallaci, stabilem ceteris transeuntibus pedem figit.

Incipit brevis historia de vita et doctrina ejusdem. Quæ est XVII° kalendas Decembris.

1. Gloriosus Albertus Magnus, Ordinis Fratrum Prædicatorum, doctor egregius, Universitatis Parisiensis laus et gloria singularis, natione Suevus, de civitate Lammigensi, prope Augustensem civitatem ad quatuor miliaria, oriundus fuit. Hic cum esset juvenis fere sedecim annorum, die quadam beatissimæ virgini Mariæ, Matri Dei, se toto mentis affectu in oratione humiliter cum lacrimis recommendans, apparuit eidem visibiliter Virgo benedicta, dixitque illi : *Alberte, fuge mundum et ingredere Ordinem Prædicatorum, ac efficaciter devotioni et studio insiste ; quia Deus tanta suæ sapientiæ copia te docebit, ut per libros doctrinæ tuæ tota Ecclesia illustretur.* Ingressus itaque juvenis Ordinem Prædicatorum, cœpit ferventissime mentis puritati ac studio insistere. Erat autem modus ejus primo ad orationem recurrere et deinde lectioni vacare, ut oratio præveniret studium et præpararet intellectum. Ut autem narrat actor in libro de Apibus (1), capitulo vicesimo (2), qui fuit Alberti discipulus et auditor, cum præclarus Albertus erat lector fratrum in Colonia Agrippina longo tempore, demum missus Parisius ad legendum Sententias et pro incomparabili scientia sua Theologiæ cathedram est * adeptus *, et fuit tertius qui de Ordine Prædicatorum legit Sententias in conventu Parisiensi. Fuit autem Albertus tantæ orationis et contemplationis ut die qualibet præter Horas canonicas in speciali totum psalterium Daviticum diceret. Unde de ipso legitur in libro secundo de Apibus, capitulo ultimo (3) : " Vidi et certissime expertus sum, sicut auditor ejus per multum tempus, quod venerabilis ille frater Ordinis Prædicatorum, magister Albertus, multis annis fere quotidie, cum tamen in cathedra theologiæ regeret, tantum de die et de nocte orationibus incumberet, ut psalterium Daviticum legeret. Unde dictis Horis et lectionibus et disputationibus terminatis, semper contemplationi divinæ et meditationibus insudabat. Quid ergo mirum si talis homo super hominem proficeret qui tam sancte, tam integre in veritate * profecit ? „ De quo etiam dicitur quod miraculis claruit quæ ejus vitæ meritum demonstrabant.

* *cod.* esset.

* *add. cod.* sorticii. *Cfr. Thomam Cantiprat.*

* *sic.*

Quomodo diabolum effugavit.

2. Idem actor dixit in eodem capitulo (4) : " Magister Albertus theologus, frater Ordinis Prædicatorum, narravit mihi quod Parisius illi dæmon in specie cujusdam fratris apparuit, ut eum a studio revocaret. Sed mox facto signo crucis, discessit. „

(1) Scilicet Thomas Cantipratanus in opere cui titulus *Miraculorum et exemplorum memorabilium sui temporis libri duo, in quibus ... ex Apum republica Bonum universale docetur :* unde hoc opus nuncupatur " Bonum universale „ seu " Liber Apum. „ — (2) In editione Duacensi Colvenerii 1605, cap. xx extr., pag. 80. — (3) Edit. cit., pag. 579. — (4) Edit. cit., n. 34, pag. 565.

Quomodo hæreticos extirpavit.

3. Secundum quod scribitur in libro secundo de Apibus, capitulo nono (1), duobus annis antequam Albertus Magnus ad Romanam curiam fuisset vocatus per papam ad aliquos errores extirpandos, quidam præpositus regularis de Bavaria, vir sanctæ conversationis, Romæ in ecclesia beati Petri orans, in excessum mentis raptus, vidit ipsam ecclesiam serpentibus plenam, quorum horribilibus sibilis * non tantum ipsa, verum etiam tota Romana civitas replebatur. Sicque sanctus vir cum territus esset, vidit virum in habitu Ordinis Prædicatorum ecclesiam introeuntem. Quem cum stuperet incognitum, dictum est ei responso divino quomodo Albertus nomine vocaretur. Hunc ergo fratrem dicti serpentes sibilis importunis aggressi *, involvebant se pedibus ejus et brachiis, pectori quoque ac totius corporis membris. De quorum medio se viriliter ac violenter excutiens, ascendit cathedram in qua sanctum Evangelium diebus solemnibus legi consueverat; et legit in ea Evangelium secundum Johannem usque ad illum locum : *Verbum caro factum est et habitavit in nobis.* Statimque serpentum sibilus quievit; fugatisque serpentibus, pax reddita est universis. Hæc ergo quid significarent vir sanctus ignorans, in terram suam reversus est et cuidam sorori suæ, sanctissimæ reclusæ, quid sibi Romæ revelatum fuerat indicavit. Cui illa vehementer exultans : *Ecce,* inquit, *audivi quod ille Albertus qui tibi in visione fertur monstratus, nuper comiti de Oppenhem* (2) *prope terram istam locuturus advenerit.* Et præpositus non mediocriter gavisus in verbo : *Vadam,* inquit, *et videbo quis sit. Spero enim adhuc quod faciem ejus cognoscam ex dicta visione.* Et hæc dicens, properavit videre virum; et ex certissimis signis staturæ, faciei, coloris et parvæ maculæ quam habebat sub palpebra, Albertum recognovit. Mirare, lector, obstupesce miraculum. Quid eo evidentius quam * vidisti? nec in verbo distat visio * diu præcognita a re facta postmodum * subsecuta. Indicavit ergo vir sanctus dicto magistro Alberto modum quem viderat visionis; sed neuter quid hoc significare posset agnovit. Accidit autem ut post duos annos dictæ visionis, quidam filii diaboli diversos errores in Ecclesia seminarent; propter quod Albertus est per papam ad Romanam curiam invitatus. Ante cujus adventum seminatores errorum miro modo Romanum clerum necnon et populum in suæ perversitatis partem converterant, atque seduxerant multis verbis. Sed ad doctrinam et prædicationem Alberti Magni in brevi omnes errores fuerunt destructi et adversarii dispersi. Deinde ad petitionem domini papæ et cardinalium legit Albertus Evangelium Johannis totaliter et canonicas epistolas super omnem hominem miro et inaudito modo. Et sic erroris seminatores fugati sunt : nec fefellit factum * ænigmaticæ revelationis veritas prophetalis ; immo secundum ostensæ rei ordinem omnia contigerunt (1).

* *cod.* sibulis *et mox iterum bis.*
* *cod.* egressi.
* *pro* unquam ?
* *vox suppleta.*
* *cod.* primo modum.
* *pro* sanctum ?

(1) Edit. cit., cap. x, num. 24-26, pag. 176-178. — (2) Otheaenenssi. *Ita Thomas Cantiprat., loc. cit., p. 177.*

Quomodo papa fecit eum episcopum.

4. Et tandem papa Albertum, licet invitum et renitentem, ecclesiæ Ratisponensi præfecit in episcopum et pastorem (1).

Quod episcopatum resignavit.

5. Sed postquam per aliqua tempora dictam Ecclesiam laudabiliter rexit, tædio affectus, de licentia summi pontificis dimisso episcopatu, rediit ad claustrum.

Quod Paulus apostolus eum ad studium animavit.

6. Hic doctor cum exponeret libros beati Dionysii, et expositionem librorum de Cœlesti Hierarchia * multis laboribus perfecisset, aggressus exponere de Ecclesiastica Hierarchia, præ laboris magnitudine quasi desperans et deficiens, ad exhortationem beati Pauli apostoli opus inceptum cum Dei gratia et adjutorio mirabiliter adimplevit.

* *cod.* iherarchia.

Quod futura prius cognovit, et habuit spiritum prophetiæ.

7. In primis, ut in Legenda beati Thomæ latius continetur, cum beatus Thomas studeret sub Alberto Magno, tantam taciturnitatem servabat in omnibus sanctus Thomas, ut " bos mutus „ a ceteris constudentibus diceretur. Die autem quadam, cum responderet magistro Alberto de quadam difficili quæstione modo mirabili, in præsentia omnium prophetico spiritu Albertus dixit: *Nos vocamus ipsum bovem mutum: sed adhuc talem dabit in doctrina mugitum, quod in toto orbe sonabit.* Quæ verba rei postmodum probavit eventus. Habetur in prædicta historia quod eadem die qua fuit transitus sancti Thomæ, reverendus Albertus existens apud Coloniam et in mensa recumbens præsente priore conventus cum aliquibus fratribus aliis, Albertus cœpit subito lacrimari. Stupefactis autem præsentibus, tandem priori causam lacrimarum quærenti ille respondit: *Filius meus in Christo, frater Thomas de Aquino, qui fuit lumen Ecclesiæ, ex hac luce migravit.* Tunc notatur dies a priore et aliis, et repertum est postea sanctum doctorem Thomam eadem die in Romanis partibus ex hac luce migrasse.

De termino vitæ ejusdem.

8. Cum autem quadam die magister Albertus confectus senio in conventu Coloniensi in scholis legeret, præsente copiosa auditorum multitudine, in colligendis ac dicendis quibusdam rationibus ipsius memoria vacillavit. Cumque omnes

(1) Ecclesiæ Ratisbonensi præfuit B. Albertus a die 5 januarii anni 1260 usque ad initium mensis martii anni 1262. Janner, *Geschichte der Bischöfe von Regensburg,* tom. II (1885), p. 463.

præsentes essent ex hoc non modicum stupefacti, ipse vero modicum obmutescens, sed tandem cito spiritu confortatus, in præsentia omnium dixit : *Audite, quæso, fratres carissimi. En, refero vobis nova pariter et antiqua. Cum essem in annis juvenilibus constitutus, ammonente gloriosa virgine Matre Dei, Prædicatorum Ordinem sum ingressus ; et ab ipsa ut devotioni et studio fideliter intenderem sum hortatus. Quod tam orando quam studendo sum per Dei gratiam executus. Et quod ex libris non valebam capere, sæpissime intelligendum orationibus impetravi. Frequenter autem Matrem misericordiæ, Dei Genitricem, gemitibus et orationibus rogavi ut me divinæ sapientiæ lumine illustraret et cor meum in solidamento fidei confirmaret, ne, philosophorum rationibus illaqueatus, de fidei rectitudine dubitarem. Tandem piissima Mater misericordiæ dignata est mihi visibiliter apparere et consolando dicere : " Esto in studio et virtutibus perseverans. Nam Deus tanta suæ sapientiæ copia te docebit, ut per libros doctrinæ tuæ tota illuminetur Ecclesia. Et ne in fide valeas vacillare, ante mortem tuam a te omnis syllogismi astutia auferetur, et in innocentia puerili ac sinceritate et veritate fidei te Deus ab hoc seculo assumet. Notitiam vero hujus temporis ex hoc scies, quod defectum memoriæ sustinebis in publica lectione. " Et ideo, fratres amantissimi, quod hæc mihi eveniant jam cognosco. Idcirco nunc coram vobis omnibus publice confiteor et profiteor corde et ore omnes et singulos articulos fidei christianæ me firmiter credere, et supplico humiliter et devote mihi exhiberi ecclesiastica sacramenta tempore opportuno. Et si quid dixi vel scripsi vel dixero in futurum quod veritati fidei non concordet, volo ut nullius ponderis existat.* Quibus dictis, omnibus præsentibus profusus in lacrimas de cathedra descendit, et ex tunc numquam aliquid scripsit aut legit; sed quasi puer quinque annorum, innocens et columbinus, inter fratres quamdiu supervixit conversatus est, se orationibus continuis mancipando. Et postquam multa miracula perpetravit ac multos libros famosissimos compilavit, anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo, consummatis vitæ suæ annis circiter octuaginta septem, inter fratrum et filiorum suorum manus in conventu Coloniensi obdormivit in Domino, et in choro ante magnum altare fuit solemniter sepultus.

Qualiter post mortem gloriosus apparuit.

9. Multis modis gloriam Alberti Magni Dominus mirabiliter ostendit. Nam frater Godefridus de *Dinserbrug,* ejus socius et minister, post mortem jejuniis, lacrimis et orationibus continuis pro ejus anima Dominum exorabat. Cui fratri post Matutinas in ecclesia oranti et vigilanti Albertus visibiliter apparuit cum splendore mirabili, nobilissimis vestibus pontificalibus adornatus, habens mitram in capite. In cujus fronte erat unus magnus lapis pretiosus qui, splendore mirabili plures ex se ipso emittens radios, totam ecclesiam illustrabat. Indumentis autem ejus inserti erant per totum lapides pretiosi. Frater autem hæc videns, stupens et admirans ex tam mirabili visione ipsumque Albertum recognoscens, requisivit ab eo qualiter sibi esset. Qui benigne respondit: *Optime, fili mi. Humani enim sensus non sunt capaces claritatis et gloriæ quibus me Dominus sua pietate mirabiliter*

decoravit. Candores enim solarium radiorum de gemma fontis vitæ copiosius effluentes et noctem ecclesiæ quasi in meridie illustrantes inexplicabilem meam gloriam designant, necnon claritatem et splendorem scientiæ divinitus mihi datæ per quam dignatus est Dominus suam illuminare Ecclesiam meo ministerio et labore. Alii autem lapides pretiosi sunt libri multi et opera scripturæ meæ, quæ ad defensionem fidei et declarationem divinæ sapientiæ ego ipse composui. Et, sicut in vita mortali vivens multos de tenebris ignorantiæ ad lumen veritatis et cognitionis divinæ eduxi, sic altius ad meam gloriam cumulandam donavit mihi sex millia animarum, ut, ab omni pœna purgatorii meis meritis et suffragiis liberatæ, ad aspectum suum me deducerent cum lætitia inenarrabili. Et hæc dicens, disparuit.

Revelatio de gloria ejus.

10. Fuit in Treveris quædam nobilis femina de villa Sarbringus, usque ad octuagesimum vitæ suæ annum in castitate et innocentia Deo serviens. Opinione celebris habebatur. Hæc quintodecimo die post mortem Theoderico nostro, tunc lectori Treverensi, viro magnarum virtutum, cui solita fuerat confiteri, ad pulpitum in suo residenti visibiliter apparuit, dulciter ipsum salutando, dixitque illi: *Ex parte Dei missa sum ad te, ut de rebus quarum certitudinem affectas te certificem.* Tunc lector ait : *Qualem vitam ducis, domicella ?* Quæ respondit : *In conspectu sum sanctæ Trinitatis æternæ beatitudinis quietata.* Et iterum ait *: Nosti magistrum Albertum Magnum, fratrem nostri Ordinis Prædicatorum, qui nuper obiit in Colonia ?* Et respondit domicella : *Illum optime novi.* Et noster Theodericus : *Ubi est ?* Et illa dicit : *Gaudet lætitia inenarrabili valde longe supra nos.* Quibus dictis, disparuit.

Alia revelatio.

11. Legitur in libro quinto sanctorum Fratrum Prædicatorum, capitulo quarto, quod Theutoca quædam, abbatissa Cisterciensis Ordinis, fecit per se et sorores suas multas orationes pro Alberto noviter defuncto, eo quod vivens frequenter ad bonum eas inducebat. Quodam mane cum dicta abbatissa paululum obdormivisset, vidit eum ante altare paratum ut populo prædicaret, sed in aere stantem; et sancta femina præ timore clamabat : *Frater Albertus cadet, quia fulcimentum non habet.* Cui astans quædam persona reverenda, ait : *Frater iste confirmatus est, et amplius cadere non potest.* Tunc illa consolata auscultabatur quæ esset prædicaturus ; et ait : *In principio erat Verbum,* etc., usque ad *plenum gratiæ et veritatis ;* statimque subjunxit : *Et hæc ego vidi oculis meis.*

Qualiter corpus ejus in sepulcro fuit repertum.

12. Longo tempore post sepulturam domni Alberti fratres devotionis gratia requisierunt sepulturam ejus. Apertoque sepulcro tanta inde fragrantis odoris sua-

vitas emanavit, quod totam ecclesiam mira suavitate replevit. Ita ut non videretur paruisse defuncti corporis sepultura, sed multorum aromatum apotheca. Videruntque ipsum penitus incorruptum et integrum in omnibus membris atque indumentis suis, in quibus erat mira redolentia. Eratque corpus in tumulo suppositum quasi recumbens in oratione, ut illi moris erat orare dum vixerat.

De ethimologia nominis ejusdem.

13. Hic est famosissimus doctor, magnus, immo maximus Albertus, dictus ab *al* (quod est altum) et *ber* (quod est fons vel puteus) et *tus* (quod est nomen arboris immensæ atque ramosæ et gummi inde fluentis, albi, solidi, mundi et odoriferi). Nam fuit altissimus in scientia sua atque speculatione divinorum. Ipse enim quodam peculiari fastigio alte volavit quasi aquila per montium cacumina; et, ea quæ sunt in montium radicibus interdum considerans, multa cœlorum spatia terrarumque situs et aquarum circulum alto pronuntiavit eloquio, disputans ut alius Salomon a cedro quæ est in Libano usque ad ysopum qui de terra oritur. Hic ut alter Moyses montem divinæ speculationis ascendens, non sine stilo Domini digiti, scribentis in ejus animo, sub duarum tabularum similitudine scientiam duorum Testamentorum de summa et alta divinorum speculatione portavit. Hic est dictus a *ber*, quod est fons vel puteus. Nam fuit puteus in scientiæ profunditate, fons in copiosissima doctrinarum emanatione. Nam quasi Phison divinæ sapientiæ stillicidiis et sacræ Scripturæ profluviis irriguus fuit adimpletus. Hic quasi Gion intima viscera terræ ac totius naturæ profunda singulari privilegio more lincis limpidissimo oculo extiterat contemplatus. Hic quasi Tigris intelligentiæ suæ oculis velociter currens omnium scibilium ac scientiarum difficilia et occulta quodam incomparabili præconio perscrutatus est. Hic quasi Eufrates superplenus, moralium ac naturalium doctrinarum irradiatus splendoribus, artium liberalium fulgoribus clarens, insolito quodam atque inaudito prodigio fuit mirifice illustratus : ut nulli sit dubium quin ipse sit ille fluvius maximus qui ad irrigandum hortum plantationis universalis Ecclesiæ a paradiso Domini, provisione insolita, emanavit. Suæ enim scientiæ habitus videbatur quasi quidam inundans doctrinæ fluvius Scripturarum, qui desuper oriens in eodem de divinæ Sapientiæ fonte descenderat, quam in diversos libros quasi in diversos rivulos derivaret, ut aridus cervus humani cordis ad ipsum, velut ad fontem vividum et mare magnum exuberantiæ inexhauribilis, sitiens ut bibat et saturetur convertatur. Hic est Albertus dictus *Thus* propter fragrantiam vitæ mundissimæ atque doctrinæ sanctæ * et odoriferæ. Tantæ enim sanctitatis fuit, ut in Romana curia tempore quo beatus Thomas de Aquino, ejus filius in Christo et discipulus, fuit sanctorum catalogo asscriptus, de ipsius canonizatione tractaretur. Unde in ejus reverentiam et honorem in suæ nativitatis loco propter multas ibidem ostensas Domino reverentias quædam capella ædificata est. Tantæ fuit fragrantiæ et eloquentiæ in doctrina sua, ut ipse acer ingenio et eloquio, in disputationibus clarus et altus, in quæstionibus solvendis providus et acutus, multarum linguarum peritus, in omni scientia eruditus atque expertus, omnes philosophos tam ingenio

* *cod.* sue.

quam scientia incomparabili vinceret, florens tam exemplis virtutum quam effluentia doctrinarum. Unde in ejus laudem proverbialiter dici consuevit : “ Experto crede Roberto Alberto. „ Solus enim Albertus inter omnes doctores et sapientes omnes scientias humanas ad plenum exposuit atque Latinis intelligibiles tradidit. Unde quidquid* dici potuit et assumi ingenio ac de sapientiæ hauriri fonte, ab ipso in suis libris disertissime omni eloquentiæ ac sapientiæ splendore fulgens copiosissime positum atque disertum est. Unde apud sapientes arabicæ linguæ et aliquarum aliarum Latinorum “ sapiens „ atque “ philosophus „ appellatur. Idem certissime Albertus ab albedine dicitur et appellatur. Nam sicut albedo inter omnes colores obtinet principatum, sic ipse inter omnes philosophos eminentiam tenuit atque primatum.

* *cod.* quitquit.

Sequitur epitaphium. Isti versus positi sunt ad sepulturam ejus.

14. Fons est doctorum, paris expers philosophorum,
Princeps verborum, vas fundens * dogma sacrorum.
Hic jacet Albertus, præclarus in orbe, disertus,
Præ cunctis certus assertor in arce repertus.
Major Platone, vix inferior Salomone.
Quem tu, Christe bone, doctorum junge coronæ.
Annis bis denis minus actis mille tercentenis
Christi nascentis, de corporis exit habenis.
Quinta post festum Martini luce molestum
Repetendo Deum transivit agens jubeleum.

* *in marg.; in textu* studens.

Supervixit autem domnus Albertus post mortem beati Thomæ de Aquino fere sex annis et octo mensibus.

De numero aliquorum librorum domni Alberti Magni.

15. Donum autem sapientiæ collatum cœlitus Alberto evidenter demonstratur in multiplici ejus opere scripturarum : ut qui scriba doctissimus de thesauro cordis sui nova et vetera et diversarum scientiarum occulta producit in lucem. Numerus autem et nomina aliquorum librorum et operum ejus, quæ ad laudem Creatoris, fidei dilatationem instructionemque studentium ipsemet dictavit et composuit, in sequentibus conscribentur. Nam multos alios libros edidit quorum notitia non pervenit ad ista scribi facientis : et ideo hic ipsorum nomina non ponuntur.

De libris sacræ Scripturæ ac theologiæ.

16. Scripsit Albertus super totam bibliam per modum postillæ. Item super multos libros ejusdem, modo quo scripsit naturalem philosophiam, per tractatus

et capitula ordine commentavit. Item ad rogatum fratrum * scripsit Theologiam * quæ vocatur “ De mirabili scientia Dei. „ Unde dicit in principio ejus : “ Cupientes petitionibus fratrum satisfacere et multorum aliorum nos * ad hoc quasi compellentium, de hac scientia scilicet divina et ejus scibilibus inquiremus. Hæc autem summa (ut idem doctor dicit in prima parte, quæstione quinta, articulo ultimo) habet quatuor partes sive libros. Primus agit de Deo secundum se et conditiones suæ perfectionis; secundus de creaturis ac vitiis; tertius de Christo et virtutibus; quartus de sacramentis ac gloria resurrectionis. Hæc summa incipit : “ Mirabilis facta est scientia tua ex me. „ Item scripsit quatuor scripta super quatuor libros Sententiarum. Item summam de decem coæquævis. Item librum de corpore Christi. Item librum de mysterio * missæ, librum de perfectione vitæ spiritualis, librum de laudibus beatæ Virginis qui incipit : “ Nunquam marcessit spina, „ librum contra Guillelmitas impugnantes religiosos, librum de bono et natura bonorum, librum de muliere forti, librum de partu hominis, librum de formatione hominis in utero, librum multarum quæstionum determinatarum, librum de origine et immortalitate animæ. Item multas prosas sive sequentias et alia devota ad Parisiensem. Item scripsit unum Officium de corpore Christi quod non est in usu communi Ecclesiæ, cum diversis prosis de eodem Sacramento. Item scripsit super Dyonisium : de Cœlesti Hierarchia, de ecclesiastica Hierarchia, de Divinis nominibus, de Mystica theologia. Item super omnes epistolas ejusdem. Item librum de Arte prædicandi. Item librum de reparatione hominis lapsi.

* *cod.* fratrem. * *cod.* theologie. * *cod.* vos. * *cod.* ministerio.

Ad rogatum Fratrum Ordinis Prædicatorum exposuit totam philosophiam et artes.

17. Ad rogatum etiam Fratrum sui Ordinis scripsit et dictavit modo mirabili omnes artes liberales humanasque scientias, scilicet philosophiam naturalem, moralem, rationalem, mathematicam et metaphysicam. In quo opere cunctis dictas scientias ad plenum scire desiderantibus sic utiliter laboravit quod viam sciendi et intelligendi facilem modumque profundum, altum, compendiosissimum, prius omnino ignotum, adinvenit et tradidit. Ait enim in principio libri Physicorum : “ Intentio nostra in scientia naturali est satisfacere pro nostra possibilitate fratribus Ordinis nostri, nos rogantibus ex pluribus jam antecedentibus annis ut talem librum de physicis eis componerem in quo et scientiam naturalem perfectam habere et ex quo libros Aristotelis * competenter intelligere possent. Ad quod opus licet nos insufficientes reputemus, tamen * precibus fratrum deesse non volentes, quod multoties abnuimus * tandem suscipimus, devicti * precibus aliquorum. Ad laudem primo Dei omnipotentis qui est fons sapientiæ et naturæ factor et institutor et rector, et ad utilitatem fratrum et per consequens omnium in eo legentium et desiderantium adipisci scientiam naturalem. Addemus autem alicubi partes librorum imperfectas et alicubi libros intermissos vel omissos, quos vel Aristoteles * non fecit vel, si fecit, ad nos non pervenerunt. Cum sint tres partes essentiales physicæ : physica, metaphysica et mathematica, intentio nostra est omnes prædictas partes

* *cod.* Aristotilis *et sic deinceps.* * *cod.* cum (cū *pro* tn̄). * *cod.* annuimus. * *cod.* devincti. * *cod.* Aristotiles.

facere Latinis intelligibiles. Primo complebimus, Deo dante, scientiam naturalem; deinde loquemur * de metaphysicis omnibus, et intentionem nostram in scientia divina finiemus. „ Hæc autem omnia Albertus Deo adjuvante complevit.

* *cod.* loquitur.

De libris philosophiæ naturalis.

18. Scripsit enim physicorum libros octo. De cœlo et mundo libros quatuor. De natura locorum librum. De causis proprietatum elementorum libros duo. De generatione et corruptione libros duo. De scientia meteororum * libros quatuor. De universalibus libros quatuor. De anima libros tres. De nutrimento et nutribili librum unum. De somno et vigilia. De derivatione philosophiæ libros tres. De sensu et sensato librum unum. De motibus animalium. De respiratione et inspiratione libros duos. De differentia spiritus et animæ librum unum. De intellectu et intelligibili librum unum. De naturali perfectione intellectus librum unum. De natura et origine animæ librum unum. De juventute et senectute librum unum. De morte et vita librum unum. De vegetabilibus et plantis libros septem. De animalibus librum. Item scripsit parvam summam philosophiæ quæ incipit: " Philosophia dividitur in tres partes, scilicet Logicam, Physicam et Ethicam. „ Item librum contra Averroistas: De unitate intellectus (librum unum). Librum quæstionum contra Averroys. Librum de unitate formæ. Scripsit magnam philosophiam, scilicet moralem, valde perlongam. De ethica libros decem. Item de monastica libros sex. De yconomica libros decem. De politica libros octo. Item exposuit ad litteram omnes libros morales philosophiæ Aristotelis, scilicet libros decem Ethicorum, libros octo Politicorum, libros duos Yconomicorum, libros duos Magnorum moralium. Item probleumata Aristotelis. Exposuit etiam tres libros Rethoricorum *.

* *cod.* metherorum.

* *sic.*

De scientia et libris mathematicis.

19. Omnes scientias mathematicas copiosissime pertractavit. Nam ipse fecit summam de scientia Arismetrica *. Item aliam de scientia perspectiva. Item aliam copiosissimam de astronomia; et quamlibet istarum scientiarum in multos libros distinxit. Item commentavit Arismetricam Boecii, Musicam ejusdem, geometriam, Euclidem, Almagestum Tholomei, Speculum astrolabicum, Perspectivam Alacenis. Fecit librum de spera mundi. Librum astronomorum. Fecit librum de scientia alchimiæ. Fecit summam ubi improbavit scientias magicas nigromanticorum: scilicet nigromantiam, geomantiam, hydromantiam, aeromantiam, piromantiam, aruspiciam, horoscopicam, augurium, maleficia, sortilegia, præstigia. Item fecit librum qui intitulatur " De secretis secretorum Alberti „ in quo mira et inaudita posuit. Item librum de natura deorum, in plures partes sive libellos distinctum. Librum de homine immortali. Item librum de duodecim alphabetis. Item librum de interpretationibus somniorum. Item librum de magistris purgandis et eligendis.

* *sic.*

De libris loycalibus.

20. De loyca sive dialectica scripsit loycam prologum, scilicet de universalibus librum unum, de prædicamentis librum unum, de sex principiis librum unum. De periermenias libros duos. De diffinitionibus lib. ... * De topicis libros octo. De Prioribus libros duos. Item Posteriorum per modum expositionis litteralis. Item fecit summam grammaticalem. Item de arte rethorica.

** spatium vacuum in cod.*

De libris grammaticalibus.

21. Item exposuit antiquos doctores grammaticales, scilicet Priscianum (in majori et minori voluminibus) et alios autores. Postquam ad longum exposuit omnes scientias metaphysicas sive doctrinales, descripsit primam philosophiam. Unde dicit in primo Metaphysicæ : " Naturalibus et doctrinalibus jam quantum licuit sensus elucidatur. Ad veram philosophiæ sapientiam accedamus „ in qua posuit libros tredecim. Item ad complementum metaphysicæ scripsit universalia et de prima causa ; de intelligentiis ac substantiis separatis libros duos.

De libris artium practicalium.

22. Fecit librum de medicina, librum de lanificio, librum de armatura, librum de agricultura, librum de venatione, librum de navigatione, librum de arte theatrica. **Explicit historia de Alberto Magno.**

DE B. PETRO AROLDENSI. (Cfr. supra, pag. 86, 20°.)

Incipit prologus in vitam venerabilis domni Petri Aroldensis (1), presbyteri.

Scripturus et memoriæ commendaturus gloriosa beneficia domno Petro, Aroldensis congregationis præposito, divinitus collata, fautores adesse gloriosos mundi principes invoco : sanctum videlicet Jacobum apostolum, ejusdem ecclesiæ patronum, et sanctissimum Johannem evangelistam, germanæ dilectionis intuitu ejusdem loci provisorem, quatinus divini verbi scientiam, quam super pectus Jesu recumbens haurire promeruit, utrorumque meritis suffragantibus, cordi nostro divina gratia aspiret, ut condigna cœlesti magnificentiæ et eorum cooperanti beneficentiæ scribere valeam. **Explicit prologus.**

(1) *Arolsen* urbs caput ducatus *Waldeck,* diœcesis Paderbornensis.

Incipit vita ejusdem.

1. Anno igitur Dominicæ incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo sexto domnus Petrus ex Richenbergensi ecclesia (1), in qua a pueritia educatus fuerat, ad Aroldensis cœnobii prælationem regulari electione assumptus, vir erat satis probabilis in via mandatorum Dei conversationis, celebrior existens vita quam fama, quotidianis profectibus per viam humilitatis et justitiæ constanter incedens et de virtute in virtutem proficiens, donec per singulos gradus diversarum virtutum conscendendo, ad arcem divinæ dilectionis, quæ perfectio est omnium bonorum, pertingeret, unde de cetero Deum deorum in Sion, ut ex pulcherrimis decedente eo ex hac vita indiciis constat, perpetualiter videret.

2 Hujus quidem prædecessor domnus Fridericus obierat. Ante quem quidam nomine Adelhelmmus, ambobus vita decedentibus, supererat: qui prædicti cœnobii fundator existens, viginti uno anno eidem loco præerat; sed infans factus, tandem amotus a prælatione fuerat. Exordium autem hujus cœnobii extabat anno Dominicæ incarnationis millesimo centesimo tricesimo quinto per domnam Gepam, nobilem matronam, quæ locum ipsum sibi attinentem consensu trium filiarum suarum voluntaria oblatione Christo sanctoque ejus apostolo Jacobo in servitutem deputavit, religiosorumque Deo famulantium et caste degentium mansionem inibi jugiter confirmavit permanere. Cujus loci advocatiam primus domnus Volcurnus, nepos suus, id est filius filiæ suæ Luthrudis, suscepit.

3. Prædictus vero domnus Petrus, ejusdem loci fidelium Christi ovium pastoralem curam adeptus, tanta circa sibi commissos diligentia instabat, adeo pro negligentiis suis eos impetebat, ut in virga Pauli adire delinquentes videretur, studiosos autem et timore sive amore Dei ferventes spiritu mansuetudinis refovere et ad profectum bonum provehere non cessaret, æmulator sanctissimi Petri apostoli et (salva reverentia apostolica) æquivoci sui, qui adhortans fideles ait : *Karissimi, obsecro vos tamquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, conversationem vestram inter gentes habentes bonam.* Non solum autem verbo tenus sic eos instruebat; sed et exemplo suo sic informabat, ut lucernam ardentem et lucentem se exhiberet : ardentem dilectione, lucentem doctrina et opere. Tantæ siquidem continentiæ, tantæ fuit corporalis abstinentiæ, ut merito denotet eum propheticum illud : *Humiliabam in jejunio animam meam;* tantæque fuit in divinis officiis et orationibus perseverantiæ, ut veraciter possit divino conspectui protestari : *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam,* et illud : *Oratio mea in sinu meo convertetur.*

4. Tertio autem prælationis suæ anno pene exacto, pridie nonas Decembris,

(1) Cœnobium est prope Goslariam. In *Monum. Germ.,* Scr. tom. XVI, p. 203, hæc de hujus cœnobii primordiis referuntur ex Annalibus Stederburgensibus : " An. 1117 ecclesia in Richenberch primum incepta est. An. 1122 dedicatio ecclesiæ in Richenberch. „ Cfr. etiam Heineccius, *Antiquitatum Goslariensium,* lib. VI, p. 114.

sciens per revelationem imminere dissolutionem sui corporis, confisusque de Dei misericordia, quodsi terrestris domus habitationis suæ dissolveretur, quod domum non manufactam æternam reciperet in cœlis, ad munimen sui contra jacula diabolica armaturam Dei præparans, confratrem suum, domnum Lambertum, missam de assumptione sanctæ Mariæ solito ordine celebrare rogavit. Ipse autem sacerdos, primo petitioni suæ renitens, sed instantia ejus devictus, promisit se exsecuturum quod rogavit. Cum autem complesset, sed non eo ordine quo promiserat, domnus Petrus acrius invectus est in eum, quod *Gloria in excelsis*, sequentiam, et *Credo in unum* non dixerit. Habebat siquidem in consuetudine singulis hebdomadibus octavam assumptionis sanctæ Mariæ Dei Genitricis solemni officio celebrare, ea videlicet feria, qua ipsa festivitas assumptionis ejus eo anno celebrata fuisset. At sacerdos scutum hujusmodi occasionis opposuit, dicens quod, si litteratum quempiam adesse contigisset, hujusmodi celebrationis ordinem, utpote circa Adventum Domini insolitum, vituperare et ignaviæ deputare merito potuisset. Domnus vero Petrus qui jam obitum suum præscierat et regem cœlestem per internuntiam reginam Dei genitricem placare in proximo obiturus quærebat, responsum dedit ei simile juxta hoc quod ait Dominus Petro: *Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea.* Dixitque se commonefacere eos subsequenti tempore qua de causa id fieri decrevisset. Ubi vero ventum est ad id qua * sacri olei unctione linitus est: *Ecce,* ait prædicto sacerdoti, *ecce negotium quod portendebat missa quam de assumptione beatæ Mariæ vos celebrare rogavi.*

* *sic.*

5. Post prædicta vero septem dierum spatio evoluto, tertio idus Decembris, tam paralysis quam febrium vexatione adeo cœpit arceri, ut viribus corporis destitutus lecto cubare compelleretur. Exinde dominica superveniente, quia sacerdos alibi occupatus ei defuit, corpus Dominicum afferri expetiit. Quod ut allatum præsto esse cœpit, cum reverentia et tripudio magno illud excipiens, voce alacri et competenti decantare cœpit : *Advenisti, desiderabilis, quem expectabamus in tenebris* et cetera. Inde verbis expressius eum Dominum salvatorem appellans, lacrimarum imbre perfusus ait: *O Domine Jesu Christe benedicte, te benedico, laudo et glorifico, quia per te benedictio omni animali, cœlesti ac terrestri, provenit, ut scriptum est, " Omne animal adimples benedictione. „ Et tu, Domine Deus miserator et misericors, qui secundum magnam misericordiam tuam me peccatorem, minimum servorum tuorum, visitare censuisti, et adesse mihi essentia divina pariter et humana in sacramento sacrosancti corporis tui dignaris, immensas et innumeras tibi refero gratias. O adoranda Trinitas, o veneranda unitas! Imploro quoque clementiam tuam, Domine Deus, ut hanc præsumptionem, quod te sine sacerdote per mei ipsius indignas et pollutas manus assumere præsumo, non pœnitentiæ satisfactione, non confessionis salutari remedio delictorum maculis ablutus, non excessuum sordibus emundatus, sola tui gratia impunitati attribuas, qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Multum enim perterret et perturbat conscientiam meam reatus sui conscientia, quod psalmista David, peccantes ad pœnitentiæ satisfactionem invitans, forma sui præstruit, dicens : " Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrimis meis stratum meum rigabo. „ Singulis enim*

noctibus, id est singulis quibuslibet criminum excessibus diluendis, fletus et planctus remedium salutiferum adhibendum est, quatinus cor quod vitiositatis tenebræ Deo offenso præfocaverint, divina gratia, quæ cor contritum et humiliatum non despicit, lumine suæ visitationis gratuita clementia jam conversum perlustret. Ego vero miser et miserabilis istorum immemor, condignos fructus pœnitentiæ dum prope est Dominus facere neglexi, quippe qui nec lacrimam unam indulgentiam postulando effudi.

6. Exinde subjunxit, auscultantibus qui aderant, dicens : *Et si meritus non sum, Domine Jesu, te suscipere (non sum etenim, quantum ad respectum bonorum operum fidei), tamen innocentiam illibatam custodiens, spei et dilectionis te præsumo complectere brachiis, confidens non ad judicium sed ad vitæ perceptionem æternæ mihi provenire panem vivum, qui de cœlo descendit, habentem omne delectamentum et omnem saporem suavitatis.* Tres igitur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti hostias tremens et lacrimans, uberesque lacrimarum imbres effundens assumendo degustavit.

7. Post hoc quartam oblatam sacrificii acceptam extollens, aiebat : *Domine Deus meus, ecce quos mihi commisisti, tuæ ineffabili clementiæ custodiendos et muniendos et quæ sunt facienda vel vitanda docendos et ad hæc perficienda idoneos faciendos, commendo, sicut tu, Domine, Matrem virginem sancto Johanni virgini commendasti, quatinus eos a malis omnibus tam corporis quam animæ protegas, foveas, postque ad cœlestis regni perpetua gaudia perducas. Ego enim, minus idoneus eis erudiendis et ad bona et salutaria informandis, te volente, non superero ; qui si præesse et prodesse eis idonee valuissem, non adeo me ipsis tollere accelerares. Sed tu, Domine, qui omnia in sapientia fecisti, et omnia in numero et pondere disposuisti, cujus in sui dispositione providentia non mutatur, fiat voluntas tua in nobis sive viventibus sive morientibus ; quia, sive vivimus, sive morimur, tui sumus.* Hæc autem sententia resignationis forte sibi exinde suberat, quoniam psalmista ait : *Imposuisti homines super capita nostra.* Jam ex hoc Dominicum corpus pro more suo jugibus osculis ambivit, deinde pixidi venerabiliter imposuit et super altare ecclesiæ portari præcepit. Exinde ut secunda feria occasu suo jam terminabatur, olei sacri unctionem petiit et accepit et sacrosanctum corpus Dominicum denuo percepit.

8. Interea instituerat sorores finitis septem psalmis letaniam pronuntiare, in qua sanctus Johannes apostolus et evangelista loco suo intermittebatur. Ipse autem hoc interstitio loqui nequivit, nutu tamen quo valuit eas ad reinceptionem omissi apostoli reducere sategit. Tandem ut habilitas fandi ei affuit, ordine postposito ipsum apostolum letaniæ inseruit. Exinde membra quiete refovebat. Post modicum autem expergefactus, vociferans proclamavit : *Gratias agite mecum Deo, quia gaudio immenso nunc repletus jam lætus moriar, et alacer vita decedo.* Percunctantibus vero qui aderant causam verbi prolati, ipse subintulit : *Licet proditionis notam incurram, tamen, quia cogit vis dilectionis vestræ, quæ viderim vestræ caritati effabor, in laudem et gloriam Patris et Filii et Spiritus sancti ac gloriosæ dominæ nostræ sanctissimæ Dei genitricis Mariæ, quæ nunc legatos suos, patronum*

videlicet nostrum sanctum Jacobum apostolum et couterinum suum sanctum Johannem apostolum mihi destinavit, pronuntiantes mihi obitum meum et transitum ex hoc mundo. Quod ne fieret unanimiter cuncti præsentes obnixe adoptabant. Ipse autem ut legatio hæc effectui proveniret multa precum instantia exorabat; et ne denuo id repeterent, blando verbo omnimodis interdixit.

9. Quos ut sollicitos de successoris sui futura qualitate et incerta habitudine sensit, benigne ipsos consolans : *Nequaquam,* ait, *gravari timeatis per personam vestræ prælationi importunam, quia et ipsum penes superos rememorari non est postpositum. Sic enim ibi definitum ibi noveritis, quod talem habituri estis, qui etiam plus me auxiliante Dei gratia prodesse vobis, tam in spiritualibus quam in carnalibus, et sciat et possit.*

10. *Sed et hoc dixerim quod domnus Adelhelmmus, fundator hujus cœnobii, ob penuriam aquæ hinc ad alium locum aliquando vos transtulit, unde locus hic dilapidationi et destitutioni patuit. Ob hanc causam et ob alias quasdam patronus loci hujus, sanctus Jacobus apostolus, et sancta virgo Christi Egburgis* (1), *gloriosi meriti apud Dominum, quod quidem hactenus non liquido cognovi, non modice commoti sunt frequentiusque adversus eum Dominum compellunt et non immerito. Nam instantia precum suarum a Domino obtinuerunt, ut huic loco et monasterium satis decens, et prædia et supellectilis ornamenta, campanæ quoque ac luminaria abunde satis collata fuissent, si destitutioni hujus loci non adeo institisset. Inde enim ecclesia quæ nomen habet Capella, quæ huic ecclesiæ aliquando attinebat, cum damno reliquarum rerum avellebatur, quo ipse domnus Adelhelmmus primo hoc loco derelicto transire disposuerat. Qui cum se deinde cum suis in Vallem aquæ contulisset ad manendum ibi, judicio Dei exauctoratus et a prælatione ovium Christi amotus abscessit.*

11. Quæ ut auditui quorumdam insonuerunt, ægre tulerunt, dicentes : Aliud eum ibi commeruisse, qui multa bona ipsis et loco prædicto fecisset, qui et omne quod hic circa nos campestre cernitur, ipsius eruderatione pene a limine cimiterii exstirpatum elaboraverit, et nisi ipse congregationis hujus fundum per domnam Gepam præoccupasset, nulli *dubium quod huc usque nemo fecisset* *. Quibus compendio verbi responsum est : *Ordinationi divinæ nullus obsistere valet; omnia enim quæcumque voluit Dominus fecit. Sed o utinam adhuc ipse domnus Adelhelmmus resipiscat, ne tanti laboris sui mercede apud Dominum privatus depereat. Primo enim hodie intellexi quomodo de eo res se habeat. Qui si hesterno mihi advenisset, honeste et caritative eum secus me collegissem, et ut hactenus feceram, pro posse ei benefecissem; nunc autem id facere non præsumerem. Contestor autem caritati vestræ, exinde quia, si quantum hominis visus de longinquo prospicere posset, frutecta exstirpando excoluisset in ususque vestros contulisset, non adeo Deo vel sanctis ejus acceptum foret quam unius animæ integritas. Res nempe mundi Deus homini contulit, animam vero suæ specialitati reservavit. Per paternum itaque affectum exhortor vos et suadeo, et per auctoritatem prælationis sive per virtutem*

* *cod.* fecit.

(1) Ejus legenda statim sequetur.

* *vox suppleta.*

obeditionis in virtute Spiritus sancti jubeo, ut quamdiu is in hac vita vigens pullulat, numquam eum vobis præferri patiamini nec saltem in commansione super triduum admittatis.*

12. *Post hunc domnus Fredericus, ut scitis, antecessor meus, vobis prælatus est, qui primo tenorem Ordinis nostri ad æquitatis lineam hic reformabat; qui si diutius vixisset, procul dubio in multis sibi commissos prætulisset. Sed nihil quod ex omni parte beatum. Bona denique æmulatione sategit; sed non in cunctis sinceram scientiam habuit. Unde liquet? Quia non contentus propriis, aliena invasit, dum* Volchardeshusen *omnes sibi commissos cum rebus et ædificiis induxit. Cujus rei indissolubiliorem pene præ ceteris noxam meruisse ex hoc colligitur, quod ibidem sepultus non cum reliquis inde in locum istum translatus est, quando omnes nostros in duobus illis locis sepultos præter ipsum solum in hunc locum transtuli. Antequam vero ad extrema ipse domnus Fredericus devenisset, portentis quibusdam præstruebatur, exinde quasi crux australis altaris in faciem solo tenus triduo decumberet, quam toties erectam loco suo reverenter restituit. Alia quoque aliqua præviderat quæ ipsi finem suum prænuntiare et intimare videbantur. Exinde gravi ægritudine præventus abbatem de* Flectorf (1) *et abbatem de* Hersethehusen (2) *ascivit, per quos unctionem astantibus suis sacri olei accepit. Postera vero die in multa fide ac spe præsentibus suis debitum carnis exsolvit.*

13. *Post hunc ego Petrus qualiscumque regimen hujus collegii adeptus, inibi, duobus annis supervixi, et tertio a media quadragesima usque in vigiliam sancti patroni nostri Jacobi apostoli manebam, et ipsa die cum universis nostris hunc locum repetebam. Exinde multa precum instantia ex intimis suspiriis cœpi deposcere a Domino Jesu Christo, futurorum præscio, ut, si pueris nostris profuturum prævidisset, me de medio quantocius tolleret. Interea Dominam meam, sanctam Dei Genitricem, sanctosque couterinos apostolos, Jacobum et Johannem, et sanctam Egburgam in adjutorium ad obtinendum quod quærebam subnixe interpellabam; quorum subnixus suffragio, quod petii accepi, lætissimum videlicet et jocundissimum nuntium translationis animæ meæ de corpore ad cœlestis regni perpetua gaudia. Quædam quoque ex vobis non post multum eodem modo transferemini. Hujus vero legationis auctores fuere dominus et patronus noster sanctus Jacobus cum fratre suo sancto Johanne apostolo, pulcherrimo adolescentulo, inde videlicet quia licet nonagenarius virgo tamen fuit, dum de corpore transiit. Nefas itaque dixerim hos tales ac tantos posse quid mentiri. Sed nec ego ausu tam frivolo jam in extremis positus abutar, ut eis imponam quæ non protulerint edisse. Sed hæc, ut examinatius ea teneatis, non in longum protelabuntur; sed tam de me quam de vobis quantocius perficientur.*

14. Tunc sub silentio eos orationi vacare præcepit, ut paululum sopore refove-

(1) *Flechtorp,* monasterium Ord. S. Benedicti in comitatu *Waldeck,* diœcesis Paderbornensis, fundatum anno 1101 (*Lexicon Deutscher Stifter,* Otto Freiherr Grote, p. 151). — (2) Hardenhusium, magna et celebris abbatia Ord. Cisterc. in agro Warburgensi, diœcesis Paderbornensis in Westphalia (Janauschek, *Origin. Cisterc.,* tom. I, p. 60).

retur. Experrectus deinde super quinquaginta leucas circuisse se aiebat. Sciscitantibus autem illis quorsum aut cum quibus : *Cum sanctis*, ait, *apostolis Johanne et Jacobo* Catelenburch (1) *octavam dedicationis ecclesiæ peregi. Contectales etiam meos et fratres speciales Richenbergenses adii. Silens tamen et insalutatus ab eis rediens,* Lammespringe (2) *quoque jam exacta die deveni, ubi prælatum ipsius loci cum domno Elfero confratre et præposito cum aliquibus suorum gesticulantes repperi.* Quæ autem ipsa fuerint, per singula perdocuit. Domnus vero Elferus, ut post illo devenit taliaque eum protulisse audivit, vera per omnia de se ac suis affirmavit. Adhuc cuidam de domno Gerhardo Richenbergensi percontanti : *Nondum*, ait, *ut opinamini, ad superos conscendi, sed nec terram viventium adhuc intravi ; cum dominis autem meis gloriosis, cæli et terræ principibus, circumquaque obversabar. Quod quomodo fuerit, sive in corpore sive extra corpus, nescio ; Deus scit.*

15. Deinde : *Quæ vestrum*, ait sororibus, *sanctum Nicolaum supplex pro me compellaverat?* Præsentes vero, responsum non in promptu habentes, contestabantur se immunes fore. Et ille : *Transitus*, inquit, *de corpore mihi dum propensatur, sancti martyres Vitus, Blasius, Adrianus et sancta virgo Egburgis mutari sententiam obnixe flagitabant ; sanctus quoque Nicolaus tanta instantia id fieri exegit, ut sanctus Jacobus illi obsistens postremo ei facietenus occurrit dicens : " Quamquam, domine Nicolae, potens et fortis venator sis in mundo, et perplurima opereris mira et miranda, adeo ut nec majores tui apud Dominum talibus coæquiperare valeant, tamen et in hoc negotio frustra reniteris. " Ad quæ verba sanctus Nicolaus licet ægre ipsi obtemperans, in magna dilectione conquievit, plane ut principi cæli ac terræ. Deus autem Dominus nunc et semper sit benedictus, quod refragantes sententiæ meæ minus velle suum obtinuerunt. Si denique mundus in summa totalitate sua de auro mundo et obrizo foret, eoque frui mihi ad mille annos et super multa secula in omne votum et delectamentum seculare liceret, non hanc vicissitudinem coæquiperarem nec conferrem aut compararem, quin nec susciperem. Dominus etiam meus, sanctus Jacobus, congratulatur parvitati meæ, quod suo patrocinio commissos pro posse meo regulariter educaverim, et quod defunctos et alibi sepultos loco suo reinduxerim, inque deditícium suum sibi eos resignaverim. Ex hoc, carissimi, verius cognoscite quod, si quid noxæ per vagationem contraxistis, sancti apostoli Jacobus et Johannes et sancta virgo Egburgis et loco et personis impunitatem* dedunt, et temeritatis animadversionem gratis relaxant, si de reliquo talia omnino postponatis, nec hujusmodi denuo lasciva inconstantia vobis subrepat, quæ vobis non in prosperum cedent.*

* *cod.* impunitati.

16. Hujus dulcis allocutionis sermoni inseruit verba exhortatoria de confessionis qualitate, utilitate et causa. De qualitate quidem, quod remissio peccatorum constet compunctione cordis, confessione oris, exhibitione corporalis satisfactionis. Ut, sicut tribus modis omne peccatum committitur, videlicet suggestione, delectatione, consensu, sic triplicis speciei remedio Christi favente gratia diluatur.

(1) In provincia Hanovriensi, prope *Osterode*, circaria Hildesheimensi, fundatum anno 1104. — (2) *Lamspringe*, prope *Bilderlahe*, in Hanovria, circaria Hildesheim.

Utilitas vero confessionis hæc est : quia, si confiteamur peccata nostra, fidelis et justus est Deus, ut remittat nobis peccata nostra et mundet nos ab omni iniquitate. Causa quoque confessionis sive pœnitentiæ exinde necessaria est, quod adversarii nostri delicta nostra quæ non fuerint confessione diluta, colligentes congerunt, scribentesque ea usque ad diem hominis extremum thesauris suis recondunt, ut hinc inde alternatim a dextris et a sinistris exponendo condemnent. Scriptura vero illorum et thesaurus, indissolubilis est eorum memoria, qua perpetrata a nobis peccata oblivisci non possunt. Ut vero ex catholicorum doctorum traditione suscepimus, geminos angelos, lucis et tenebrarum, qui circa nos utrobique obversentur, habemus : unum ad confortandum, alterum ad tentandum ; unum ad custodiendum, alterum ad seducendum. Dexter enim semper adhortatur nos et confortat ad bonum ; et munimento est contra insidias et incursum maligni. Tempore autem soporis nostri uterque suos coæquales revisunt, et quæ a nobis actitata sint ipsis referunt. Unde nobis pernecessarium est ut in omnibus operibus nostris cauti et circumspecti simus, et dum offenderimus celeri satisfactione in melius errata nostra emendemus, ut quod apud hostem nostrum indissolubili memoriæ in confusionem nostri æternam committitur, salutari remedio condignæ pœnitentiæ diluatur. Cui rei videtur attestari quod aiunt servi Saul : *Ecce exagitat te spiritus Domini malus.* Sed si Domini, cur malus ? Si malus, cur Domini ? Sed noveris Dei potestatem semper esse justam ; maligni autem hostis semper injustam ; propter amministrationem autem ipsius ad expletionem voluntatis Dei, bene utitur eo Deus, nunc ad damnationem reproborum, nunc ad exercitationem vel probationem bonorum.

17. His et hujusmodi pluribus ab eo dictis, secundum formam sensus aliquomodo a nobis expressis, subintulit : *Quæ Domina mea, sancta Dei Genitrix, indiderit, pando. Quotiescumque ait ad Dominum : “ Domine fili, iste tuis obsequiis intima devotione instans tuæ majestatis reminiscitur ; ob tui gratiam mei nequaquam obliviscitur ; „ Dominus autem ad ipsam : “ Domina, inquit, mater, quoniam quidem, ut testaris, iste ad beneplacitum tuum tibi obtemperans devotus adeo extitit, ipsum tuæ censuræ attribuo. „ Quæ ad me conversa sic ait : “ Hoc triduo pro excessu inobedientiæ balneandum tibi superest ad transmigrandum, quia ipsa die, qua solemnizabas festivitatem assumptionis meæ de hoc mundo te assumam : „ videlicet proximam feriam quintam in qua obiturus essem, designans. Hoc denique ipsa asseverat, hoc exhibitione probat, quod omnia quæ in hac vita sub rationis constitutione sibi devoti perfecerimus, justæ examinationis remuneratione in cœlestibus pensentur. Ibi quoque propensabatur quod unctio sacri olei per dominum Lambertum sacerdotem et pueros nostros mihi legitima ac sincera fuerit exhibita, et ideo fructuosa et effectuosa ad diluendas sordes criminum sit addicta. Sanctum etiam Johannem apostolum, quem intermissum in pronuntiatione letaniæ, quamvis jam tunc mutus, reinduxi, ibi recognivi, gratiasque non modicas exinde percepi. Qui ut devotus sicut* benignus et benivolus, aggaudens parvitati meæ, aiebat mihi : “ Noveris me cum coapostolo meo et dulci germano Jacobo in hoc loco velle totius communitatem reverentiæ et devoti servitii in Salvatorem nostrum æque promereri ;*

* *sic.*

sed et omni patrocinio et protectione me ad tuitionem hujus congregationis confratri meo assistendum censeo. „

18. Quarta dehinc feria, circa meditullium noctis, aiebat : *Quando quidem terminus vitæ mihi vicinior adest, de privatis et adoptivis mihi singulari electione sanctis, vobis demando filiabus, quatinus vices meas, singulos sigillatim venerando, exequamini, ut ad formam mei condigna in cœlis mercede ab illis favente Domino remuneremini. Primaria igitur horum omnium est specialis domina mea, sancta videlicet Dei genitrix Maria; deinde sanctus Michael cum consodalibus angelis; sanctus Johannes Baptista, sancti apostoli Petrus, Paulus, Jacobi bini, sanctus Johannes evangelista, sancti martyres Blasius et Eustachius cum sociis suis; de pontificibus sanctus Martinus et sanctus Nicolaus.* Ipsa vero nocte, cum reverentia et devotione se continere omnes commonebat, obinde videlicet quod sanctam Dei genitricem advenisse testaretur. Qui cum percunctarentur ubinam foret ipsa Domina, ait ipse : *Non eam quidem corporalibus oculis, qui jam defecerunt, contueor, nec quidquam terrestre, nec quemquam vestrum; sed per vocem Dominam meam cognovi, sicut et quemque vestrum per vocem pernosco. Noveritis autem quod quos ex cœlestibus desiderio habui, jam videre et cognoscere possum; sicque de his nonnulla secreta cœlestia hactenus ignota pervidendo didici.*

19. Jam ut tempus matutinalium instabat et nocturnalia officia completa fuissent et ad eum de choro ventum esset, si quid offensionis in divinis laudibus obrepserat, personas offendentes denominans et tenorem dictionum discretius exprimens veraci ratione correxit. Hinc silentio aliquantulum habito jamque crepusculo diei præcluente, in hanc vocem subito et insperate prorupit, bis dicens : *Bonum consilium.* Insistentibus eis cur hoc protulisset, ait : *Octonis hostium nostrorum semel expulsis et tot secundo per dominos nostros apostolos eliminatis, abunde in gratia exulto.*

20. Post hæc operam officii altaris exequi quam devotius instituit, quatinus inde participans viatico Dominico muniretur. Peracto denique divino officio, ut adesse corpus Dominicum persensit, candelas accendi, thuribulum cum thure ac thymiamate suffusum præferri præcepit, sicque mediocri voce incepit antiphonam : “ Dum fabricator mundi. „ Cum autem ventum esset ad verbum illud : “ Redempta est mundi, „ jam quasi expers totius infirmitatis in altum vocem extulit, ipsoque tenore serena satis claraque voce percantavit. Quo facto, quanta devotione fidei, quanta spei exultatione corpus Dominicum sumpserit, vix aut nullatenus effari potest.

21. Sumpto igitur viatico, instituit qui sibi decantarent in veneratione sanctæ Dei Genitricis responsorium “ Ave sponsa, „ itemque sequentiam “ Congaudent angelorum. „ In qua ut ventum est ad versum illum : “ Te, cœli regina, „ quasi fuerit immunis omnis imbecillitatis, manibus et brachiis se vi excedente sustulit et ad sedendum plane cocgit, elevatis in altum manibus modiceque discretis ac si altario astaret. Tanta vero hæc exequebatur virilitate, ut cunctis ibi positis terrori et horrori esset, tali nunc habitudine adepta in quo ante defectissima fuerit conspecta. Sic ergo explosis manibus, ut dictum est, ut paululum se detinuerat,

concite ad pedes usque versum se totum jecit. Ac si quid illo fugiens quod arripere moliretur, se totum eo transfudit, dicens : *Per animam meam, Domina dulcis et optima, me derelicto non abibis; immo absque retractatione concedes mihi tibi commeare.* De his singulis præsentes turbati, in invicem submussitantes *, non esse ipsum sani capitis referebant. Quod ut recognovit, duas ex eis ad se vocans, digitis suis prioribus earum digitis innexis, ait : *Si verum est, immo quia est, quod digitos vestros contineo, quodque Patris et Filii et Spiritus sancti una et vera est divinitas, sic verum est quod dixi, quod gessi, nihil falsitatis continens. Ad cujus veritatis testimonium comprobandum, videbitis quod inter galli cantum et Primam proximæ diei de corpore transeam. Quod licet ita sit, toto tamen sex hebdomadarum spatio vobiscum quamquam invisibiliter manens, raro aliquando huic loco abero. Proinde, quia Domini nostri Jesu Christi ac Dominæ nostræ sanctæ Dei Genitricis solemnitas, videlicet Nativitatis Domini, jam cominus instat, in vigilia ipsius omnis mihi controversia sententiarum hostilium terminando extricabitur. Interim vero Domini mei, sancti apostoli Jacobus et Johannes, non longe aberunt, benigne tuendo consolantes, ne pars malignantium plus justo vel disposito mihi calamitati sit vel ærumnosæ punitioni.* Quod autem Dominam suam se comitaturum juraverat, contra morem suum fecerat; quia tale quid, jurare, in usu non habebat. Exinde ea discedente : *O benignissima omnium,* ait, *cur me deseris? Licet enim ego tantillus servulus, servorum tuorum sim postremus, tu tamen propter dulcedinem benignitatis tuæ et reverentiam legatorum tuorum, quos mihi destinasti, non debuisti mihi sic fecisse. Non enim fatebor te promissum implesse. Sed si sic præfixum habes de me, licet ægre, noctis hujus intercapedinem sufferam.*

* *cod.* submusitantes.

22. Hinc itidem silentio aliquantulum habito, jamque ad occasum sole terminum diei, scilicet quartæ feriæ, comminante, sic valitudine omni corporali destituitur, ut desperatus de stratuque submotus solo prosterneretur; ubi pene cunctis expirasse videbatur, ut compulsandum ei fore arbitrarentur. Adhibita igitur pennula plumaria ostiolo halitus sagaci industria, superesse ipsum adhuc vitæ deprehenderunt. Cum autem sic ad congelicium usque ibidem decumberet, inita tandem habili consultatione stratu suo reposuerunt eum; ubi etiam aliquamdiu loquela carens erat. Tandem de impactione validæ infirmitatis animabatur. Quæ se circumstarent percunctabatur. Quod ut rescivit, omnes præter bis binas eliminavit; fatiscentes artus quieti dandos retulit. Quo post modicum expergefacto, pro reparatione virium aliquid pastus conferri sibi suggerebant. Quibus : *Nequaquam,* ait, *ulterius his fruar; quia nec licet nec cupio. Ad nihilum enim mihi proderit talis refectio, dum crastina die tempore prælibato a corpore recedo. Ut autem jam superius attestatus sum, vobiscum post obitum anima mea commorabitur. Quamquam denique vobis videri nequeam, tamen vobis aliquantis indiciis evidentioribus sive vigilantibus sive soporantibus apparebo.*

23. Hinc poculum ut petiit, vinum quod præsto fuit accepit. Quo * prægustans, dimovit a se dicens vinum causam esse proditionis. Inde aquam petitam degustatamque a se rejecit; sicque itidem stratu suo se reposuit, ibique sic [jac]ens conticuit. Hinc inde ut loqui potuit, ab imo longa suspiria trahens bis aiebat : *O*

* *sic.*

obedientia. Percunctantibus autem illis cur hoc tam invective geminaverit, dicebat: *Carissimi, obedientia est quæ singulos fideles conservabit. Causa denique hujus sollicitudinis, quæ me coegit tantum gemitum efferre, dico vobis, quam* * *reatus detinet noxam. Cum primum synodum* (1) *præsulis nostri Bernhardi adissem, quorumdam sacerdotum reprehensibilitatis culpam ipse præsul noverat, hanc videlicet, quod jejunium septembris mensis eo tenore quo ipse universis indiderat, non executi fuerant in suarum ecclesiarum competis. Quapropter quicumque hujus realitatis notam habuisset, in medium procedere pro subeunda satisfactione jussus est, sub obtentu veræ obedientiæ. Sed ego, proch dolor, qui ibi recentius adveneram, procedere ob verecundiam omisi: qua sola de causa triduo ante transitum de corpore, ac quinos post, pœnales habiturus sum dies.*

* *sic.*

24. Hæc gemebundus contestans, ut fandi facultatem post nactus est: *Quæ propheta,* ait, *Samuel ad Saul regem, de inobedientia eum corripiens, dixerit, vobis replicabo, ut eo devotius meæ pœnali calamitati compatiamini obedientiæque operam adeo necessariam numquam postponatis. Ait enim: " Numquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potius ut obaudiatur voci Domini? Melior est enim obedientia quam victimæ, et auscultare magis quam offerre adipem arietum; quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare et quasi scelus idolatriæ nolle acquiescere. " De quibus verbis quid beatus Gregorius, organum sancti Spiritus, sentiat, recensendum vestræ caritati puto. " Obedientia, inquit, victimis jure præponitur, quia per victimas caro aliena, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Tanto ergo quisquam Deum placat citius, quantocius repressa mentis suæ superbia gladio præcepti se immolat. Quo contra ariolandi peccatum inobedientia dicitur, ut quanta sit virtus obedientiæ demonstretur. Ex adverso ergo melius ostenditur quid de ejus laude sentitur. Si enim peccatum ariolandi est repugnare et quasi scelus idolatriæ nolle acquiescere, sola est obedientia quæ fidei meritum possidet, qua sine quisque infidelis esse convincitur, etiam si fidelis esse videatur. Hinc per Salomonem in ostensione obedientiæ dicitur: " Vir obediens loquitur victorias. " Vir quippe obediens loquitur victorias, quia dum alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus. " Ut autem compendiosiore vos eulogio conveniam, aliud quoque in modico substernam. Voluntas Dei est quam Christus fecit et docuit, humilitas in conversatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis; in discretione justitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, perfectio in obedientia.*

25. Post hæc silentio ac quieti se vacaturum aiebat. Quo post modicum exempto, expergefactus subjecit: *Domina mea, mater deifica, per legatos suos, eosdem videlicet quos ante jam destinaverat, me insperate arguit quod quidquam diffidentiæ de promissione ejus habuerim; insuper tempore opportuno executuram se ex integro promissionem suam spopondit. Sanctus etiam Michael archangelus, domnus meus, hoc mihi pollicitus est quod, cum opportunitas affuerit, tuitionem suffragii sui suorumque consodalium procul dubio experiar. Hanc vero veneratio-*

(1) Indicatur synodus quædam habita sub Bernhardo, episcopo Hildesheimensi, sub annum 1146 (Hartzheim, *Concilia Germaniæ,* tom. III, p. 784).

nem sanctæ Dei Genitrici exhibui, ut continue semper novem lectiones cum totidem responsoriis et psalmis, sed et octavas festivitatum ejus et deinde singulis hebdomadibus eam feriam, quæ festivitatis ejus erat, eodem officio ejusdem festivitatis solemniter celebrarem. Itemque octavas electorum mihi sanctorum, videlicet sancti Michaelis, Johannis Baptistæ, apostolorum Petri et Pauli, Andreæ, duorum Jacoborum, Johannis evangelistæ et sanctorum martyrum Blasii, Eustachii sociorumque ejus et sanctorum pontificum Martini et Nicolai, devote solemnibus officiis exequebar. Hæc æmulationis causa eis præferebat.

26. Interea quædam sororum, nomine Gerthrudis, ingressa et ex vocis indicio ab eo cognita, bis repetito nomine appellans eam ait : *Si nosse posses quod notioni meæ de te impressum est, cautius te ageres.* Quod de transitu ejus eum protulisse claruit, quia ea post paululum temporis, septimo kalendas Martii, obiit. Sciscitatus vero ubi sepeliri vellet, non sibi curæ fore ubi ait. De privatis autem quamdam ascitam, quod ponendus foret ante majus altare sic indicavit, quatinus clam foret quamdiu viveret. Sed et domnum Elferum, cujus ipse pridem utcumque meminerat, omni genere suæ sepulturæ absque cunctatione affuturum prædixerat.

27. Extremitate denique diei jam pene transgressa, quia crepusculum noctis exordiri cœpit, domnæ priorissæ Gislæ ait : *Utinam domni nostri præsulis præsentiam obtinuissem!* Quæ respondens, ad quid tantopere ipsum desideraret inquisivit. Ipse vero pro noxa inobedientiæ ut præscriptum est se non modice sollicitatum id dixisse asseruit. Qua respondente ignotum sibi esse ubi præsul foret, ipse expeditissime in *Hersethehusen* * eum consistere ad præsens ait, sed quia jam obitus ejus immineret, nequaquam eum, si vel partem viæ transisset, opportune supervenire posse. Frater autem, nomine Heremannus, postea illo veniens sic fuisse omnium relatione comperit.

* *in marg.* Hardehusen.

28. Dehinc infra gallorum sonos priorissa de viatico eum commonuit ; quod et complacitius audivit, domnumque Lambertum hoc exequi supplex rogavit. Quo allato, cum percunctaretur si Dominicum corpus sumere gestiret, ait : *Och, rustice, unde adeo vulgari nomine hoc obrepsit vobis eloqui?* Nam in populari plebe non est ignota hujus verbi forma vel sensus. Qui percunctatus quo id verbo habiliore vellet extolli : *Date,* inquit, *mihi Dominum meum, conditorem, salvatorem meum, ut sua gratia ipsum percipiam, quo in ipso et cum ipso perpetuo maneam.* Inde in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti communicavit et de calice poculum sumpsit ; deinde illis psalmis insistere indidit, inter quos et ipse silentio vacavit.

29. His ita præmissis, cum beatus pater ad hujus temporalitatis quas diu multumque desideraverat, metas aspirasset, et jam primos intempestæ noctis silentio galli cantus inhianter auscultasset, quasi diceret : " Quis dedit gallo intelligentiam ?„ et " Gallo canente spes redit, ægris salus refunditur, „ et spe beata animatus quam præfati sumus legationem apostolorum fideli mente considerans, ad salutem et ad supernæ jocunditatis bravium feliciter prospectans, non tam alta quam præclara devotionis voce, laudum carmine infectus, in laudes Domini erupit, dicens : *Te Deum laudamus,* totum versum. Et jam ac si agonizans, subjectos coessentes sibi laudis canticum psallendo percurrere instituit : " Gloria et adoratio et laus a

sanctis suis Salvatori nostro Jesu Christo. „ O decus, o gloria! Homo jam jamque moriturus non mortem, non pœnalem mortis sententiam expavescens, laudibus Domini ac si jam vicisset gloriose gaudens unice * institit. Cum autem exordium * *cod.* mic. diei immineret, solo se prosterni præcepit; ibique post modicum, cunctis suis præsentibus, debitum carnis, sicut ipse ante paucos adhuc dies vivens coram se scribi præceperat, xiiii kalendas Januarii persolvit.

30. Biduo autem insepultus propter verbum præmissum permansit. Dum vero secus sanctam Egburgem fossa sepulcri facta fuisset et juxta verbum præfixum domnus Elferus advenisset, nondum propalato sibi verbo quod prædictæ sorori insinuaverat, percunctante domna Gisla priorissa ubinam decentius poneretur, ipso deliberante penes majus altare factum est sepulcrum, in quod et positus est.

31. Et quia dixerat se eis loci commansione tempore præfixo licet invisibiliter commanere, pauca quæ de his probata sunt compendio quo valeo exequar. — Una sororum, nomine Salome, advesperascente die materiam operis sui ad manum non habens : *Si sancta Egburgis,* ait, *eam mihi transmittat, credam eam esse sanctam.* Hæc adhuc vix expleverat et ecce ventus vehementissimus, ut turbo validus, ad ipsam convolat; quam apprehensam, ac si humerotenus quasi ignis incendio immergenda foret, omnibus membris concussa et dissoluta contremuit et habitudine mortui simillima expalluit. Tandem a consororibus suis commonita, satisfactionem in ubertate lacrimarum ipsi Sanctæ spopondit et numquam ulterius quid tale promisit se acturam : unde celerem prosperitatis gratiam obtinuit. Huic affuit ipsa hora couterina sua, nomine Gisla, quæ non longe post defuncta est, ut domnus Petrus prædixerat. Quæ pro sorore clamans et flens, adeo indoluit ut vix sedari posset. Subsequente autem nocte, in visione soporis ubi domnus Petrus sedebat Salome advenit. Quam jocundule sic alloquebatur, dicens : *Domna Salome, num sero aliquid habuistis?*

32. Alia itidem eodem tenore visionis nocturnæ vidit domnum Petrum in communi, et universas convenisse pro more suæ professionis. Quarum noxarum causas discussit et inventas correxit, præter aliquarum quæ ultronee judiciariæ se sententiæ addixere; quas redire jussit, dicens se nec posse nec velle ipsas sententia sua mutare : aliorsum statui debere alteræ * sententiæ. Cum hæc deinde ex * *sic.* somnis facta fuisset, quæ viderat quæque audierat exposuit. Designatæ igitur hinc satis sollicitatæ totæque infirmitate deprehensæ, recubitum stratus sui occupare cœperunt : et pars quidem earum primo mane hoc exequebantur, reliquæ vero circa finem diei ægritudine arcebantur.

33. Eodem tempore fuit inclusus, nomine Petrus, in monte *Eresberch,* honorabilis persona et presbyter in monachico habitu, avunculus præfati domni Petri; qui per internuntiam matronam quamdam de *Harohusen* demandavit sororibus in *Aroldessen,* quod dilectus earum domnus Petrus, filius sororis suæ, quadam nocte sibi in magna jocunditatis dulcedine apparens, inter cetera dulcis sermonis colloquia de obitu cujusdam sororis ex consortio earum mentionem fecisset; quam tamen veteranam denuntians, cui de seculo migrare senectutis imbecillitate incumbente

non oneri esse posset, ablationem ejus ceteris minus damnosam fore consolatorio verbo suggessit. Universa denique ab eo prædicta his et hujusmodi ex tunc effectuali argumentatione completa sunt et complentur.

34. Inter multa quæ beatus Petrus, Aroldensis præpositus, in obitu suo prophetico spiritu afflatus prædixit, etiam hoc præsentibus locutus est : *Sciatis,* inquit, *huic loco et omnibus hic manentibus sanctum Jacobum a Deo protectorem et defensorem destinatum : sed et Joannes apostolus et evangelista pro dilectione fratris sui omnibus hic gratiam Dei promerentibus pius suffragator aderit, et in angustia vel aliqua necessitate constitutis semper opitulari non desinit *. Proinde quicumque vobis mala vel adversitates aliquas intulerint, Dei nostri et sancti Jacobi gladium manifeste videbunt.* Quidam hæc audientes parum attendebant; quidam autem dicta considerantes, quid gladii nomine vellet intelligi, nec verum, nec veri aliquid simile conjicere valebant. Erat vero in regione illa contentio inter virum et mulierem de quodam prædio. Mulier de jure et justitia sua confisa prædium ipsum invadere præsumpsit: sed vir superveniens, animositate nimia pervicax, apprehensam mulierem furore repletus absque justitia et judicio in porta ipsius prædii truculentissime suspendit. Unde repente a filio interfectæ mulieris fit proclamatio; comprovinciales conveniunt, homicida capitur. Sed amicis ejus intervenientibus judicium ad tempus differtur; et, propinquis ejus pro repræsentando fidem dantibus, usque ad constitutum diem causa discussionis ejus induciatur.

* *sic.*

35. Fuit præterea in congregatione virginum apud cœnobium Aroldense priorissa, nomine Gisla. Ad hanc præfatus homicida venit; humillimeque pedibus ejus provolutus obnixe rogabat, ut ad publicum procederet sibique vitam cum salute sua intercessione obtineret. Illa omnimodis hoc renuens : *Licet,* inquit, *nulla ratione consentiam ut tali ordine tibi subveniam, tamen consilium dabo quod utile esse spero.* Vocato itaque fratre quodam, Gerberto nomine, jussit ut accepto scrinio et reliquiis sancti Jacobi apostoli ad publicum procederet, et comprovinciales rogaret ut pro meritis sancti Jacobi apostoli et gratia congregationis ejus miserum homicidam absolverent, venia data et indulgentia dimitterent. Habebat sane præfata priorissa fratrem carnalem valde sibi dilectum, Conradum de *Desenberch* (1), qui eo tempore auctoritate Saxonici ducis sic potens erat, ut quæcumque facienda essent ad nutum et præceptum ejus disponerentur. Unde etiam ab omnibus " modicus dux „ cognominabatur. Is ergo cum constituta die præsens esset et prædictum fratrem Gerbertum cum reliquiis sancti Jacobi cerneret a se petere velle quod præstare nolebat, ascenso equo abiit, mandans hoc Ernesto centurioni ut nihil de homicida faceret quam quod omnis populus communi sententia faciendum judicaret. Tanta enim indignatio de immanitate perpetrati facinoris omnium animos accenderat, ut inexorabiles essent et ad remittendam injuriam nullomodo corda inclinarent.

36. Sed non est prudentia neque consilium contra Dominum. Quid multa?

(1) *Desenberg* erat prope *Paderborn* (Oesterley, *Hist-geogr. Wörterb. des deutschen Mittelalters*). — *Conradus Spegel de Desenberg,* additum in marg.

Infelix homicida producitur, accusatur, discutitur, convincitur, adjudicatur; data denique sententia, ad locum decollationis promovetur. Adolescens interfectæ mulieris filius statuitur, eique gladius acutus datur; ut matrem vindicaret, suæ injuriæ omniumque comprovincialium molestiæ ultionem daret ab omnibus hortatur. Accepto itaque gladio et sæpius vibrato, brachium in sublime extendit; omni conamine homicidam occidere conatur. Sed cum brachium in altum erigit, subito diriguit, ita ut neque gladium redimittere, neque brachium ad se posset retrahere. Ecce prophetia beati Petri completur : gladius sancti Jacobi ab omnibus videtur, dum miser homo vindictam apostoli experitur et de temeritate sua coram omnibus confunditur. Qui ergo rogantes audire nolebat, pœna sua compulsus rogat ut gratiam præfati apostoli mereatur et misericordiam in recepta sanitate consequatur. Per trium horarum et eo amplius spatium obnixe et humiliter vota votis ingeminando precatur. Postea, recepta sanitate, cum ad centurionem delatum esset homicidam decollatum non esse, furibundus accurrens juvenem increpitat, ignavum et imbecillem, timidum et vilem dicens : debere eum omnimodis judicium populi exequi. Ille expertus durum esse contra stimulum calcitrare et non esse qui voluntati Dei possit resistere, dissimulabat se centurionem audire, malens ipse omnia detrimenta perpeti quam offensam Dei, et vindictam sancti Jacobi pertinacia sua ulterius promereri. Sed hoc agnoscens jam sæpe dictus centurio propius accessit et juvenem incitavit ut patrio more proclamaret et populum qui ex magna parte jam defluxerat denuo convocaret. Quod cum facere declinaret, ut gloria Dei manifestior fieret et virtus sancti Jacobi evidentior appareret, tota corporis virtute centurio vociferare cœpit, sed repente vox in gutture ejus hæsit, ac si ab aliquo valide pugno cæsus esset et acriter strangularetur. Ita ei vox defecit, ut omnino obmutesceret et pene mortuus videretur, donec allata aqua pillio* suo refocillaretur. Hujus rei tot sunt testes, quot in eadem provincia sunt homines. Tandem homines in commune Deum pro virtutibus sancti apostoli laudaverunt et miserum hominem sancto Jacobo ad serviendum Deo obtulerunt.

* *intellige* pileo.

37. Neque hoc silendum arbitror quod nuper apud nos gestum est.— Quidam miles, convicaneus noster, vehementer nos impetebat, pratumque ecclesiæ nostræ suum esse dicebat. Tempore itaque secationis frater loci nostri Gerbertus advenit, acceptaque falce fœnaria pratum ipse metere cœpit. Superveniens vero prædictus miles, multa opprobria et convicia fratri inferens, minari cœpit quod, nisi pratum suum metere desisteret, cum contumelia eum repelleret. At frater nihil minis ejus territus, magna inquit fiducia : *Pratum hoc sancti Jacobi et ecclesiæ nostræ securus aggrediar, et in protectione Dei cœli confisus fœnum istud nihil te metuens demetam.* Hæc ille audiens, concite domum suam ingressus, gladio accinctus, arrepta securi fratrem truncaturus revertitur, ferocissime eum aggreditur. Sed ubi ad eum venit (mira sed tamen vera, Deo teste, dicturus sum), præsentia divinæ majestatis et meritis sancti Jacobi apostoli dejectus, pallere et tremere cœpit, ac stupidus stetit, ita ut sæpe dictus frater ad eum accederet et gladium ei ac securim nihil reluctanti auferret, sicque domum humiliatus et quietus rediret ut semper devotus ecclesiæ et congregationi existeret.

38. His et aliis quam pluribus beneficiis quæ passim jugi sentiuntur effectu, probatur sanctum Jacobum apostolum hujus loci tutissimum protectorem et omnibus ad se confugientibus in angustiis suis fidelissimum defensorem (1).

DE SANCTA EGBURGE VIRGINE. (Cfr. supra, pag. 86, 21°.)

Incipit vita sanctæ Egburgis virginis.

1. Sancta Egburgis, Aroldensis ecclesiæ incola, reliquiis pretiosi corporis sui in ea sepultis, ancilla aliquando couterinarum geminarum in villa *Helessen* fuerat. Quarum una hanc dilectione ut sororem fovebat; altera vero dicitur osorie ipsam habuisse. Gratiosior autem illi divinitus evocata, debitum carnis obiens exsolvit, invisior autem ei superstes, sicut solent æmulæ, nonnullis afficiebat importunitatibus. Hæc vero non inde invise ei obsequebatur, sed omni devotione pro Dei amore debiti famulatus operam exequebatur. Disposito vero ad mensuram pastu farrario a domina sua sustentabatur; de quo impanificio, quem dominæ suæ coxerat, panes de suo instituto pro velle majores aut minores fecit; et exinde sortis Domini rememorari non postposuit, quin exinde eis qui altario ecclesiæ suæ deservirent, prout facultas suppeteret, deferret. Domina vero sua dum ad ecclesiam in basterna iter ageret, ipsam secum consedere fecit. Cujus crumenas ut aliquanto ex impletione turgidiores aspexit, quid ferret percunctabatur, dicens sibi eam furtum fecisse. Qua id negante, appendentiam feminarum nostrarum telam esse dixit. Cui domina: *Num me,* inquit, *sic habes ut fallere queas?* Rapuit ergo amictum ejus, explorandi gratia. Exploso ergo eo, non aliud quam quod dixerat repperit. Alio nihilominus tempore, quando nondum panes coxerat, horum vice farinam secum detulit ad ecclesiam. Quæ similiter a domina sua ut superius interrogata, cineres fore astruebat. Domina itidem ejus quid ferret perlustrans, cineres esse quod ferebat deprehendit. Cum autem sancta Egburgis ad locum dandi devenit, quomodo advexerat farinam dabat. Talia Dei gratia per illam adhuc viventem in corpore operabatur. Insuper Deo et hominibus dilectam esse promerebatur. Siquidem castrenses per sex leugas et eo amplius ad eam veniebant, quia vix aliqua sic compte, sic decenter et jocunde formabat vestimenta, sed et sarciebat.

* *pro* gregarius ?

2. Hac de causa miles quidam gregorius * dominum suum convenit, quatinus obtentu ejus hanc acciperet in conjugium. Ille dominam sanctæ virginis, ut rogatus est, convenit pro milite; ut hanc uxorem duceret petiit, et obtinuit. Forte autem puella dominæ suæ propinans et post bibitionem poculum ut biberet recipiens, domina sua sic ait ei: *Ut poculum hoc perceperis, dabo tibi desiderabile poculum*

(1) In marg. inferiori hæc recentius scripta : *Hoc monasterium Aroldessemense totum interiit et anno Domini* MDV *ultima monacha defuncta est et Anthonitæ jam possident. — Sed anno Domini* MDXXVII *ejectis Anthonitis volente principe Hessorum ut fertur Philippus comes a Waldech vir animo et sanguine nobilis occupavit.*

mei sermonis. — *Och,* ait puella, *utinam umquam fieri posset, ut vel semel a vobis mihi verbum bonum et suave proveniret!* Quæ ait ei : *Ex præludio quod hodie habui de te, me velle tibi bonum contestaberis; quod ut audieris conjocundaberis. Domino namque illi, qui jam paulo abscessit, super te obstricta sum et conventa, ut viro suo militi tibi consedenti, te in conjugium dare spoponderim. Dies denique nuptiarum tuarum præfixa est. Sed et tu bene nunc feceris quanto te honestius tenueris. Ego sane pro posse meo te amminiculabor, tu vero in quibus quid spei aliquando susceperas nunc experiri oportune gratulabor.* Quæ sciscitata diem nuptiarum constitutam, cum rescivisset, ne tale quid de se fieret obnixe supplicabat. Et quia apud * eam supplicatio virginis in hac causa nihili pendebatur, Christo Domino, cœlesti sponso, jejuniis, vigiliis, orationibus, lacrimarum gemitibus devotissime institit, multisque modis elaborans obtinuit, ut die annotata, cum ille accepturus eam advenisset, illa trans lectulum suum versa lacrimisque uberibus aspersa obisse in Christo sit reperta. Sic ea, de conjugio terrestri per Dei miserationem absoluta, apud Dominum salvatorem magnificentia cœlesti in choro sanctarum virginum est adornata.

* *cod.* aput.

3. Domnus namque Petrus hoc de ipsa attestabatur, quod idipsum referentibus sanctis apostolis Jacobo et Johanne audisset. Tempore autem domnæ Gepæ, dum ipsa valida infirmitate impacta nonnullorum sanctorum patrocinia casso obtentu expetisset, primo ut hanc sanctam compellavit sanitati restitui cœpit.

4. Sacerdos vero perrochianus ecclesiæ Aroldensis, antecessor domni Adelhelmmi, dum invisa sibi essent signa quæ operabatur Dominus assidue per famulam suam Egburgem, duos ex complicibus suis et contectualibus in hoc allexit, quatinus errorem incredulitatis, signa facta in alium sensum transferentes, advenientibus exprobrarent. Unde oblata quæque execrabantur; dæmoni consecrata esse ab ipsis referebantur; sepulcri compositionem disjecerunt; oblata projecerunt; pro idolatria universa tenuerunt; canibus exinde panes præbuerunt, quos illi ac si ferrum candens devitaverunt; quod illi ex maleficio diaboli obtingere dixerunt. Cancellos tamen qui circa sepulcrum erant, ob timorem domnæ Gepæ non infirmare præsumebant, quia (ut dicitur) ipsa eos disponi constituit, ob suffragium quod ipsa sancta virgo illi contulit. Sed Dominus Jesus Christus sponsam suam, sanctam Egburgem, non sic dehonestari impune tulit; sed, malitiam eorum in caput eorum reddens, duos ex eis, videlicet sacerdotem et alterum e duobus, miserabili morte de hac vita exemit; tertium vero morbus elefantinus, duobus innoxiorem et jam pœnitentia ductum, invasit. Diutina denique elefantiæ peste deterebatur; sed, pœnitudine et satisfactione correctus, sanitatem recuperavit, nihil pristinæ incolumitatis * præter cicatricum signa ob evidentiam adeptæ sanitatis remanentia in se continens. Causam autem hanc non dixerim aliud protendere nisi hoc quod in Salvatore nostro præfulsit, qui, resurgens a mortuis, cicatrices vulnerum suorum non sanasset, ut dubitantibus per hoc fidem resurrectionis astrueret.

* *sic.*

5. Sed et alia perplura sanitatis miracula penes sanctam virginem obtigerunt diversis temporibus, antequam discessio fieret. Quamdiu autem aberant ante reversionem suam fratres et sorores illius congregationis, videlicet tredecim

annis, nihil talium memoria dignum exercere voluit. Denique ut eo reversi sunt ad manendum, continuo complacitior effecta, signorum pristinorum in salutem hominum et jumentorum est rememorata. Quorum unum domnus Elvingus, Corbeiensis monachus, attestatur equo adolescentis cujusdam comitis sui debilitato * provenisse; qui, equum imaginatum de cera ei offerre promittens, ipso die equum illæsum recepit. Hartmannus item, juvenis quidam ex familia ipsius congregationis, gravem impetuositatem capitis perpessus, salutis pignus cereum caput spopondit, et eadem die sospitatem recepit.

* *cod.* debiliato.

DE SANCTIS MARTYRIBUS IN *EBBEKESTORP* QUIESCENTIBUS.

(Cfr. supra, pag. 87, 26°.)

Hæc est Passionis synopsis. Primo legitur caput I *ut apud Leibnitium, tom. cit.; deinde quæ ibidem edita sunt sub num.* XI, *pp. 191 et 192, usque ad hæc verba :* potentia terrena sublimes. *Deinceps in cod. hæc leguntur :* Horum temporibus istud insigne miraculum contigit in *Hamborch,* Deo mirabiliter disponente quod ipsa ducis conjunx Herina, beatæ Mariæ virginis blasphematrix, catholicæ fidei contemptrix et impugnatrix, a viro suo conciperet, et errante natura pariterque negante per duos annos ... *Et referuntur cap.* III-XVII, *cum prima phrasi cap.* XVIII (Post-reportare). *Inde ita pergit cod. :*

Igitur cum de *Hamborg* pluribus curribus martyrum corporibus oneratis processissent et hucusque Deo disponente pervenissent, erat prope locum in quo nunc monasterium cum ceteris ædificiis honorabiliter est constructum, quædam solitaria sed famosa Curia, cujus tunc inhabitator *Ebbeke* vocabatur, in temporalibus competenter abundans ; ad quam scilicet curiam vectores curruum pro meridiana refectione properabant et quiete. Diversis tamen in locis ipsos currus, equis ad pabulum ductis, relinquentes, ulterius facta comestione procedere proponebant. Et factum est dum paululum a dicta curia processissent ad locum sanctis martyribus adeoque saluti totius hujus territorii præparatum vel præordinatum, contigit ut quos spiritualis amicitiæ nexus in vita confœderaverat illibato fœdere et in morte mutuo asservato per provincias non dispergerentur nec ab invicem separarentur, et ut homines in hac terra sanctos martyres amoris quadam prærogativa magis diligerent et ab eisdem in futuro spiritualia se beneficia recepisse vel recepturos gauderent. Unde factum est secundum divinorum secretorum judicia miranda, quod continuo guttæ sanguinis miraculose de terra prope currus contra rotas eorum salientes motus impetum detinentes impedierunt ita ut, si plures equi fuissent ad unum currum trahendum, juncti non potuissent ipsum de suo loco cum sanctorum reliquiis movisse quovis modo; sed mirabiliter in terram quasi concavatam currus descenderunt. Sic mirabiliter sanctorum corpora sepulta debita veneratione, sicut expedit, reservantur. Ad laudem, gloriam et honorem Domini nostri Jesu Christi, qui martyrum rex est et corona. Sit igitur ipsi cum Deo Patre et sancto Spiritu laus, honor et gloria, qui trinus et unus est, mirabilis in sanctis suis et in ævum benedictus. Amen.

Imperatori... *(ibid., p. 192, lin. 11)* et licet avibus essent exposita, providente tamen Deo, cujus respectus est in electos illius, a die passionis eorum, videlicet a kalendis Augusti, usque ad Natalem Domini in imbre et æstu intacta perduraverunt. Erant ibi tres pinnæ in quibus affixa non erant : quod dolentes pagani miserunt quosdam qui deferrent tria capita, ut magis gauderent dum loca omnia occisorum capitibus plena essent. In vigilia Natalis Domini venientes allatis capitibus, dum ea in derisum capitibus aliis adjungerent, ea quæ a die beati Petri illic erant, quasi congaudentes eos secum probris exponi quos in passione socios habuerant, laudem quæ vulgo *Herwis* * dicitur decantabant.

* *pro* herinis? *quasi canticum pacis?*

Nocte igitur sacratissima Dominicæ Nativitatis media, splendor supernæ lucis ipsum locum irradiavit, et audita sunt capita hymnum angelicum, *Gloria in excelsis Deo*, canentia et delicias electissimæ noctis dulci modulamine concrepantia : miranda quidem novitate, sed non incredibili, quippe Deus faciens signa et immutans mirabilia, hoc miraculo prodigioso martyrum suorum merita clarificare dignatus est, cui est virtus omnia posse.

Igitur vigiles qui custodias observabant, hoc signo miraculoso consternati, diffugerunt, his qui in urbibus erant hoc renuntiantes. Unde rex civitatis processit cum suis. Qui et ipsi, videntes lucem coruscantem et audientes supernum concentum, licet probarentur inimici nominis christiani, divinæ tamen virtutis testes sunt effecti. Rex autem quos incarceraverat educens, requirebat ab eis quidnam esset quod videret et audiret. At illi dicebant noctem illam esse qua Filius Dei nascitur ex virgine Maria pro redemptione generis humani secundum carnem, et ob honorem illius memorabilis facti cœlum et terram gratulari. Siquidem inimicus veritatis eorum non recipiens testimonium, denuo fecit eos retrudi in carcerem. Et dum clamarent ad Dominum, abyssus misericordiæ respexit abyssum miseriæ, illos videlicet, pro se in ergastulo constitutos ; et in ultionem amicorum suorum qui erant in vinculis, percussit inimicos suos in posteriora, secundum plagam Philistinorum. Porro rex, calamitate sua suorumque compulsus, pœnitudine flectitur, et quod obtinere non poterant miracula cœlitus ostensa, obtinuit manus a Deo missa. Nam vinculatos educens, redditis capitibus, quorsum vellent abire jubebat.

At illi, cum gaudio revertentes, cœlestem thesaurum secum asportantes, diverterunt ad locum ubi sciebant corpora sanctorum tumulata ; et ita, pia fidelium devotione* honoranda, sanctorum martyrum pignora deportata, reliquis sanctorum corporibus in *Ebbekestorp* consepelierunt, in loco quidem humili et meritis eorum minus digno, ubi requiescunt quadripartite divisa. Verumtamen locus requietionis martyrum per multa temporum curricula omnibus mansit ignotus, donec operante Deo revelantibus sese sanctis miraculose ostensus est.

* *cod.* devotio

In die namque celebrationis sanctorum quædam matronæ pergentes, cum pervenissent ad locum reliquiarum, difficultatem viæ inciderunt, ita ut curru retardato et fragore facto stare compellerentur, tamquam offendentes in lapidem. Quæ mirantes quidnam obsisteret, diligenti cura perquirebant hujusmodi difficultatem ; et respexerunt, Domino revelante, cespite everso, cruorem recentem ab

humo resilire, et agnoscentes corpora martyrum illic recondita devote adoraverunt.

Aliud quoque miraculum adjecit Dominus in revelatione martyrum suorum. Quidam Deo devotus, nomine Ostericus, manens in villa adjacente sanctorum memoriæ, dicta *Stadorp*, tempore matutino solitus erat ecclesiæ sanctæ frequentare limina; et intra caliginem, cum essent cæca omnia, cernebat luminaribus accensis locum requiei sanctorum luce serena illustrari : et ita locus alius inventus est.

Erat domus vicina memoriæ martyrum in australi parte ; quæ exorto tonitruo fulmine consumpta est. Quæ sæpius reædificata coruscatione consumitur; et quia locus ille a fidelibus sæpe visus est illustrari cœlesti lumine, liquido patuit Dominum majestatis ea in terris velle magnificari, quæ ipse in cœlis extulerat. Sicque sub anathemate est inhibitum ut domus illa nullatenus reædificaretur : et ita tertius locus inventus est.

Erat tunc temporis quidam bonæ memoriæ vir, Methericus nomine, qui primo noctis conticinio expetebat sollicitus et devotus ecclesiam. Cumque ad prædictorum martyrum memoriam accederet, audivit angelorum choros concinentes*. Hac suavitate vocum captus, stabat attonitus, ammirans quid audiret, cum cunctos sopor detineret. Aspiciensque eminus vidit immensitate luminis totam irradiari capellam. Accedensque propius, reseratis januis introiit, accensa plurima luminaria vidit, psallentium choros audivit, nullumque penitus aspexit. Nam Deus qui in se cuncta continet, Metherico * luminis mirandi præbuit spectaculum : et ita locus idem in reverentia habitus est.

* *cod.* concinnentes.

* *lectio dubia ; cod.* matericita ?

Et si quis quocumque gravatus morbo oratum illic accesserit, reportat patrocinia. Hæc audivimus a quibusdam fide dignis, qui multa noverunt ex antiquitate priorum temporum ; quæ etiam digna judicavimus memori ævo commendanda, ad laudem Salvatoris et ad præconia martyrum Christi.

Passi sunt autem sancti martyres in civitate Hamborgensi, die kalendarum Augustarum, præsidente sanctæ apostolicæ sedi Benedicto summo pontifice, regnante piissimo Lotwico, serenissimi Karoli regis filio. *(Inde sequuntur quæ edita sunt in* Act. SS., *ad d. 2 Feb., tom. I, pp. 315, 316, num. 24-35.)*

XCIV. Codex signatus n° 7666-71.

Foliorum 147 (1), formæ mediæ ($0^{m},315 \times 0,25$), columnis binis, lineis stylo ferreo ductis, diversis manibus seculi X exaratus. Tituli litteris, ut aiunt, majusculis concepti et minio signati sunt, itemque litteræ majores initiales, nullis tamen orna-

(1) Numeris recentiori manu signata sunt folia 142 ; sed singula folia prætermissa post. foll. 67, 70, 85, 131, 141.

mentis decoratæ, præterquam fol. 1r et præsertim fol. 1v, ubi littera exordialis S elegante forma et descriptione insignis conspicitur.

In margine superiori fol. 1r inscripta erat nota manu seculi XIV : *liber mon.;* sed nomen monasterii, particula folii ex industria dilacerata, jam legi nequit. Eodem loco adscripta est hæc altera nota manu seculi XVII : *Coll. Soc. Jesu Molsh.;* et in margine inferiori ejusdem folii : *Hunc librum a collegio Molshemiensi redemimus permutatione aliorum, procurante P. Petri* (sic) *Richart ibidem S. Theol. Professore.* Præterea folio insiticio in capite codicis hæc leguntur : *Hic liber an. 1678 commodatus R. P. Chiffletio in Collegio Claromontano Parisiis paranti novam editionem D. Gregorii Turonensis : restitui debet Musæo Sanctorum in domo Professa S. J. Antverpiæ. Daniel Papebrochius.* Et paulo inferius : *Liber intra notatus P. ms. 12 ;* quæ nota **P** MS 12 pro more et interiori tegumento affixa est in capite codicis.

1° Vitæ patrum auctore Gregorio Turonensi (fol. 1r-59v).

Editus apud Migne, P. L., tom. LXXI, p. 1010-1096, et novissime ope hujus codicis a Brun. Krusch inter opera Gregorii (*Mon. Germ. Hist.*, Scr. rerum Meroving., tom. I, p. 661-744).

2° Liber in gloria confessorum (fol. 59v-96v).

Liber auctore eodem Gregorio, editus ap. Migne, tom. cit., p. 827-911 et a Krusch, tom. cit., p. 744-820. — Sequitur in codice (fol. 96v-97r) clausula de Pippino edita apud Mabillon, *De re diplomatica*, et ex ipso nostro codice a Krusch, tom. cit., p. 465.

3° Vita sancti ac beatissimi Hilarii episcopi et confessoris, composita a sancto Fortunato presbytero (fol. 98r-106v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 13 Jan., tom. I, p. 790-795.

4° Epistola beati Ilarii quam misit Abræ, filiæ suæ (fol. 107r-109r).

Edita apud Migne, P. L., tom. X, p. 549-552.

5° Vita beati Meginradi heremitæ et martyris (fol. 109r-113v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Jan., tom. II, p. 382-385.

6° De virtutibus ac signis venerabilis Ermenlandi, abbatis atque conditoris monasterii quod nuncupatur Antrum, provinciæ Namneticæ, Ligeris amne undique vallatum (fol. 114r-131v).

Edita ex hoc cod. ibid., ad d. 25 Martii, tom. III, p. 576-586.

7° Vita sancti Cassiani (fol. 132r-138v).

Edita ope huj. cod. in *Anal. Boll.*, tom. IV, p. 159-166.

8° De miraculis sancti Cassiani (fol. 138v-142v).

Editum in *Act. SS.*, ad d. 5 Augusti, tom. I, p. 66-68. — Sed in cod. desiderantur finis num. 1 *(secundum quod venerabilis-sentiunt)* et numm. 16, 17.

XCV. Codex signatus n° 7672-74.

Foliorum omnino 172 (præter lacinias quatuor) (1), formæ mediocris (0^m,33 × 0,235), columnis binis, lineis graphide ductis, exaratus seculo XIV. Rubricæ nullæ, sed tituli atramento scripti et lineola rubra subducta notati sunt. Litteræ majores initiales singularum Vitarum et etiam in Vita Stæ Brigidæ singulorum capitum (sicut et quorumdam capitum Vitæ S. Flannani) alternæ rubræ et cæruleæ, altero colore ornamentis sobrie adjectis.

Tegumento interiori in capite codicis affixa est nota qua codicis in antiquo museo Bollandiano locus designabatur, videlicet **P** MS 11, quæ et repetita est in foliis chartaceis item in capite codicis insiticiis. Horum ultimo inscriptus est manu Heriberti Rosweydi index Vitarum quæ in codice continentur, præmissis his verbis: *Codicem hunc Rector Collegii Salmanticensis Hibernici Societatis Jesu dono dedit nostro Patri Ægidio de Smidt qui eundem donavit P. Heriberto Rosweydo.* Denique in alio folio chartaceo insiticio ad calcem codicis delineata calamo conspicitur Patricianæ Hiberniæ designatio geographica, cujus rationem explicat epistola, nullo nomine subscripta, quæ tergum occupat folii indicis de quo modo diximus.

Præter unius S. Catharinæ Alexandrinæ virginis et martyris, nullas alias Vitas continet codex nisi sanctorum confessorum Hibernorum. Illum passim adhibuerunt in edendis hujusmodi Vitis majores nostri ac celeberrimus ille Joannes Colgan in compilatione hagiographica quam *Acta Sanctorum Hiberniæ* inscripsit, et *Codicem Salmanticensem* nuncupare consueverunt. Quod nomen servavimus ubi anno proxime elapso eumdem codicem integrum accuratissime vulgavimus, auctore et sumptus præbente egregio et nobilissimo viro Joanne Patricio, Marchione de Bute (2). Ad hanc editionem remittimus eos qui cupidi sint legendi textus Vita-

(1) Nimirum qui recentius folia numeris signavit, initio codicis veterem notationem secutus, primo folio inscripsit numerum 48: priora enim folia 47 jandudum, antequam scilicet ad manus Rosweydi venerit codex, excisa sunt; inde vero, nullam rationem habens aliorum foliorum quæ in corpore codicis excisa sunt aut a compactore loco suo mota, et laciniam negligens quæ sequitur fol. 188, reliquas autem tres ad finem codicis tamquam integra folia notans, pervenit ad numerum 222, quo signatum est ultimum folium. — (2) Typis Desclée, De Brouwer et sociorum, Brugis Flandrorum, 1886, in 4°.

rum, quarum jam elenchus subjicitur: Vita S^tæ Brigidæ, acephala; Vita S. Fursei; Vita S. Brandani; Vita S. Kerani; De tribus ordinibus Sanctorum Hiberniæ; Vita S^tæ Darercæ seu Monynnæ; Vita S. Finniani de Cluain Eraird; Vita S. Tigernaci, fine mutila; Fragmentum Vitæ S. Columbæ Hiensis abbatis, acephalum; Vita S Fintani de Duleng; Vita S. Albei; Vita S. Lugidi de Cluain-Ferta; Vita S. Fintani de Cluain Edhnich; Vita S. Finani; Vita S Rodani Lothri; Vita S. Aidi, filii Bricc; Vita S. Cannechi; Vita S. Fintani qui dicitur Munnu; Vita S. Colmani Elo; Vita S. Columbæ de Tyre da Glass; Vita S. Edani episcopi et confessoris, qui Moedoc dicitur; Vita S. Munnu (ejusdem de quo supra); Vita S. Albani confessoris; Vita S. Cronani abbatis; Vita beati Malachiæ, Ardmachani archiepiscopi; De miraculis beati Laurentii, Dubliniensis archiepiscopi; Vita sancti Flannani, episcopi Luenensis et confessoris; [Passio S^tæ Catharinæ virginis et martyris;] Vita S. Senani [episcopi et abbatis Inis-Cathensis]; Vita S. Brandani (de quo supra); Vita S. Congalli abbatis, mutila; Vita S. Carthaci episcopi qui Muchudu dicitur; Vita S. Molassi Lethglini, mutila; [Vita S. Maccarthini episcopi Clochorensis] acephala; Vita S. Kerani de Saigyr [episcopi]; Vita [sancti] Moling confessoris et episcopi [Fernensis]; Vita sancti Colmani, Drumorensis episcopi; Vita [sancti] Caymgini abbatis; Vita sancti Columbæ, abbatis [Hiensis], mutila; Vita S. B[a]ithini abbatis; Vita sancti Molua Droma snecta [abbatis]; Vita S. Dega Maccayrill [episcopi et confessoris]; Vita S. Moctei, Lubgunensis (Lugmadensis) episcopi; [Vita S. Eogaini episcopi] Ardasrata; Vita S. Macnissi episcopi [Connerensis]; [Fragmentum quoddam mutilum Vitæ sancti Cuonnæ seu Cuannathei; itemque fragmentum Vitæ sancti Mochullei.]

XCVI. Codex signatus n° 7797-7806.

Codex formæ mediæ (0^m.316 × 0,23), foliorum 218, binis columnis, lineis graphide plumbea ductis, nitide sec. XIII jam adulto exaratus.

Habet tractatuum, quos continet, ac capitulorum titulos rubro colore descriptos. Litteræ capitales quæ fere omni ornatu carent, ejusdem coloris sunt, exceptis tribus viridi colore exaratis, quibus incipiunt relatio miraculorum beatæ Mariæ virginis (fol. 2^v) ac tractatus Hugonis Farsiti (fol. 66^r et 66^v). In his littera A grandior (folio 66^v) eaque non ineleganter ornata, tota ex sinuaminibus enascens, insignior apparet. Multum quoque a ceteris discrepant litteræ capitales foliorum 149^v ac 150^r.

In folio papyraceo adhærente parti interiori tegumenti lignei, manus recentior tabulam contentorum descripsit, præmisso sequenti titulo : *Index eorum quæ hoc MS divæ MARIÆ in Tongerloo continentur.* In margine inferiori ultimi folii leguntur sequentia : *Liber sanctæ Mariæ de Tongerloo. Si quis eum abstulit, Anathema sit. Amen.*

1° Liber miraculorum Dei Genitricis Mariæ (fol. 1^{v}-53^{r}).

Optime convenit cum opusculo de miraculis B. Mariæ quod composuit Potho, monachus Prunveningensis, edidit autem Bernardus Pezius (Viennæ 1731). In cod. tamen ordo subinde immutatus est ac nonnulla miracula superaddita.

Hoc opusculum præcedunt in cod. : 1° (fol. 1^{r}) versus octo de simonia; 2° narratio prodigii quo anno Domini 1163 apud Moguntiam per ignis judicium detecti ac damnati fuerunt hæretici dicti Pontiani a magistro suo Pontio, vulgo autem nuncupati "*Piflers;*" 3° narratio cujusdam miraculi, quæ narratio in tractatu Hugonis de quo supra, reponenda est, num. 10. Tandem 4° (fol. 1^{v}) versus quadraginta novem in honorem beatæ Mariæ virginis, qui incipiunt :

Missus ad egregiam
Gabriel tulit ista Mariam.
Innuba semper ave,
Flos pulcer, olensque suave.

2° Libellus editus a domno Hugone Farsito de quibusdam miraculis sanctæ Dei Genitricis Mariæ (fol. 53^{r}-66^{r}).

Editus apud Migne, P. L., tom. CLXXIX, p. 1777 sqq. — In cod. om. cap. XXXI.

Inde (fol. 66^{r}-106^{r}) habetur congeries quædam rerum mirabilium quas scriptor undequaque collegit.

3° Liber miraculorum domni Petri, Cluniacensis abbatis (fol. 106^{r}-121^{r}).

Hinc inde nonnullis in cod. omm., liber primus opusculi editi apud Migne, P. L., tom. CLXXVI, p. 851 sqq.

4° Vita sancti Frontonii abbatis (fol. 121^{r}-122^{v}).

Edita apud Rosweydum, *Vitæ Patrum,* p. 238-241.

5° Narratio Leuntii, episcopi in Capoleos *(Neapoleos)* civitate, de patris nostri vita Johannis archiepiscopi (fol. 122^{v}-140^{r}).

Vita S. Joannis Eleemosynarii, edita apud Rosweydum, *Vitæ Patrum,* p. 178-205.

6° Vita Eufrosinæ virginis (fol. 140^{r}-142^{r}).

Edita ibidem, p. 363-368. — Sed exciso folio desiderantur tum altera pars cap. XI, tum capp. XII et XV, ac cap. XVI, excepto fine.

7° Vita de captivo monacho seu Malcho (fol. 142^{r}-143^{v}).

Vita auctore sancto Hieronymo, edita apud Rosweydum, loc. cit., p. 93-96.

8° De sancta Pelagia (fol. 143^{v}-146^{v}).

Editum in *Act. SS.,* ad d. 8 Oct., tom. IV, p. 261. — In cod. multæ occurrunt

variantes lectiones, quæ ut plurimum conveniunt cum lectionibus codicis qui ibid. signatur O Ms 19.

9° Descriptio qualiter vultus Domini de Hierosolymis ad Lucanam civitatem sit delatus (fol. 147v-149v).

Epistola Leobini (Lobini, Liebwini) diaconi, edita in *Memorie e documenti per servire all' istoria del ducato di Luca,* tom. V, part. I, p. 53, not. 1 *(Ragionamento sul Volto santo, dell' accademico abb. Domenico Barsocchini).* — De hac crucifixi imagine quæ a Nicodemo, Christo discipulo, sculpta dicitur, cfr. Garucci, *Storia dell' arte cristiana,* tom. VI, p. 40.

10° Relatio miraculorum Domini nostri Jesu Christi, quæ per imaginem ipsius facta sunt in Berito civitate, vto idus Novembris (fol. 149v-153v).

Edita apud Migne, P. G., tom. XXVIII, p. 811, inter spuria S. Athanasii opera.

11° Item sermo ejusdem [S. Athanasii] de indignatione et invidia Judæorum adversus Ymaginem Domini (fol. 153v-154v).

Narratio de quadam imagine Christi crucifixi quæ, a Judæo cultro confossa, sanguinem emisit, ac, in puteum dejecta, aquam in sanguinem commutavit. Puteus iste cui operculum ex auro et argento aptatus fuit, intra ecclesiam Sanctæ Sophiæ contineri fertur.

12° Liber de Gestis Barlaam et Josaphat, servorum Dei (fol. 155r-210v).

Interpretatio latina Actorum non multum diversa ab ea quæ edita est apud Migne, P. G., tom. XCVI, p. 859 sqq.

13° De purgatorio sancti Patricii (fol. 211r-217v).

Narratio auctore Henrico Saltereyensi, edita apud Colgan, *Trias Thaumaturga,* tom. II, p. 273. — In cod. non paucæ occurrunt lect. variantes.

Annectitur (fol. 217v-218v), nullo præfixo titulo, narratio de quadam miraculosa sanctæ Mariæ Virginis effigie quæ prope Damascum magno honore habebatur et nuncupabatur *S. Maria de Sardanay.*

XCVII. Codex signatus n° 7808.

Iste codex formæ mediæ (0m,32 × 0,21) constabat primum foliis 313; quibus assuta sunt folia 5, alia manu descripta. Inde a folio 4, ubi incipit prima Vita, singulæ paginæ numeris notatæ fuerunt seculo XVII.

Exaratus est codex seculo XIV ad finem vergente, binis columnis, lineis

plumbea graphide ductis, ad usum chori, a quodam scriba minoris litteraturæ; quod indicant quæ passim occurrunt emendationum signa. Tituli Vitarum et Homiliarum rubricati sunt. Litteræ capitales variis coloribus depictæ, rubro, viridi ac cæruleo, longis insuper appendiciis protenduntur; quæ appendicia variam foliorum et animalium, maxime piscium, speciem exhibent et sæpe totam paginam transcurrunt, ejusque artis specimen præbent quæ tunc temporis in scriptoriis Belgii florebat.

Folio 1^{v}-2^{r} descriptus est index contentorum; item eodem fol. 2^{r} sequens legitur nota : *RR. PP. Societatis Jesu, Actorum Sanctorum editoribus Antverpiæ, Henricus Dionysius Mutte, ecclesiæ metropolitanæ Cameracensis decanus, huncce codicem D. D. — Mutte.* Ac paulo inferius : *Liber ecclesiæ S. Waldetrudis, oppidi Montensis.* Quæ ultima iterum leguntur in parte superiori folii 3^{r}. In charta quæ adhæret parti interiori tegumenti, initio codicis, manus recentior indicem contentorum descripsit, hoc præfixo signo musei Bollandiani : ✠ MS 209.

1° Vita beati Anthonii abbatis (p. 1-4).

Fragmentum Vitæ auctore S. Athanasio, edita in *Act. SS.*, ad d. 17 Jan., tom. II, p. 121 sqq.

2° Passio S. Andreæ apostoli, quæ recitatur pridie kalendas Decembris (p. 5-15).

Edita apud Surium ad d. 30 Novembris.

3° De miraculis ejus (p. 15-61).

Eadem relatio atque ea de qua actum est in *Anal. Boll.*, tom. III, p. 22, 1°.

4° Vita sancti Eligii episcopi et confessoris (p. 63-79).

Fragmentum Vitæ editæ apud Migne, tom. LXXXVII, p. 479 sqq.

5° Vita beatæ Barbaræ virginis (p. 79-88).

Edita apud Zaccaria. Vid. supra, p. 18, 44°.

6° Vita beati Nicholai, episcopi et confessoris (p. 88-119).

Pars prior Vitæ editæ apud Mombritium, tom. II, scilicet usque ad p. 13, col. 2, *omnia secula seculorum amen* (lin. 4 a fine); sed deest in cod. prologus.

7° Passio sanctæ Eulaliæ virginis (p. 119-124).

Edita supra, tom. I, p. 261-263.

8° Vita S. Autberti, episcopi et confessoris (p. 124-147).

Fragmentum Vitæ auctore Fulberto, editæ in *Act. SS. Belgii*, tom. III, p. 538, scilicet §§ 1 et 2 ; sed omisso in cod. prologo.

9° Passio sanctæ Luciæ virginis (p. 147-154).

Edita apud Surium ad d. 13 Decembris.

10° Passio beatissimi Nichasii, Remorum archiepiscopi, [et] sanctissimæ sororis ejus Eutropiæ (p. 154-166).

Maximam convenientiam habet cum Passione de qua supra, p. 18, 42°.

11° Passio S. Thomæ apostoli (p. 166-192).

Edita apud Mombritium, tom. II.

12° [De miraculis] S. Stephani protomartyris (p. 220-227).

Narratio desumpta ex Libro S. Augustini de Civitate Dei. Vid. Migne, P. L., tom. XLI, p. 766-771, num. 10-21.

13° Relatio Ysidori episcopi de miraculis sancti Johannis apostoli et evangelistæ (p. 227-229).

Desumpta ex libro *De ortu et obitu Patrum*, scilicet cap. LXXII (vid. Migne, P. L., tom. LXXXIII, pp. 151, 152).

14° Item de eodem, sumpta ex Hystoria ecclesiastica (p. 229-232).

Vide supra, tom. I, p. 516, 2°.

15° [Epistola] Militonis, Laodiceni episcopi, super assumptionem Johannis apostoli (p. 232-250 ac p. 261-263).

Edita apud Florentinium, *Vetustius Occidentalis ecclesiæ Martyrologium*, p. 130-137.

16° Vita et actus S. Silvestri (p. 309-338).

Liber primus Vitæ editæ apud Mombritium, tom. II. — Cod. habet addimenta de quibus supra, tom. I, p. 5, 7°.

17° De sancto Remigio in octava Epyphaniæ (p. 338-356).

Fragmentum Vitæ auctore Hincmaro, editæ in *Act. SS.*, ad d. 1 Oct., tom. I, p. 131 sqq.; scilicet inde a num. 106 usque ad finem, subinde tamen nonnullis in codice omissis.

18° Vita S. Felicis presbyteri (p. 356-358).

Acta ex Adone desumpta, et edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Jan., tom. I, pp. 938, 939, num. 11.

19° [Passio S.] Marcelli papæ (p. 358-361).

Fragmentum Passionis editæ in *Act. SS.*, ad d. 16 Jan., tom. II, p. 5 sqq.; scilicet num. 1-6.

20° Passio S. Sebastiani martyris (p. 361-375).

Fragmentum Passionis editæ ibid., ad diem 20, p. 265 sqq.; scilicet num. 1-9 et 73-90.

21° Passio S^tæ^ Agnetis virginis et martyris (p. 375-388).

Passio auctore S. Ambrosio, edita ibid., ad diem 21, p. 351 sqq.

22° De sancto Vincentio martyre (p. 388-400).

Stylo aliquantulum diversa ab ea quæ edita est in *Act. SS.*, ad d. 22 Jan., tom. II, p. 394 sqq.

23° In Christi nomine incipit vita beatæ Aldegundis virginis (p. 417-445).

Edita ibid., ad d. 30 Jan., p. 1035-1040. — In cod. num. 1 om., ac subinde quædam add., ut infra legendum dabitur in Append.

24° [De sancto Verone confessore in partibus Hanoniæ] (p. 445-469).

Historia inventionis, miraculorum et translationis auctore Olberto, abbate Gemblacensi, edita ex hoc cod. in *Act. SS.*, ad d. 30 Martii, tom. III, p. 845 sqq.

25° De beata Waldetrude (p. 479-489).

Fragmentum Vitæ editæ in *Act. SS.*, ad d. 9 Aprilis, tom. 1, p. 837.

26° Passio S^tæ^ Agathæ, virginis et martyris (p. 492-503).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 5 Febr., tom. I, p. 615-618.

27° Vita S. Amandi episcopi (p. 503-523).

Vita auctore Baudemundo, edita ibid., ad d. 6 Feb., p. 848 sqq. — In cod. deest prologus.

28° Vita S. Vedasti episcopi et confessoris (p. 523-544).

Vita auctore Alcuino, edita ibid., ad d. 6 Feb., p. 794 sqq. — In cod. deest prologus.

29° Vita S. Ansberti, pontificis Rotomagensis ecclesiæ atque discipuli Wandregisili (p. 544-568).

Fragmentum Vitæ auctore Aigrado, editæ in *Act. SS.*, ad d. 9 Feb., tom. II, p. 347; scilicet num. 2-22 et 32-38, cum prima phrasi num. 39 *(... corripiunt iter)*.

30° Vita Scolasticæ virginis (p. 568-577).

Sub hac rubrica in cod. leguntur cap. XXXIII-XXXVIII, lib. II Dialogorum S. Gregorii Magni (Migne, P. L., tom. LXVI, p. 194-204).

31° Vita sanctorum Faustini et Jovitæ (p. 577-606).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 15 Feb., tom. II, p. 813-817. — At in cod. (p. 587, col. 2 med. - p. 595, col. 2 init.) referuntur ea quæ sancti martyres passi sunt in civitate Mediolanensi. Hæc vero leguntur stylo mutato in Passionibus editis tom. cit., pp. 809 et 817.

32° Vita beatæ Julianæ virginis et martyris (p. 606-619).

Edita ibid., ad d. 16 Febr., p. 873 sqq. — Sed in cod. multæ occurrunt lectiones variantes.

Appendix ad cod. 7808.

DE SANCTA ALDEGUNDE VIRG. (Cfr. supra, pag. 132, 23°.)

Post num. 4 in cod. hæc leguntur (p. 421, col. 1, lin. 5 a fine - p. 422, col. 2, lin. 7 a fine) :

Tunc matrona supradicta Bertilia misit nuntios suos ad monasterium quod dicitur Mons Castrilocus, ad filiam suam Waldetrudem, ut sororem suam transmitteret ad eam, timens ne eam a seculo exalienare * debuisset et sacratissimum velamen super caput ejus ponere voluisset. Quo audito, famula Christi cum benedictione dimisit virginem sanctam Aldegundem, ad visitandum suam matrem, deprecans eam ut a seculo se faciat alienam et citius reverteretur ad supradictum cœnobium. Cum pervenisset beata Aldegundis in loco nuncupato Curtis Orta, ubi mater sua morabatur, cecidit ad pedes ejus, deprecans cum lacrimis eam ut in habitaculo quod erat ædificatum juxta ecclesiam sibi daret licentiam habitare, dicens non esse congruum se conversare inter consortia virorum ac mulierum secularium. Tunc indicans genitrici suæ de sanctitate sororis suæ Waldetrudis et de sancta religione quam quotidie docebat ancillas Domini de seculo a se conversas. Cum autem audisset mater talia verba, irata est et voluit eam disciplinare, quasi mala egisset. Beata virgo Aldegundis patienter sustinuit omnia quæ passa fuit a matre, sciens scriptum in Evangelio : *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.* Item in psalmo : *Expecta Dominum, viriliter age et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.*

* *et mox iterum.*

Tunc dedit ei linteamina optima; jussit ut vestimenta sponsalia præpararet, volens ei in proximo nobilissimum virum dare in conjugium. Illa vero pergens cito in habitaculum juxta oratorium, fecit cum gaudio de supradictis linteaminibus albas, unde volebat vestire cum dignitate baptizatos pro amore Christi, quia verus sponsus in ejus pectore manebat. Tunc cœpit beata virgo tristis esse et affligere corpus suum, timens se exalienare de societate sanctarum virginum, die noctuque deprecans Dominum cum lacrimis, ut ei Dominus donaret auxilium et adjutorium de tam seculari sponso quem sibi mater dari cupiebat. Omnipotens Dominus exaudivit preces famulæ suæ circa * nuptias quas mater supra quindceim dies facere volebat : in multis diebus illum juvenem non vidit, cui filiam suam dari cupiebat in conjugium.

* *vox suppleta.*

Pro num. 7 ita cod. (p. 424, col. 2, lin. 3 a fine - p. 427, col. 2 med.) :

Tunc cœpit matrona Bertilia ægrotare languore valido; vocavit filiam suam

Aldegundem, dedit ei aurum et argentum, vestimentum pretiosum, prædia, villas, servos et ancillas et omnia quæ habuit, nisi tantum quæ pro anima sua distribuit pauperibus, viduis, orphanis, servis et ancillis in domo Domini servientibus. Finivit cursum suum supradicta matrona in senectute bona in supradicta villa Curtissorra *. Sepulta est autem ibi in ecclesia Dei genitricis Mariæ juxta virum suum Walbertum, a Dei sacerdotibus aliisque in ecclesiasticæ dignitatis ordine ei militantibus.

* *sic.*

Cum audisset eundo * sponsus beatæ Aldegundis de obitu Bertiliæ, jussit fideles suos præparare nuptiarum divitias; voluit sibi eam accipere in conjugium. Cum audivit beata virgo talia, timuit valde. Fuit nocte in locum nemorosum qui vocitatur Melbodius, ubi Sambra girat, Melbodius rivolus præforat, quæ pater ejus et mater diviserunt, contra beatissimam virginem Gertrudem, quæ erat consobrina beatæ virginis Aldegundis. Erant ibi in proximo duo viri pariter episcopi, beatissimus Amandus atque sanctissimus Odbertus in loco qui dicitur Altus-mons, ubi beatus supradictus Vincentius cum aliis Deo servientibus regulariter militans Christo. Tunc denique beata virgo rem audivit de illorum adventu in loco illo. Nudis pedibus veniens in supradicta cœnobia, prosternens se ad pedes sancti Amandi atque sancti Odberti, indicans eis desiderium suum et de contrariis et passionibus quæ sibi per insidias diabolicas evenerunt. Tunc beatus Amandus, qui in tempore illo multis fulgens virtutibus, qui plurimas per circuitum nationes prædicationis verbo et vitæ meritis ad christianitatis perduxerit titulum, multaque monachorum cœnobia et collegia puellarumque congregationes ad spiritualium provexerat honores, cum gaudio familiariter confortans eam, dixit : *O dilecta Dei virgo, nihil dubites : Dominus erit tecum, ipso dicente, Amen dico vobis quoniam plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit. Item dicit : " Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia quæ futura sunt et stare ante Filium hominis. „ Et item : " Vade, vende omnia quæ habes et da pauperibus, et veni sequere me. „* Deinde duxerunt eam sancti episcopi et alii servi Dei in oratorium sancti Vedasti, et consecraverunt eam et sanctum velamen imposuerunt super caput ejus.

* *sic pro* Guido ?

Tunc beata virgo in locum desertum quem ipse* nominaverat *Melbodium*, cœpit ibi arbustis et vepribus radicibus exstirpare et servos et ancillas Dei ibi congregare. Post hæc ædificavit ibi ecclesiam in honore Dei genitricis Mariæ. Seculi hujus divitias reputans*, facultates prædiorum suorum et omnia ornamenta quæ pater ejus et mater ei dimiserant, ad loca sanctorum legaliter distribuit et pauperibus erogavit, sciens scriptum in psalmo decimo sexto : *Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in seculum seculi; cornu ejus exaltabitur in gloria.* Item in Evangelio : *Vendite quæ possidetis et date eleemosynam. Facite vobis sacculos qui non veterescunt, thesaurum non deficientem in cœlis.* Locum vero ubi pater ejus et mater humati fuerant, in melius reparavit et ibi duodecim sanctimoniales ad serviendum Christo Domino constituit.

* *sic.* — *sic.*

In supradicto loco Melbodio, cum consilio vel auxilio regis incliti Dagoberti atque beatissimi Amandi episcopi, semetipsam atque neptes suas, quæ fuerant

filiæ sororis suæ beatæ Waldetrudis (una vocabatur Aldetrudis, altera Madelberta), tradidit; ubi Deo auxiliante exemplum bonorum operum seipsam cunctis præbuit in humilitate, in obedientia, in patientia, in castitate, in jejuniis, in vigiliis et orationibus continuis, in longanimitate, in mansuetudine, in modestia et benignitate. Postquam igitur beata Aldegundis monialibus vestimentis est induta et a secularibus pompis conversa, apparuit ei quidam solem splendentis * tenens, vestitus vestibus albis et candidis quasi nix; et ante eum stabant angeli et adorabant eum, dicentes : *Gloria tibi, Domine.* Et ut ipsa confessa est, et Deum adhibuit testem non se mentiri, in spiritu vidisse gloriam qua perfruuntur sancti in cœlesti gloria.

* *sic.*

Post num. 19 add. seq. (p. 438, col. 2) :

Beata virgo sciens per Spiritum sanctum appropinquantem suum diem ultimum, deprecans Dominum ut crucifigeret per passionem corpus suum et probaret sicut de beato Job scriptum est. Tunc omnipotens Deus, qui per passionem Filii sui redemit genus humanum, exaudivit orationem dilectæ suæ amabilis. Munus quod petiit, citius impetravit. Cancri morbum* in dextra mamilla sua evenit; unde cruciata fuit usque ad obitum suum.

* *sic.*

Num. 27, pro quam precamur apud, *cod.* :

O dilectissimi fratres in Christo, credentes venire vos oportet ad sepulcrum ejus, genua flectentes, cum lacrimis eam deprecantes, ut intercedere dignetur pro nobis apud *(etc. ut in editis)* ... laus æternalis ... nunc et in omnia et super omnia secula seculorum. Amen.

XCVIII. Codex signatus n° 7825-26.

Codex est formæ mediæ (0m,324 × 0,222), foliorum 36, qui adeo temporum injuriam passus est ut conservatoribus Bibl. Reg. involucro chartaceo includendus visus sit.

Exaratus est seculo XIV, binis columnis, lineis plumbea graphide ductis. Litteræ capitales capitulorumque distinctiones rubro descriptæ sunt. Ad initium Vitæ S. Dominici (fol. 1r) rudis quidam artifex beati Patriarchæ effigiem delineare tentavit.

Ibidem in margine superiori sequentia sua manu inscripsit Daniel Papebrochius: *Dono adm. R. P. Uldarici Nols, prioris Francofurdensis, an. 1688, ex bibliotheca conventus; ubi exstat adhuc aliud exemplar.* Alia manus adjecit : *Liber infra notatus* **P** MS 8.

1° Vita sancti patris nostri Dominici (fol. 1r-32v).

Vita auctore Theodorico de Appoldia, edita ex hoc cod. in *Act. SS.*, tom. I Aug., p. 562 sqq.

2° Vita venerabilis patris nostri, fratris Jordani, secundi magistri fratrum Ordinis Prædicatorum (fol. 32^{v}-36^{v}).

Vita stylo diversa ab ea quæ edita est in *Act. SS.*, ad d. 13 Febr., tom. II, p. 724 sqq. — Vid. Append.

Appendix ad cod. 7825-26.

DE B. JORDANO, SECUNDO MAGISTRO GENERALI O. S. DOMINICI.
(Cfr. hac ipsa pag., 2°.)

Incipit vita venerabilis patris nostri, fratris Jordani, secundi magistri fratrum Ordinis prædicatorum.

1. Successit in fratrum Ordinis Prædicatorum magistratu et regimine vitæque merito sanctissimæ, venerabilis pater, frater Jordanus fundatori primoque ejusdem Ordinis magistro, glorioso jam in cœlis confessori, beato Dominico. Post cujus felicem ad cœlos transitum celebratum est tertium generale Capitulum Parisius; in quo præfatus frater Jordanus superna providente clementia, licet adhuc in hac religione duos annos et dimidium non complesset, in magistrum Ordinis per Spiritum sanctum electus est, anno gratiæ MCCXXII. De cujus conversatione laudabili aliqua interserere dignissimum judicavi.

De bona conversatione ejus ante introitum Ordinis.

2. Fuit vir sanctus iste natione Theutonicus, de Saxoniæ partibus oriundus. Qui castimoniam mentis et corporis illæsam semper, ut creditur, custodivit; pietatemque, quæ secundum apostolum ad omnia valet, adeo coluit, ut nullus pauperum ab eo petens eleemosynam aliquando, munere frustratus, sit dimissus inanis. Dives quidem * in pecunia non fuit; multum verum dives in misericordia et fide, omni petenti se tribuit; maximeque inopi sibi occurrenti primo etiam, si non peteret, solitus dare fuit. Devotus erat Deo, et ad ejus obsequia alacer et paratus. Qui Parisius Theologiæ studio deditus, ad Matutinas omnibus noctibus surgere consuevit. Quadam autem magna festivitate, campanæ signum se reputans audivisse, surgit cito. Cappa tantum super camisiam indutus, cingulo se præcingens, ad ecclesiam properavit. Cui occurrit aliquis petens eleemosynam sibi dari; et non inveniens quid daret, corrigiam tribuit mendicanti. Tunc veniens, ecclesiam clausam reperit; nec campana sonuerat, ut putabat. Permansit autem ad fores orans, quousque januæ panderentur. Intrans autem, ante crucifixum adoravit. Quem cum devote frequenter aspiceret, vidit ipsum corrigia cinctum quam ante modicum pauperi amore dederat Crucifixi.

* *cod.* quidam.

De receptione ejus ad Ordinem.

3. Prædicante tunc temporis Parisius strenue * fratre Reynaldo, Jordanus divina præventus gratia concepit et vovit intra semetipsum Ordinem istum assumere, arbitrans securam se reperisse semitam, qualem etiam ante cognitionem fratrum in animo suo sæpe deliberando conceperat. Dum autem præfatus pater, magnus Reynaldus, ad vitam æternam per mortem jam transiret, visus est cuidam religioso fons limpidissimus in domo Sancti Jacobi subito arefieri, et post illum in eodem loco rivum magnum oriri; qui, primum per urbis plateas, deinde per totam provinciam fluendo discurrens, lavabat, potabat, lætificabat omnes, et semper excrescens usque ad mare perveniens influebat. Denique post mortem dicti beati Reynaldi, Jordanus habitu Ordinis indutus justitiam simul induit. Factaque sunt ejus conversationis primordia consummationi perfectorum similia, ut vix inter consummatos * filios hominum quisquam ei similis valeat inveniri.

* *cod.* strennue.

* *cod.* consumatos.

Quomodo interfuit primo Capitulo generali.

4. Nam cum nondum tres menses complevisset in Ordine, missus est in Bononiam ad Capitulum primum, cui præsedit beatus Dominicus, magister et pater noster primus. Deinde cum spiritualibus totaliter intenta innotescere cœpisset ejus prudens devotio et devota prudentia, in sequenti generali Capitulo injunctum est ei officium prioratus provinciæ Lombardiæ *. Postmodum translato ad patriam sanctissimo patre Dominico, per electionem canonicam in tertio generali Capitulo, ut prædictum est, ad Magistratus Ordinis officium est assumptus. Qui pietatem solitam non deserens ac in mansuetudine opera sua perficiens, non tantum irreprehensibilem sed imitabilem se omnibus et amabilem exhibebat. Erat enim vigilans et laborans in omnibus, opusque evangelistæ ferventer et devote faciens, et studiose satagens ut assumptum tanti Ordinis ministerium digne et utiliter adimpleret. Tractabat igitur recte verbum veritatis, secundum apostolum operarium inconfusibilem se exhibens, tam excelsus in verbo gloriæ ac * prædicationis officio gratiosus et fervens, ut vix ei quisquam similis sit inventus. Quamdam enim specialis gratiæ prærogativam a Domino acceperat, ut non solum in prædicatione, sed etiam in familiari collatione, cum quibuscumque conversaretur, ignitis semper abundaret eloquiis et piis et efficacibus abundaret exemplis, ut secundum cujuslibet conditionem singulis loqueretur et satisfaceret et quemlibet hortaretur; propter quod omnes ejus eloquia sitiebant *.

* *in cod. aliquoties* Lambardia.

* *sic.*

* *cod.* sciebant.

De gratia speciali attrahendi clericos ad Ordinem Prædicatorum.

5. Qui tamquam negotiator animarum cupidus, frequentabat loca in quibus ad mensam pecuniam Domini sui daret, ut animas lucrifaciens usuram Domino reportaret. Fervebat valde ut Ordinem cui præerat ampliaret, sciens quod ex multitu-

dine prædicatorum salus procuratur animarum et conversio peccatorum. Proinde solitus erat pater pius una quadragesima Parisius, alia Bononiæ propter clericorum multitudinem demorari. Dabat enim Dominus virtutem voci suæ, et convertebantur catervatim ad religionem scholares, clerici et magistri. Erantque civitates illæ quasi apum alvearia, eo quod ibi recipiendi convolarent, et inde emissi ad alias provincias evolarent. Veniens autem ad hæc loca vir sanctus, jussit vestes plurimas præparari, fiduciam habens in Domino quod sibi nudos mitteret induendos. Offerebantque se tot multotiens, quod vix vestes poterant inveniri. Recepit in quodam Purificationis Virginis matris festo pater sanctus clericos viginti et unum, quorum plures lectores in Theologia postmodum extiterunt. Erat tunc ibi multarum effusio lacrimarum, fratribus hinc præ gaudio, scholaribus ac sociis illinc flentibus præ dolore. Indutus est cum istis unus theutonicus, quem suspenderat propter teneritudinem juventutis. Quem videns vir piissimus, arridens gratiæ et devotioni ejus, dulciter dixit : *Unus ex vobis furatur Ordinem.* Cumque vestes deficerent (viginti enim paria tantum aderant nec propter astantium multitudinem locus patebat ut vestes afferrentur), unus fratrum cappam, alter tunicam, tertius scapulare exuerunt, ut indueretur qui restabat. Noluit pater pius eum qui ad se venerat, verecunde ejicere. Qui proficiens, postea factus est lector et optimus prædicator. Tantique zeli circa recipiendos extitit, ut bibliam suam pro solvendis ipsorum debitis sæpius obligaret.

Qualiter humilitate sua cujusdam potentum sævitiam mitigavit.

6. Recepit magister Padowæ Theutonicum nobilem, ætate floridum, moribus gratiosum; quem ut proposito sancto averterent, solum cum muliere speciosa pædagogus ipsius et socii in camera concluserunt. Sed Christus in eo triumphans, carnem vicit cum seculo et religioni conjunxit. Cujus pater potens divesque valde, cum multo comitatu Lombardiam furens adiit, satagens aut filium recipere aut magistrum Ordinis interficere. Alium enim filium non habebat. Occurrit * ergo sedens equo, nesciente viro sancto; clamoreque rabido quæsivit ob eo tamquam ab alio ubi esset ille Jordanus. Cui vir Dei miti animo lætaque facie respondit: *Ego sum.* Mox ille ex verbo veritatis viri sancti virtutem sentiens, omni feritate deposita, de equo prosiliens, ad pedes ejus humiliter se prostravit, peccatumque quod contra ipsum habuerat in corde cum lacrimis confitens, veniam postulavit, dicens: *Jam de filio meo consolatione accepta promitto tibi quod, antequam ad terram meam redeam, pro Christi nomine transfretabo.* Quod et fecit, cum centum fere equitaturis et multo transiens apparatu. Tam placabilis et placens lingua ejus tamque dulce verbum erat in ore ipsius, ut mitigaret inimicos et multiplicaret amicos.

* *cod.* Occurret.

De diligentia circa novitios et miranda gratia prædicationis.

7. Dilatavit enim gloriam gentis suæ; nam plus quam mille valentes viros

Ordini suo creditur attraxisse. Quorum nullus sua negligentia periit, quia servabat * eos, assistens ipsis. Sicut enim in attrahendo suasibilis erat et affabilis, sic in conservando et consolando eos quos dederat ei Pater Deus, sollicitus omnino extitit et fidelis. Potens in terra erat semen verbi, et generatio ejus permanet in seculum benedicta. Quamdiu fuit Parisius prædicator iste, omnes ei sermones et collationes impendebant. Non enim alium, dum præsens erat, audire clerici dignabantur. Et si quando vix alium admittebant, tamen non discedebant, nisi prius verbum ex ore ejus mellifluo distillaret. Prædicabat publice et generaliter omnibus. Specialiter quoque novitiis collationes fecit. Quibus se etiam alii ingerebant, quia super mel et favum erant cordibus omnium dulcia verba ejus. Effudit ergo benedictionem suam super semen verbi ejus Spiritus sanctus, et rorem gratiæ, ubicumque severat in terra; et cum Isaac patriarcha invenit centuplum tempore messis Christi. Verum ne exsiccarentur fluenta gratiæ, ea suæ origini reddidit, vir humilis et devotus, secundum apostolum in omnibus gratias agens Deo.

* *cod.* servabit.

De studio et modo orationis sancti viri.

8. Sciens vir beatus quoniam oportet semper orare et non ab oratione deficere, utpote sine qua omnis spiritualis vigor deficit omnisque * profectus interior et suavitas recipit incrementum, ejus intentioni et assiduitati se totum per omnia dedicavit. Collata ergo est ei a Domino orationis gratia specialis, quam nec pastoralis officii cura nec negotiorum strepitus, nec viarum laboriosus discursus nec alicujus sollicitudinis occupatio poterat impedire. Mos erat ei in oratione cum omni devotione et reverentia divinæ assistere majestati. Flexis namque genibus et junctis manibus, erecto corpore, non procumbens, orationem suam in conspectu Domini effundebat. Eratque multarum lacrimarum pater iste sanctus; ex quarum frequenti profluvio infirmitatem oculorum gravem creditur incurrisse. Qui licet in omni loco et tempore puras ad Dominum manus orando levaret, post Completorium tamen et post Matutinas orationi devotius et attentius incumbebat. Diei noctisque principium et finem oratione incipiens et concludens, medium vero canonicarum horarum Virginisque matris Officio cum missarum celebratione creberrima Domino devotissime dedicavit. Confessionibus audiendis et prædicationibus perficiendis sacerdos sanctus benigne et utiliter secundum temporis et necessitatis exigentiam se proximis exposuit, ne particula diei bonæ in vacuum præteriret.

* *sic.*

Qualiter in via se habuit, et de gratia ad beatam Virginem.

9. Ad meditationes sacras totum cor suum dederat et affectum intenderat, omneque tempus et locum sibi ad hoc devotionis et gratiæ officium vendicabat. Miram enim et inusitatam ceteris dulcedinem ipsi in hoc sanctitatis studio divinus Spiritus infundebat. Sentiens ergo spirantem sibi desuper suavitatem, nitebatur

ut etiam in itinere constitutus huic spirituali intenderet negotio, cupiens sibi soli Dominoque vacare. Præibat proinde frequenter, ab aliis sequestratus. Orationi meditationique adeo suspendebatur intentus, ut aliquotiens in itinere a sociis deviaret. Nullus tamen ob hoc eum vidit aliquando turbatum aut audivit querulosum sociosve culpantem; quin potius dein * eos * consolantem dicendo : *Non turbemur, carissimi; nam quocumque pergimus, nequaquam a cœlesti patria deviamus.* Ambulabat itaque servus Christi orans semper atque meditans, et ad hoc alios exhortans monitis et exemplis. Nec ab hoc Dei opere aliquando destitit, nisi cum divinum dicebat officium vel de re utili cum fratribus tractabat. Quod tamen certis horis facere consuevit. Aliquando in laude Dei et Virginis matris accensus intrinsecus, *Jesu nostra redemptio* hymnum vel antiphonam *Salve Regina* ambulans per viam cantabat alta voce cum lacrimis; et immolans hostiam vociferationis, delectabatur in Domino, ejusque dulcedine replebatur. Non est facile verbis vel litteris explicare quomodo, se totum ab exterioribus colligens, in interiori cordis quiete morabatur mentisque tranquillitate fruebatur, ut nihil de forinsecis cogitaret. Unde cum quidam aliquid in ejus habitu quod religioni videbatur contrarium reprehenderet, mansuete respondit : *Certe ego numquam attendi istud.* Oblatam enim sibi rem pro necessitate portaverat, cujus esset scematis vel pretii animo non discernens. Gloriosam Unigeniti Dei matrem, virginem Mariam, utpote Ordinis cui præerat protectricem, peculiari complectabatur* amore et venerabatur honore. Quem Virgo dulcissima, vicaria redamans caritate, consolari dignata est manifesta sui apparitione, secretorum revelatione et donorum collatione. — Qui dum in dormitorio fratrum oraret devotius, vidit ipsam, duabus comitantibus puellis, dormitorium transeuntem, cellas fratresque singulas * cum aqua quam portabat puellarum altera respergentem. Pertransiit autem cellam unius fratris, quam non aspersit. Quod videns pater sanctus, dolens ad pedes Dominæ procidit, dicens : *Obsecro, mi domina, indica quæ sis servo tuo. Et cur non sicut ceteros asperseris fratrem illum.* Tunc illa : *Ego sum mater Dei, et veni visitare fratres istos. Illum autem non aspersi, quia non est paratus. Dic ergo illi ut se præparet. Diligo quidem amore speciali Ordinem tuum; et inter alia quæ facitis, hoc gratum habeo quod omnia, quæ facitis et dicitis, a laude mea incipitis et in ea finitis. Impetravi ergo a Filio meo quod nullus possit in Ordine tuo diu culpis obsitus* mortalibus persistere *, nisi aut deprehendatur citius vel pœniteat velocius, aut certe, ne meum fœdet Ordinem, sine mora impœnitens expellatur.* Quas laudes super his tibi persolvet, o Regina cœlorum, nostra fragilitas, quos tanto miserationis favore tua sublimis prosequitur benignitas? Tu, domina, Patres nostros beatos, dulcem videlicet Dominicum, benignumque Jordanum, vestra allocutione lætificas. Tu pie nos visitas; tu, ut testaris, nos amas; tu laudes nostras approbas; tu intercedendo nos adjuvas; tu a reprobis purificas. Te laudet * et glorificet nobiscum et pro nobis creaturæ totius universitas.

* *ita forsan legendum; cod.* dei. * *cod.* nos.
* *sic.*
* *sic.*
* *cod.* obsitis. * *cod.* præsistere.
* *cod.* laudat.

De oratione ad beatam Virginem quam servavit.

10. Porro pater devotus ante altare Virginis orans, deprehendit fratrem se religiosa curiositate observantem. Quem mox pius magister de modo orandi instruxit, specialiterque de laude Virginis Matris, dicens : *Primo dicendus est hymnus " Ave, maris stella. „ Deinde quinque psalmi : videlicet " Magnificat, „ " Ad te, Domine, levavi animam meam, „ " Retribue, „ " In convertendo, „ " Ad te levavi oculos meos. „ Ad singulos psalmos dicatur " Gloria Patri „ et " Ave Maria „ cum genuflexione. Litteræ enim capitales horum quinque psalmorum benedictum nomen* Maria *componunt Virginis benedictæ.* Hanc orationem homo ille benedictus ad benedicendum nomen Reginæ cœli docuit ; a qua et ipse meruit benedici.

De revelationibus et devotione qua a beata Virgine visitabatur.

11. Qui cum Parisius in nocte Circumcisionis Dominicæ lectionem nonam secundum festivitatis exigentiam legeret, astitit in pulpito virgo pulcherrima, miri decoris pallio amicta, diademate aureo coronata ; cui duo sancti altrinsecus assistebant. Quæ respiciebat intentissime in legentem. Lectione finita, librum de manu ejus domina accipiens, cœpit sanctis hinc inde comitata mature per gradum descendere ante ipsum. Unus autem assistentium virgini, qui dignior videbatur, portans baculum, tamquam viam faciens, dominam præcedebat. Frater qui hæc in visione conspexerat, dum a sancto quæreret quid in illa lectione gratiæ percepisset, arridens dulciter nihil voluit confiteri. — In eodem Parisiensi conventu, dum in festo Purificationis ad Matutinas magister cum fratribus convenisset, invitatoriumque inciperent " *Ecce venit ad templum,* „ vidit pater sanctus ad altare Virginem Matrem cum filio procedentem, ibique super thronum qui paratus fuerat residentem. Fratres autem, qui juxta morem stabant versis vultibus ad altare, propitiis oculis, facie serenissima intuituque dulcissimo respiciens, intendebat. Cumque ad " *Gloria Patri* „ inclinarent * fratres, Virgo Mater, apprehensa nati manu dextera, ipsos totum, que * chorum clementissime benedixit. Hæc omnia pater magnus, corde humilis, secretum suum sibi custodiens, tamquam de aliis recitabat. Sic solet præsidens omnibus abstractos ab omnibus suæ præsentiæ consolari dulcedine seque tamquam nil aliud sit attendentes misericorditer intueri. Sedebat solus mente seque levaverat super se. Unde videre potuit quod est super omnia et super se : Filium cum Matre manentem semper in Patre.

* *cod.* inclinaret.
* (ipsos totumque) *cod.* ipsosque totum.

De quadam nobili puella quam a desperatione eripuit.

12. Nobilis quædam et non mediocriter pulchra puella, a patre suo relicta, sub custodia patrui sui servabatur. Qui propriæ salutis fraternæque fidelitatis postpo-

nens amorem, filiam fratris illicito et impudico amore appetiit, eique quam susceperat in tutelam, mentis et corporis intulit corruptelam. Nam semel et iterum impraegnata a perfido et incestuoso patruo, concepti fœtus ipso suadente infelix bis abortum procuravit. Cum vero pestifero et fœdissimo viro, patruo suo, infausta mulier resistere non auderet, concepit tertio ab eodem. Quæ cum perpetratum facinus nulli pandere præsumeret, in barathrum desperationis misera corruens, cultello semetipsam impetens, horribiliter percussit, ut ventrem proprium miserabiliter aperiret. Diri itaque vulneris feritate sauciata et acerbo dolore cruciata, a Domino per infusam sibi cœlitus gratiam visitatur. Et ecce de peccatis toto corde compuncta ad Matrem misericordiæ est conversa, eamque fusis medullitus lacrimis invocavit, deprecans ut sibi solita pietate succurreret, ne cum corpore anima interiret. Quid plura? Respexit eam quæ nullum despicit, misericordiæ Mater, miserorum omnium miseratrix. Mox etenim invocanti astitit corporisque restituit sanitatem; præcepitque ei ut se omnino magistri Jordani, qui in proximo venturus erat, submitteret consilio. Venit ergo ad patrem sanctum devotissime peccatrix femina, ejusque mandato Cisterciensium monialium religionem assumpsit, in pœnitentia et in Dei servitio perseverans.

De peccatrice quam beata Virgo per servum Dei servavit.

13. Alia mulier propter frequentem gravium peccatorum recidivationem in desperationem lapsa, ut se interficeret venenosam araneam deglutivit. Cum autem morti hæc mulier propinquaret, cœpit Matrem misericordiæ invitare. Audivit itaque vocem dicentem sibi: *Frater Jordanus, magister Ordinis Prædicatorum, venturus est modo: ipsum invoca et dic ei te missam a me ad eum, et confitere ei, et salva eris.* Venit sanctus et confessa est peccatrix, et cum peccatorum vomitu araneam evomuit et venenum. — Considera nunc in Matre Dei non solum viscera pietatis erga miseros, sed etiam flores honoris et honestatis erga devotos. Vide quomodo in mirabilibus miserationum suarum et desperantes sublevando sustentat et in se sperantes, sustentationis participes efficiens, honestat. Assumitur ergo a Virgine devotus famulus in miraculorum consortio, ut certe * probetur indicio quam sit ipsum honorandi sincera et fervens intentio. Beatus salve, quem Regina cœli tanto prosecuta est honore. Cui certe virginale consortium innocentis vitæ et immaculatæ testimonium perhibet castitatis.

* *sic.*

De pietate et misericordia sancti Patris.

14. Suavis ac mitis pater iste beatus, affabilem se omnibus exhibuit et benignum. Omnes enim Christo lucrifacere cupiens, omnibus omnia factus est, moribus omnium quantum decuit et oportuit se coaptans. Circa fratres omnino mansuetus fuit et tractabilis, tam spiritualibus quam corporalibus ipsorum infirmitatibus compatiens, et misericorditer condescendens. Nec solum exterioribus necessitatibus eorum secundum posse liberaliter subvenit, verum etiam contractis pro

humana fragilitate culpis tam clementer indulsit, ut plerumque magis ipsa pietatis virtute ac mansuetudinis attractione corrigeret quam severitatis rigore : quamvis et hunc prout exigebat necessitas prudentissime conservaret. Tentatis et infirmis pium se et compassibilem exhibebat, præsentialiter visitando, verbis dulcibus alleviando * et orationibus adjuvando. Mos erat patris sancti, cum ad aliquem veniret conventum, visitare infirmos, ad mensam suam vocare novitios et si essent tentati inquirere, ut consolaretur eos. Frequenter dum transiret per vias, tunicas exuit, tegens nudos pro Christo : pro quo reprehensiones a fratribus et accusationes in generali Capitulo meruit sustinere. Qui dum cuidam se pauperem simulanti tunicam tribuisset, miser ille quod pro eleemosyna tamquam egens acceperat ad tabernam scurriliter deportavit. Quod aliquis fratrum comperiens, dixit magistro : *Ecce, pater, tunicam quam dedisti ribaldus detulit ad tabernam.* Cui vir mitissimus respondit : *Feci hoc, fili, credens quod plurimum indigeret. Videbatur enim pauper et infirmus* : *et erat valde pium succurrere. Ad hoc etiam judico melius tunicam amisisse quam pietatem.*

* *cod.* ieiuniendo ?

De humilitate sancti viri et fuga vanæ gloriæ.

15. Magnus erat, et potens in opere et sermone coram Deo et omni populo. Et erat nomen ejus amabile et honorabile in universa terra, venerantes in eo et admirantes eximiam sanctitatem. Ipse vero quanto major erat, humiliavit se in omnibus, et oblatos sibi honores respuens declinavit. Unde cum civitas Bononiensis sibi illuc venienti processionaliter vellet occurrere, secessit a turba humilitatis amator gradu concito, et per occultam semitam domum Fratrum ingressus est, declinatione oblatæ reverentiæ ædificans universos. — Nec solum exhibitos ab aliis honores refugit, verum etiam in oculis aliorum contemptibilis apparere voluit. Astans enim judicio coram patribus in Capitulo generali, cum sibi defensionis et excusationis locus offerretur ab eisdem, humili corde et voce respondit : *Quis crederet latroni se excusanti?* Non declinavit cor suum in verba impatientiæ ad excusandas excusationes in peccatis, malens culpabilis apparere quam arroganter respondere.

De patientia in adversis.

16. Patientia, quæ opus perfectum habet, multis modis in hoc viro examinata, inventa est coram Deo et hominibus commendabilis et probata. Cum infirmaretur, fortior erat et patiens, et perficiebatur in infirmitate virtus ejus, ut aliis daretur exemplum patientiæ ejus, sicut beati Job. Nam cum ab infantia sua timuerit Deum, non est contristatus quod plaga cæcitatis evenerit illi; sed immobiliter cum Tobia in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ. Nempe cum invalescente morbo visum unius oculi pater sanctus perdidisset, convocatis fratribus ad capitulum, dixit : *Fratres, gratias agite Deo, quia perdidi unum inimicum meum.* (Hoc dixit, quia juxta propheticum verbum oculus noster plerumque

animas deprædatur.) *Attamen rogate Deum ut, si sibi placeat et mihi expediat, alterum oculum mihi servet.* O perfectum virum qui pro perditione unius luminis devote gratias egit atque reliquum juxta beneplacitum divinum amittere non expavit! Data est etiam a Domino potestas angelo Satanæ ut viri sancti constantiam suis versutiis exerceret. Occurrens ergo sibi in claustro Bononiæ quidam dæmoniacus, alapam per maxillam dedit ei. Ipse vero patientia præditus, alteram juxta evangelicum dictum præbuit mox maxillam. Unde confusus miser, continuo discessit. Alia vice per quemdam obsessum hostis multas replicans minas et querelas, eo quod prædicatione sua plurimas animas acquireret, ait ad illum : *Ecce ego faciam tecum pactum quod numquam filios tuos spirituales tentabo vel corpore vexabo, si mihi promittas quod numquam de cetero prædicabis.* Cui vir sanctus dixit : *Absit a me quod fœdus ineam cum morte et pactum faciam cum inferno!* Intellige qualiter nequitiam hujus maligni spiritus per sapientiam, alterius vero contumeliam * per patientiam superavit.

* *vox suppleta.*

De tentationibus Satanæ quas sub specie boni ingessit.

17. Cum autem apertis eum non posset impugnationibus dejicere, aggressus est eum sub specie virtutis decipere, se in angelum lucis callide transfigurans. Cum enim pater sanctus Parisius ægrotaret, venit Satanas in forma venerandæ personæ, flagitans ad magistrum Ordinis intromitti. Cui cum locutus fuisset, petivit secedere fratres utpote aliquid cum magistro secretius locuturus. Tunc dixit tentator ad eum : *Tu caput es Ordinis sanctissimi et in te respiciunt oculi universi. Quod si vel parvum vel grande relaxationis * exemplum a te exierit, pœnam mereberis, turbationis materiam derelinquens. Es quidem infirmus; potes tamen a cultura et carnibus abstinere. Rogo igitur et consulo quod, sicut hactenus in aliis religionis exemplar extitisti, sic sis etiam nunc in istis, ne, si in futurum magis vel æque infirmo talis dispensatio denegetur, turbatio inter fratres et scandalum oriatur.* Sic colorans verba mille artifex abiit, tamquam psalmos aliquos murmurando. Acquievit homo persuasioni simplici, adeo abstinens ut vix ad sustinendum vires in eo corporis remanerent. Revelatione tandem divina didicit Satanam hunc fuisse qui saluti hominum ejusque prædicationibus invidebat. Abscondita est autem ab hoc sancto viro versuta hostis antiqui suggestio, ut discamus quod omni consilio præminere debet rectrix virtutum omnium et mater, discretio. — Alio quoque tempore cum apud Bisuntium, antequam fratres ibi domum haberent, vir sanctus ægrotaret, occasionem ipsum tentandi ex infirmitate sumpsit adversarius versipellis. Nam cum die quadam pater sanctus vehementer febribus æstuaret sitique ardentissima laboraret, venit juvenis mappam ad collum habens albam, una manu lagenam, altera scyphum* argenteum gerens, dixitque ei : *Ecce, magister, porrigo vobis optimum potum, de quo bibatis secure; nihil vobis nocebit.* Non ignorans autem sanctus astutias ejus, commendavit se Domino, signans se signo crucis, statimque malignus disparuit. Episcopus autem illius loci et alii, visa viri Dei sanctitate, conventum ab ipso petierunt et exaudiri meruerunt.

* *cod.* relationis.

* *cod.* ciphum.

De falsis odoribus.

18. Non cessavit hostis antiquus persequi novæ sanctitatis amicum. Denique ipsum Bononiæ existentem tam suavibus perfudit odoribus ut manus proprias absconderet, ne nondum sibi consciam videretur prodere sanctitatem. Si quando gestaret calicem, tanta prodibat de ipso odoris suavitas, ut totus conventus ejus dulcedinem miraretur. Verum non est passus Spiritus veritatis servum suum decipi spiritu falsitatis. Unde cum die quadam psalmum " *Judica, Domine, nocentes me* „ propulsandis tentationibus oraret, illumque versiculum : " *Omnia ossa mea dicent* „ corde volveret, mira dulcedine perfusus est, ut vere viderentur omnes medullæ ossium ejus Dei spiritu irrigari. Tunc orans Dominum, cognovit per Spiritum hoc figmentum esse diabolicum, ut eum per gloriam præcipitaret inanem. Ex tunc a manibus suis cessavit deceptorius odor ille.

De multiformibus insidiis.

19. Erat ibi frater dæmoniacus, adeo fortis quod omnes funes rumpebat et vincula. Frequenter etiam in fratres sæviens, multas eis molestias inferebat. Qui ligatus in lecto, resupinus jacens, magistro astanti dixit : *O cæce, si te haberem, confringerem modo totum.* Jussit ergo eum solvi, dicens : *Modo fac, si quid potes.* Ille vero non potuit se movere; et iterum dixit : *O si haberem nasum tuum inter dentes !* Tunc sanctus se inclinans ad os obsessi, applicavit nasum suum. Verum hostis omnino ipsum lædere non potuit ; sed labiis tantum leni tactu contingens nasum sancti, lingebat. Hic dum vice quadam fratres omnes vituperaret, supervenienti magistro assurgens, laudavit eum de singulari religionis fervore omnique perfectione, ut eum dejiceret gloriam per inanem. Cujus sanctus Dei cognoscens astutias, adulationem despexit. Frustra enim jacitur rete ante oculos pennatorum. Verum quia placens Deo extitit, necesse fuit ut tentatio probaret illum, ut, cum patriarcha Abraham in tentatione fidelis inventus, pater excelsus multarum fieret animarum. Qui enim expertus non est, pauca recognoscit; vir autem iste in multis expertus multos de tentationum laqueis liberavit.

De consolationibus tentatorum et afflictorum.

20. Quidam clericus, Bononiæ studens, cum tantum profecisset quod in legibus poterat commentare *, fratribus sibi religionem persuadentibus ex honestate mera nolens contradicere, habitum Ordinis assumpsit ; moxque pœnitentia ductus est. Nimis enim fuerat in statu seculi delicatus. Secularibus pompis et voluptatibus omnino deditus, raro iratus, numquam infirmatus, numquam fuerat confessus. Raro jejunaverat, orationemque tantum Dominicam sciebat. Unde omnia quæ religionis et rigoris erant tamquam mortifera sentiebat. Hunc nimis turbatum pater pius audiens, primo verbis dulcibus consolans alloquitur in spiritu lenitatis ; deinde ad altare deductum flexis genibus orare jubet, imponensque super caput

* *cod.* conventare.

ejus manus sacras, oravit pro ipso ad Dominum. Cumque oraret prolixius, sensit ille quamdam superinfundi dulcedinem cordi suo visumque est ei, ut testatus est, quod duæ manus cor ejus stringentes tamquam vincula solverentur. Sic oratione sancti tranquillatus animus tentati, fervens et rigoris patiens est effectus. Quis explicare ad plenum sufficiat quot * turbatorum mœstitias sua consolatione, quot * tentatorum turbulentos motus discretione, quotque * dæmonum insultus sua oratione propulsavit. Veniens maneque * ad eum quidam clericus, in confessione cum multa compunctione lacrimabiliter querulando exposuit quod carnis lubricum non poterat evitare. Cujus contritionem considerans miseriæque compatiens vir sanctus, confidenter dixit ei : *Promitto tibi, carissime, quod in te hæc turpis lubricitas deinceps non prævalebit.* Quod cooperante Dei gratia completum est, sicut idem in confessione fratribus indicavit.

* *cod.* quod *ter.*
* *sic.*

De multiplicatione panum.

21. Transiens de gente in gentem, de Lombardia * in Theutoniam, magister venit in villam in Alpibus sitam, cum duobus fratribus et uno clerico seculari. Quibus hospes ad quem intraverant, quia plus non habuit, duos tantum panes apposuit. De quibus vir pius pauperibus accurrentibus eleemosynas largiter distribuit. Quod videntes hospes et socii, dixerunt : *Quid facis, pater? Ignoras quod panes non habemus?* Conclusitque hospes ostium domus; quod sanctus aperiri præcepit, deditque de illis duobus panibus xxx eleemosynas tam largas, ut unicuique sufficere poterat quod accepit. Comeditque ipse cum sociis, et sufficienter ad placitum refecti sunt; remansitque tantum, quod ad unam refectionem hospiti cum uxore et tota familia satis fuit. Qui, viso miraculo, dixit : *Vere hic homo sanctus,* noluitque a clerico quidquam accipere; sed insuper suam eleemosynam ipsis dedit. — Quædam domina fratres recipiebat libenter, licet marito admodum displiceret. Suscepit ergo magistrum cum sociis. Dissimulato autem dolore, vir superveniens posuit se ad mensam. Sciens autem bonum vinum appositum, vocans ministrum dixit : *Affer cito de vino meliori quod est in vegete. Væ tibi, miser, qui dicis malum bonum; hoc enim quod tamquam bonum postulas *, est corruptum.* Ivit ille; afferens propinavit. Quod cum gustassent inventum est optimum excellenter. Furens igitur servum increpat, quod non impleverit jussionem. Propinatur secundo, et iterum melius invenitur. Tunc miser illudi sibi putans, surgens in furia, ivit gustavit et cognovit quod Dei virtute corruptio induerat corruptelam *. Conversi sunt ergo vir et vinum in melius, meritis sancti viri. Et per mulierem fidelem sanctificatus vir infidelis, ipsam ad potiora hortabatur. — Faber quidam in Theutonia multis annis per diem et noctem triginta vicibus ad nares fluxu sanguinis laborabat. Cujus vir Dei fidem et devotionem advertens, ipsum tactu sacræ manus fusisque ad Deum precibus sanitati restituit instanti *. — Sacerdotem qui diu languerat et in medicos suas expenderat facultates, in confessione audiens, injunxit ei pœnitentiam salutarem. Cui etiam suis precibus perfectam obtinuit sanitatem, sicut idem fratribus cum * lacrimis retulit, viri magnificans sanctita-

* *prius* Lambardia.
* *pro* protuleras?
* *sic.*
* *sic.*
* (f. c.) *cod.* cum fratribus.

tem. — Frater qui ex calore fornacis unius oculi visum amiserat, a sancto viro signaculo crucis tactus, recuperavit integram sanitatem. — Fratrem Engelbertum Theutonicum, juvenem, cum febre gravatum magister aspiceret, dixit ei : *Si fidem haberes, fili, ab infirmitate tua posses citius liberari.* Qui cum se firmiter credere diceret, imponens ei manus pius pater, dixit : *In nomine Domini recipies sanitatem;* et statim ab omni febre curatus est. — Præcedentes * in via socii sancti patris, viderunt quamdam in campo quem transibant præcurrentem mustellam, intrantem caveam suam. Sequebatur autem cum thesaurario de Lausanna, conferens de Jesu. Subsistentibus ante caveam dixit magister : *Quid hic statis ?* At illi : *Pulcherrima,* inquiunt, *et candidissima bestiola antrum hoc intravit.* Tunc inclinans se vir sanctus : *Egredere,* ait, *pulcherrima bestiola, ut nos videamus te.* Mox illa egrediens in os foraminis, fixo intuitu respiciebat in sanctum. Ipse vero anterioribus pedibus ejus manum substernens, aliam manum per caput illius duxit frequenter et dorsum, leviter blandiendo. Quo facto, cum voluit dixit : *Modo revertere in locum tuum, et benedictus Deus creator tuus.* Statim illa in suam cavernulam se recepit. O purissimæ hujus viri manus, ad quarum contactum tentationes diabolicæ cedunt, morbi et languores abscedunt et indomitæ bestiæ se offerunt et accedunt.

* Procedentes in præce dentes *cod.*

De puritate et perfectione virtutum ejus.

22. Inter cetera carismatum dona quibus sanctus iste pater plenus fuit, quædam in ipso secundum divinæ voluntatis sapientiam evidentius claruerunt. Mens ejus pura, ab exterioribus abstracta, spirituali meditationi dedita, delectabatur in Domino eique jugiter intentione indissolubili * adhærebat. Erat ei proinde oratio frequens, devotaque valde multarum effusio lacrimarum. Zelus etiam vehemens salutis animarum accenderat singulariter sacrum pectus hujus, Ordinisque sui dilatandi ad laudem Dei amor rapuerat totam mentem suam. Instabat ergo totis viribus, lucra Dominica quærens in omni loco et tempore, publice et privatim. Percurrebat provincias et civitates, evangelizans et annuntians omnibus regnum Dei. Erat autem prædicatio ejus gratiosa universis et grata; nec est inventus prædicator similis illi in mellea dulcedine et lactea suavitate. Ideoque audiebatur avide, quia diffusum erat per gratiam in labiis ejus verbum gratiæ. Vere vivus et efficax fuit sermo Dei in ore ipsius et penetrabilior omni gladio. Occidit enim verbis oris sui plurimos huic viventes seculo, rursumque peccatis mortuos suo vivificavit eloquio. Benignitate caritatis morumque suavium honestate cunctis reddebatur amabilis, religiosissimæque vitæ sanctitate omnibus extitit venerabilis. Impertiebatur se aliis absque sui detrimento, proficiens quorumlibet utilitatibus cum salutis propriæ incremento.

* *cod.* indissolubile.

De prudentia responsionum ejus.

23. Dulcedo verborum ejus maturitatis ac discretionis sale condiebatur, atque

in responsis ipsius semper pietas et prudentia resonabat. Unde cuidam quærenti ab eo quam servaret regulam, respondit : *Prædicatorum regulam servo, hoc est honeste vivere, discere et docere. Quæ tria petit psalmista, dicens : " Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me. "* Interrogavit eum quidam laicus, dicens : *Magister, valetne " Pater noster " in ore indoctorum laicorum tantum sicut in ore litteratorum clericorum?* Respondit : *Utique, sicut lapis pretiosus æque valet in manu simplicis et astuti.* Dixit quidam scholaris : *Magister, quid est quod nos scholares dicimus inter nos, quod pristina tempora meliora fuerunt quam hæc moderna in quibus vos venistis et Minores?* Ait: *Possem vobis ostendere contrarium; sed dico quod hoc justum. Non enim ignoranter, sicut olim, sed scienter peccat mundus. Per istos enim annuntiata sunt mundo peccata et scelera sua. Et vobis dico: Nisi convertamini, pejora sustinebitis. Non vero mentitur qui dixit : " Servus sciens voluntatem Domini sui et non faciens, vapulabit multis. "* Cum venisset quandoque vir sanctus ad episcoporum conventum, dictum est quod aliqui de tantis Ordinibus assumpti ad episcopalem dignitatem, plus ceteris insolescunt. Respondens magister : *Hoc,* inquit, *imputate vobis; quamdiu fuerunt in Ordine nostro, nos bene correximus eos. Dissolutio hæc quam eis imponitis, in nostro Ordine non accidit eis. Qui temporali respectu vel carnali affectu sublimantur, quid mirum si infatuantur?* Cuidam fratri trepidanti qualiter perceptis eleemosynarum beneficiis digne responderet, dixit pater sanctus : *Si orationem Dominicam semel intento et devoto corde pro benefactoribus exorando dixeritis, sufficienter pro omnibus eleemosynis satisfacitis. Temporalia namque spiritualibus nequeunt comparari.* Fratri petenti a procurationis absolvi officio, pater respondit : *Quatuor sunt quæ solent officiis adhærere : scilicet negligentia, impatientia, labor et meritum. A duobus primis absolvo te; reliqua pro peccatis portabis.* Cum vellet pius pastor ovem quæ apostatando erraverat, ad Ordinis ovile reducere, accidit ut unus contradiceret. Cui magister : *Etsi hic,* inquit, *multa mala commisit, forsan adjiciet adhuc plura.* Et cum ille se non curare assereret, dixit magister : *Certe, frater, si unam vestri sanguinis guttam diffudissetis sicut pro isto Christus sanguinem suum fudit, aliter curaretis.* Mox ille compunctus in terram se projiciens, veniam petiit, et consensit. Accusatus in capitulo frater quod tetigerat manum mulieris, respondit : *Mulier bona fuit.* Tunc qui præsidebat dixit : *Pluvia bona et terra bona; tamen harum commixtione lutum conficitur. Si mulieris et viri manus bonæ sunt, earum tamen conjunctione luxuriæ concupiscentia generatur.* Fratri quærenti quid potissimum orare conveniret, sanctus pater respondit : *Quidquid animum tuum ad ardentiorem devotionem, affectum tuum ad amorem Dei efficacius inflammabit, illud in oratione tua utilissime ruminabis.* Apud Fredericum, Romanorum imperatorem, cum diu sedisset illeque diu tacens nihil loqueretur, dixit magister : *Cur a me, domine, nihil quæritis? Ego enim pro officio meo multas percurri provincias.* Cui imperator : *Ego,* inquit, *per veredarios quidquid in orbe geritur scio.* Dicit ei magister : *Dominus noster Jesus Christus omnia novit tamquam Deus : tamen interrogavit discipulos suos, dicens : " Quem dicunt homines esse Filium hominis? " Certe vos estis homo de quo dicunt homines quæ nescitis; quæ tamen scire utile*

vobis esset. Dicitur enim de vobis quod ecclesias gravatis, sententias contemnitis, auguriis intenditis, Judæis et Sarracenis nimis favetis, consiliis bonis non acquiescitis, vicarium Christi, beati Petri successorem, qui pater christianorum et Dominus noster spiritualis est, non honoratis. Certe hæc personam vestram non decent. Sic loquens fidei et justitiæ zelator imperterritus, in multis tyrannicum principem emendavit. Dederat enim ei Dominus linguam eruditam, ut sciret quæ, quem et quando deberet proferre sermonem ad utilitatem auditorum.

Quomodo per ejus gratiam et industriam dilatatus est Ordo et exaltatus.

24. Hic est frater Jordanus, vir mitissimus, Ordinis prædicatorum magister secundus, sancti Dominici successor dignissimus. Hic prævaluit per Dei gratiam amplificare Ordinem * statum in provinciis, in conventibus et fratrum numero probatorum. Multi enim excellentes nobilitate, divitiis et beneficiis locupletes, per ejus piam diligentiam dimissis omnibus Prædicatorum Ordinis habitum susceperunt. In diebus ipsius emanaverunt putei aquarum acceperuntque fratres Parisius licentiam legendi *, duasque scholas multiplicatis auditoribus habuerunt. Et hæc libertatis consuetudo per eum introducta, usque in præsens apud posteros perseverat. Mos similiter de collationibus ad scholares habendis, per eximiam devotionem ab ipso inchoatus, usque ad hæc tempora observatur. Ex tunc viri eminentis scientiæ, famæ et doctrinæ in glorioso Prædicatorum Ordine extiterunt, sicut ex eorum scriptis manifeste legentibus declaratur. Adeptus est etiam gloriam in conversione gentis sanctæ, fratrum videlicet, quorum fuit cœlestis conversatio, dum ferventi animo terrena despicerent et interna bona quærerent et pro æternis totis viribus laborarent. Erat tunc regularis disciplinæ observatio stricta, fraternæ caritatis dulcedo diffusa, subserviendi mutuo promptitudo indefessa.

* *pro* Ordinis ?

* legendum.

De institutione antiphonæ post Completorium, ad laudem Beatæ Virginis.

25. Horum honorabilium bonorum æmulus diabolus, qui Dominum majestatis aggredi non pertimuit, ipsius permissione milites suos, ejus vestigia sectantes, ausus est manifestis insultibus perturbare. Parisius igitur ac Bononiæ, ubi per fratres pugna sibi gravior imminebat, ibi eisdem acriores suæ nequitiæ aculeos prætendebat. Alteri enim ardentem fornacem super se cadentem, alii formam delicatæ mulieris se amplectentis offerebat; huic asinum cornutum, illi serpentem ignitum, aliis alia ludibria præferebat: adeo ut noctium phantasmata et dæmonum illusiones cogerent vicissim fratres custodire vigilias noctis super alios quiescentes. Insuper quidam cadebant in phrenesim ac alii horribiliter vexabantur. Et sicut prædictum est, in ipsos quoque duces exercitus, patres sanctissimos virosque fortissimos, beatum dico Dominicum sanctumque magistrum Jordanum, manum malitiæ suæ mittere præsumpsit temerarius inimicus. Igitur pater et magister

piissimus Jordanus cum fratribus, ad singularem patronam et spem unicam, virginem matrem, Mariam dulcissimam, confugientes *, ejus patrocinium devotissime flagitabant. In cujus laudis præconium propriæque consolationis et salutis suffragium statuerunt ut post Completorium sollemnis fieret processio cum antiphona “ *Salve Regina* „ et ejus oratione. Suscepit dignanter Regina cœli vota humilium, calumniatorem sua supercœlesti virtute humilians et refrenans. Statim enim cessavere phantasmata et vexati curati sunt; fraterque quidam, filius regis, a phrenesi Parisius, alter quoque a dæmone Bononiæ liberati sunt, multaque * deinceps Ordini prospera succreverunt.

* *cod.* confugentes.
* *cod.* multique.

De acceptione ejusdem laudis.

26. Beneplacitum autem Deo Virginique matri ejus hujusmodi processionis venerationem concursus populorum, cleri devotio, dulces lacrimæ, pia suspiria et ammirandæ visiones declarant. Viderunt namque quorum Deus aperuit oculos Reginam cœli a throno gloriæ cum supernorum multitudine ad ejus altare egredientibus fratribus occurrentem. Astitit etiam gratanter eorum laudibus, ipsos benigno respiciens intuitu clementerque vota suscipiens, cum inclinantes “ *O dulcis Maria* „ canerent. Benedicta inter mulieres inclinatos famulos benedixit, suum ipsis caput * regina majestate excellentissimum reinclinans. Itaque cum venientibus Mater virgo venit et cum stantibus stetit et cum revertentibus est reversa. Quam felix illa fratrum congregatio, quam devote celebrata processio! Cui cum regina sua tam reverenter occurrit cœlestis concio, et tam magnifica sanctificat matris Dei benedictio! O si et nos indignos famulos tuos tali gratia visitare et illustrare dignetur virgo sacrata, ut, benedicentes nomen ejus in laude, de plenitudine dulcedinis ipsius benedictionibus repleamur. Ad Completorium igitur conventumfacite omnes qui diligitis eam, ut in ore omnium dulcis resonet sonus fiatque jocunda laudatio Virginis et decora. Circumdate speciosam et complectimini eam. Visitat enim et colligat circumdantes se flores rosarum et lilia convallium. Patientes in afflictione consolans, et lætificans innocentes et de se humilia sentientes. Ibi præsentibus præsentiam suam offert et benedictionem confert; absentes vero sine causa et extravagantes talis beneficiorum suavitas non continget. Eia ergo, o dulcis Jesu, de vanitatibus segregatos ac distractionibus, congrega nos, ut confiteamur nomini tuo et in Virginis matris laude et tua gloriemur perpetua.

* *cod.* capud.

Qualiter sanctus pater domno papæ, omnibus gratus fuit.

27. Restat nunc ut ipsius gestorum insignia diligentius prosequamur. Erat namque ..... (*Reliqua desunt*).

XCIX. Codex signatus n° 7882.

Iste codex formæ mediæ (0^{m},316 × 0,22), lineis plenis stylo ferreo ductis, sec. XI exaratus, folia habet 185. Tituli Passionum colore flammeo (*orange*) descripti sunt, itemque subinde litteræ majores. Eodem colore ut plurimum obumbratæ sunt litteræ capitales. Littera tamen quæ initio Passionis S. Jacobi (fol. 147^{r}) reperitur, hoc a ceteris differt quod duabus aviculis vulturis speciem referentibus formata est. Passim in margine inferiori scripti sunt versus et antiphonæ aliquot, neumatibus notata.

Pertinuit olim ad domum S. Nicolai Cusanam, in diœcœsi Trevirensi. Etenim fol. 1^{r} in margine superiori scriptum est : *Iste liber hospitalis sancti Nicolai prope Cusam.* Inde transivit in museum Bollandianum, ubi signatus erat **P** MS 9. Index contentorum, manu sec. XVII in charta descriptus, initio codicis positus est.

1° [Vita S. Silvestri papæ] (fol. 1^{r}-13^{r}).

Fragmentum acephalum Vitæ editæ apud Mombritium, tom. II. — Sub Vitæ finem annexa sunt : 1° narratio de fundata Constantinopoli, edita hic, tom. I, pp. 119, 120; 2° narratio de inventione Sanctæ Crucis ab Helena imperatrice.

2° Vita sanctæ ac venerabilis Genofevæ virginis (fol. 13^{r}-21^{v}).

Edita apud Kohler, *Etude critique sur le texte de la Vie latine de Ste Geneviève* (Paris 1881), p. 1 seqq. — Ex nonnullis variantibus lectionibus textus codicis nostri referendus videtur ad tertiam familiam.

3° De inventione vel illatione beati Celsi confessoris (fol. 22^{r}-27^{r}).

Historia auctore Theodorico, edita in *Act. SS.*, ad d. 23 Feb., tom. III, p. 396-400. — In cod. initio mutila, ob folium excisum, incipit : *Respectu in calce temporum apud ejusdem urbis ariopagum* (num. 4 med.).

4° De miraculis quæ per illum Dominus fecit (fol. 27^{r}-33^{v}).

Editum ibid., p. 400-404.

5° Sermo ejusdem Theoderici, sacerdotis ac monachi, legendus in festivitate sancti Celsi (fol. 33^{v}-36^{r}).

Editus ibid., pp. 404, 405.

6° Vita sancti ac beatissimi Symeonis anachoritæ (fol. 36^{r}-44^{v}).

Edita ibid., ad d. 5 Jan., tom. I, p. 269-274. — In cod. stylus subinde discrepat. Incipit : *Sanctæ recordationis beati* (sic) *Symeonis* (sic), *cujus depositionem hodie celebramus, ex utero matris suæ electus est a Domino, et meditabatur a pusillo opera placentia Domino. Erat autem...*

7° Vita sancti ac beatissimi Pauli anachoritæ (fol. 44v-47v).

Vita auctore sancto Hieronymo, edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Jan., tom. I, p. 604-607. — In cod. ob fol. excisum desiderantur numm. 3-7.

8° Vita sancti Hilarii Pictavensis episcopi. Quod est idus Januarii (fol. 47v-51r).

Vita auctore Fortunato, edita in *Act. SS.*, ad d. 13 Jan., tom. I, p. 790-793. — In cod. multæ occurrunt lect. variantes; deest posterior pars num. 13 ac numerus 14. Tandem initio Vitæ loco epistolæ ad Pascentium (p. 790, numm. 1, 2), hæc leguntur in cod. : *Beatissimi Hilarii, confratres, vitam vel opera, non unius, sed multorum patrum relatione comperimus, in laude Domini nostri Jesu Christi memoriæ traditam, et bellatorem Christi eorum opusculis contra Arrii perfidiam luculentissimo flore defloratum et multiplicem ejus veræ fidei confessionem texuisse. Hujuscemodi rei beatus Hieronymus, maximus stipulator, enitet. Qualiter vel quomodo in synodo Arimenensi temporibus Constantii principis sub Tauro præfecto miles Christi dimicavit exiliumque pertulerit Frigiæ, lustrumque quod exulaverit, omnibus rectæ piæque fidei sequacibus notum habetur.*

9° Passio S. Felicis presbyteri. Quod XVIIII Kl. Februarii (fol. 51v-52v).

Edita ibid., ad d. 14 Jan., tom. I, p. 951.

10° Passio S. Marcelli papæ (fol. 52v-57r).

Edita ibid., ad d. 16 Jan., tom. II, p. 5-9.

11° Vita S. Sulpicii episcopi et confessoris (fol. 57v-59v).

Edita ibid., ad d. 17 Jan., tom. II, p. 174-176.

12° Passio sanctorum martyrum Marii, Marthæ, filiorumque eorum Audifax et Abacuc (fol. 60r-62v).

Edita ibid., ad d. 19 Jan., tom. II, p. 216-219. — In cod. num. 11 explicit secundum annot. *b*, ac numm. 12-14 om.

13° Passio S. Sebastiani martyris (fol. 63r-81r).

Edita ibid., ad d. 20 Jan., tom. II, p. 265-278. — Numm. 20 et 21 omm.

14° Passio Stæ Agnetis virginis (fol. 81r-85v).

Passio auctore S. Ambrosio, edita ibid., ad d. 21 Jan., tom. II, p. 351-354. — In cod. num. 17 om.

15° Passio S. Vincentii, incliti martyris, XI Kal. Februarii (fol. 85v-90v).

Proxime accedit ad Passionem editam in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 263 sqq. Sed subinde in cod. prolixior est narratio; deinde in cod. legitur prologus qui editus est in *Act. SS.*, tom. II Jan., p. 394, num. 1. Clausula tandem convenit cum textu hic in Catal. Brux. edito : *Vincentius sanctus qui inveniri ad honorificentiam sepul-*

turæ dignus fuerat, inventus est adquietam (sic) *et inde ad basilicam* ... (cfr. Catal. Brux., tom. I, p. 8) ... *omnibus et beatum, jam de honorificentia sepulturæ securum. Inde in ecclesiam martyrem* (sic) *in sancto Vincentius consecratur altario mancipatum Deo devotione locum et martyriis venerabilem, dum honoratur honoravit, ita quod in plurimis locis refectio ejus corporis fiat. Hoc ad celebranda ipsius ampliora pertinet vota, venerationem sui ex multis meruit, ut, dum plurima numero suis consecrat, cumulatius ipse sit consecratus, ut sit nomen Domini benedictum in secula seculorum. Amen. Tantam autem gratiam Dominus beato martyri Vincentio post triumphos, post coronam victoriæ contulit, ut reliquiæ ejus non solum apud Hispanias, sed etiam apud Galliarum provincias miro excolantur affectu. Denique Cabilonensium, Vivariensium et Gratianopolitanæ urbis seniores ecclesiæ ejus nomine sunt dedicatæ. Lugduni quoque Clavati, haud procul a muro urbis, ejus nominis a Brunnihilde quondam regina, ut fertur, est ædificata.*

16° Passio sanctæ Agathæ virginis, nono Kal. Februarii (fol. 90v-94r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 5 Feb., tom. I, p. 615-618.

17° Passio sanctæ Julianæ virginis (fol. 94r-98v).

Edita ope hujus cod. ibid., ad d. 16 Feb., tom. II, p. 873-877.

18° Vita sanctæ Scolasticæ virginis (fol. 98v-99v).

Vita auctore S. Gregorio, edita ibid., ad d. 10 Feb., tom. II, pp. 401, 402. — In cod. incipit : *Soror sancti Benedicti, Scolastica nomine.*

19° Vita sanctæ Aldegundæ (fol. 100r-107v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 30 Jan., tom. II, p. 1035-1040.

20° XVI Kl. Aprilis. Vita sanctæ Gertrudis virginis (fol. 107v-111r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 17 Martii, tom. II, p. 594 sqq. — Sed in cod. leguntur tantum numm. 1-8. Deinde num. 6 omnes verborum formæ efferuntur in prima persona.

21° Vita sancti Benedicti, abbatis venerabilis, monachorum patris (fol. 111r-113r).

Fragmentum Vitæ auctore S. Gregorio, editæ in *Act. SS.*, ad d. 21 Martii, tom. III, p. 277, scilicet num. 1 et num. 37, cum initio num. 38.

22° De sancto Arnulfo (fol. 113r-113v).

Fragmentum Vitæ editæ in *Act. SS.*, ad d. 18 Julii, tom. IV, p. 435 sqq., scilicet numm. 2-6.

23° II Kl. Julii. Passio sancti Pauli apostoli (fol. 114r-122v).

Epistola Marcelli. Vid. supra, tom. I, p. 210, 35°.

24° Liber de virtutibus sancti Andreæ (fol. 122v-137v).

Lectio cod. convenit cum ea de qua in *Anal. Boll.*, tom. III, p. 186, 1°.

25° Passio sancti Andreæ apostoli (fol. 137^{v} et fol. 144^{r}-147^{r}).

Edita apud Surium ad d. 30 Novembris.

26° XII Kal. Januarii passio sancti Thomæ apostoli (fol. 138^{v}-143^{v}, dein 165^{r}-165^{v}, dein 170^{r}-173^{r}).

Edita apud Mombritium, tom. II.

27° Passio sancti Jacobi apostoli, fratris Johannis evangelistæ (fol. 147^{r}-150^{v}).

Edita ibid.

28° Vita sancti Philippi apostoli (fol. 150^{v}-151^{r}).

Edita ibid.

29° Passio sancti Bartholomæi apostoli (fol. 151^{r}-155^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Aug., tom. V, p. 34-38.

30° Passio sancti Mathæi apostoli (fol. 155^{v}-162^{r}).

Edita apud Mombritium, tom. II. — Sed in cod. subinde quædam omm.

31° Kl. Maii. Sancti Jacobi apostoli, fratris Domini (fol. 162^{r}-163^{r}).

Inc. Jacobo apostolo præsidente cathedra ecclesiæ Hierosolymorum, orta est perturbatio Judæorum; et comprehendentes Jacobum, posuerunt eum super pinnaculum templi, dicentes: *Oramus te, virorum optime et justissime, quoniam ad diem istum sanctum Paschæ convenit omnis multitudo populi Israel, non solum de civitatibus vicinis, sed ex aliis quæ longe sunt positæ, qui omnes hanc de te habent assertionem, quod ita justus sis ut par justitiæ tuæ inveniri non possit. Ideoque fac sermonem ad omnes, ut non errent, dicentes Jesum Nazarenum Christum esse, filium Dei.* Tunc Jacobus, accepta occasione voce magna clamavit ad omnem populum, dicens: *Viri* (pergit lectio cod. sicut ea quam edidimus tom. I, p. 203) ... *vivi.* Tunc accedentes ad eum Pharisæi, dixerunt ei: *Nos te rogavimus ut errorem populo tolleres de Jesu. Tu autem ampliasti.* Quibus sanctus Jacobus dixit: *Ego errorem tuli et veritatem ostendi.* Sed cum hæc agerentur et viderent omnes gratulare in prædicatione ejus et credere in Jesum, præcipitaverunt ex alto eum; et corruens stabat fortis, et, nihil læsum habens, melius prædicabat. Tunc iratus quidam ex Pharisæis, perticam fullonis arripuit et dedit fortiter in capite ejus, et ejecit cerebrum ejus. Cumque populi *(pergit ut loco modo citato)* ... fecerant, ... cum omni honore sepelierunt ... credentes Christum filium Dei vivi: in quo loco colitur passio ejus usque in hodiernum diem. *Et nihil additur præterea in cod.*

32° V Kl. Novembris. Passio sanctorum apostolorum Simonis et Judæ (fol. 163^{r}-163^{v}, dein fol. 166^{r}-169^{v}, dein 164^{r}-164^{v}, dein 138^{r}-138^{v}).

Edita apud Mombritium, tom. II.

33° vii Kl. Maii. Passio sancti Marci evangelistæ (fol. 172v-174r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Aprilis, tom. III, p. 347-349, sub hoc titulo : *Apostolatus Alexandrinus.*

34° Kl. Octobris. Vita sancti Remigii confessoris (fol. 174r-176r).

Vita auctore Fortunato, edita ex hoc cod. in *Act. SS.*, ad d. 1 Oct., tom. I, p. 128-130.

35° Passio sanctæ Felicitatis (fol. 176r-177v).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 10 Julii, tom. III, pp. 12, 13.

36° Passio sanctæ Praxedis virginis (fol. 177v-178v).

Ea passio de qua in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 515, 65°.

37° vi Kl. Januarii, natale sancti Johannis evangelistæ et apostoli (fol. 178v-185r).

Opusculum Melliti episcopi de passione sancti Johannis, editum apud Florentinium, *Vetustius Occidentalis ecclesiæ Martyrologium*, p. 130-137.

C. Codex signatus n° 7917.

Iste codex formæ mediæ (0m,317 × 0,228), binis columnis ac lineis graphide ductis sec. XIV exaratus, continet fol. 207, præter insiticia duo ac folium unum initio superadditum, in cujus prima facie ordine alphabetico contentorum index nitide descriptus est. Ad finem folia quinque et altera facies folii 202 vacua remanserunt. Tituli rubricati sunt; litteræ majores alternis vicibus rubei et cærulei coloris sunt; capitales vero aliquot Vitarum (ut sanctarum Barbaræ, Gertrudis, Afræ et Elisabeth) vario colore distinctæ et eleganter venusta arte delineatæ, quarum appendicia per totum fere marginem evolvuntur. At vermiculator eximium peritiæ suæ specimen præbuit, dum folium quo Passio Stæ Catharinæ incipit, sertis circumdedit.

Ad calcem codicis folio insiticio recto sic scriptum est : *Pertinet ad librariam sancti Jeronimi in Trajecto;* et hoc idem videtur prius scriptum fuisse initio codicis folio item insiticio verso, ubi affixum est signum musei Bollandiani **P** MS 17. Insuper inter hoc folium et indicem de quo supra, posita est charta in qua secundum ordinem codicis Rosweydus Vitarum titulos descripsit.

1° Nativitas gloriosissimæ Christique martyris Katherinæ et de ejus progenie (fol. 1r-4r).

Vid. Append.

2° Passio gloriosæ virginis Katherinæ (fol. 4^v-16^r).

Edita in *Act. SS. Hiberniæ* (Brugis 1886), p. 681 sqq. — Cfr. supra, ad cod. Brux. 7672-74.

3° Incipiunt quædam gloriosa quæ Dominus noster per eam in quibusdam locis operari dignatus est (fol. 16^r-21^v).

Primum miraculum relatum in cod., quod est de sancto Sabino episcopo, editum est in *Legenda Aurea* (Edit. Dresdæ 1846), pp. 914, 915. Reliqua in Append. requirantur.

4° Inventio corporis ejusdem virginis (fol. 21^v-23^r).

Vid. Append.

5° Vita clarissimæ virginis martyrisque Christi gloriosæ Barbaræ (fol. 23^r-36^v).

Ea Vita est de qua egimus tom. I, p. 382, 2°.

6° Translatio ejusdem gloriosissimæ martyris virginisque Christi Barbaræ (fol. 36^v-39^r).

Edita ope huj. cod. supra, tom. I, p. 392.

7° Miracula quæ Deus per eamdem virginem operatus est (fol. 39^r-46^v).

Cfr. de his quæ diximus supra, tom. I, p. 382, 2°. Hic subjicimus concordantiam amborum codicum :

Cod. 3391.	Cod. 7917.	Cod. 3391.	Cod. 7917.	Cod. 3391.	Cod. 7917.
Num. 1 —	1	Num. 7 —	6	Num. 13 —	14
2 —	3	8 —	7	14 —	15
3 —	9	9 —	11	15 —	16
4 —	10	10 —	8	16 —	17
5 —	2	11 —	12	17 —	18
6 —	4	12 —	13		

Miraculum quod quinto loco in cod. refertur, accidit apud civitatem Coloniensem in ecclesia Fratrum Minorum, die sanctæ Barbaræ sacro. Narratur autem horribilis mors cujusdam histrionis deridentis miracula sanctissimæ virginis Christi Barbaræ.

8° Passio sanctæ Luciæ virginis (fol. 46^v-48^r).

Edita apud Surium ad d. 13 Decembris.

9° Vita sanctæ Marthæ virginis et hospitæ Domini nostri Jesu (fol. 48^r-49^v).

Edita in *Legenda Aurea*, p. 444-447.

10° Passio sanctissimæ virginis Christi Martinæ (fol. 49v-50v).

Contracta ex Passione edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Jan., tom. I, p. 11 seqq.

11° Passio sanctæ Priscæ virginis Christi (fol. 50v-51r).

Contracta ex Passione edita in *Act. SS.*, ad d. 18 Jan., tom. II, p. 184 sqq.

12° [Passio sanctæ Agnetis] (fol. 51r-53v).

Passio auctore S. Ambrosio, edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Jan., tom. II, p. 351-354.

13° Epitaphium beatissimi Hieronymi ad Eustochium, de vita Paulæ viduæ (fol. 53v-61v).

Editum ibid., ad d. 26 Jan., p. 712-722.

14° Vita sanctæ Aldegundis virginis (fol. 62r-63v).

Edita in *Leg. aurea* (Ed. Lovaniensis 1485), fol. 410v-411v. — Sed in cod. initium Vitæ usque ad hæc verba : *Cumque adhuc in paternis laribus* (fol. 410v, col. 1, lin. 16), paucis contrahitur.

15° Vita sanctæ Waldetrudis, sororis sanctæ Aldegundis virginis (fol. 62r-63v).

Contracta ex Vita edita in *Act. SS.*, ad d. 9 Aprilis, tom. I, p. 837 sqq.

16° Passio sanctæ Agathæ virginis et martyris (fol. 63v-65v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 5 Feb., tom. I, p. 615-618.

17° Vita et passio gloriosissimæ virginis et martyris Appolloniæ, filiæ Eusebii imperatoris Græcorum, quæ circa annum Domini centesimum nonagesimum quintum convertit patrem suum. Tandem tempore Decii imperatoris decollata est (fol. 65v-74v).

Inc. Sancta Apollonia unica extitit filia Eusebii, imperatoris Græcorum, sedem imperialem in Alexandria gubernantis. Qui uxorem Hierosolimitani regis filiam, nomine Leontiam, sibi desponsari procuraverat et ordinaverat; ex qua hanc excellentissimam moribus et vita prolem procreavit.

Des. Præfectus Lusianus ista audiens, deridebat facta sanctæ Appolloniæ, et statim versus in furiam dire laceravit manus suas; sed adductus ante feretrum sanctæ Appolloniæ, protinus convaluit. Unde ipse convocans universum populum Alexandrinæ urbis, ammonuit omnes suscipere fidem Jesu Christi, sicut ipse proposuit. Et factum est eo baptizato, ut tota regio iterum fidem Christi susciperet; et ipsa sancta virgo præcepto præfecti Lusiani honorifice exaltata in pretiosa tumba, claruit infinitis miraculis, clarificante Domino nostro merita ejus, qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

18° Passio sanctissimæ virginis et martyris Christi

Appolloniæ, filiæ sancti Appollonii, senatoris Romanorum (fol. 74v-76r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 9 Feb., tom. II, pp. 280, 281, num. 24-33. — Miraculum quod in cod. Actis annectitur, editum est ibid., p. 282, num. 47.

19° Passio sanctæ Dorotheæ virginis (fol. 76r-79r).

Hujus Passionis hic est conspectus.

Inc. Gloriosa virgo Dorothea, martyr Christi, ex patre Doroth (*sic*) et matre thea (*sic*) progenita est, valde nobili (*cfr.* cod. Brux. 581, tom. I, p. 255, 25°) ... compositum Dorothea. Ipsa autem ... (*Leg. Aurea*, edit. Colon. 1483, fol. 244r, col. 2, lin. 18 a fine) ... non evades. Respondit virgo sacratissima : Deus qui in cœlo (*Act. SS.*, tom. I Feb., p. 773, num. 2) ... adoratis. Fabricius tyrannus dixit : Nisi sacrificaveris, dabis aliis timoris (num. 3) ... ut canes rabidos non timeant, qui homines innoxios lacerant latrantes. Fabricius præfectus dixit : Tu quantum (*ibid.*) ... gehennam. Dæmonibus ergo qui sunt in simulacris hominum malorum et ardent in inferno, non sacrifico. Et prostrata (*Leg. Aur.*, fol. 244v, col. 1, lin. 7) ... devastas. Et iratus Fabricius dixit ad tortores : Sistite (*Act. SS.*, num. 5 usque ad finem, nonnullis mutatis).

Fabricio vero sæviente, ipsa virgo Christi suspensa pedibus (*Leg. Aurea*, ibid. lin. 19) ... De mane autem producta ad lucem, nec ulla macula nec læsio apparuit. De quo etiam Fabricius, tyrannus crudelis, mirabatur vehementer. Et dixit ei : Adhuc revertere, o amœna puella ; satis namque castigata es. Et misit eam duci ad duas sorores (*Act. SS.*, num. 6 ... usque ad finem num. 7).

Et his martyrizatis, dixit Dorotheæ Fabricius : Quousque (*Leg. Aur.*, ibid. lin. 12 a fine) ... curata. Tunc Fabricius jussit (*Act. SS.*, num. 9) ... permitteret orare. Quæ oravit Deum pro (*Leg. Aur.*, ibid. col. 2, lin. 9) ... decollata fuit sponsa Christi Dorothea et a Christo sponso suo in cœlis cum multitudine Angelorum est perducta. Passa est autem anno Domini ducentesimo octuagesimo septimo, octava (*sic*) idus Februarii, a Fabricio præside, sub Diocletiano et Maximiano imperatoribus. Igitur advocatus Theophilus (*Act. SS.*, num. 12) ... Sponsi. Puer (*Leg. Aur.*, ibid. lin. 17 a fin.) ... potens est. Exclamavit autem Theophilus voce magna (*et inde ad finem sat bene convenit cum his quæ in* Act. SS.).

20° Vita sanctæ Gheertrudis, virginis et abbatissæ (fol. 79r-97v).

Vita omnino conveniens cum Vita de qua supra ad cod. Brux. 5649, excepto quod in cod. quem hic examinamus, narratur ad finem Vitæ prodigium editum in *Act. SS.*, tom. I Feb., pp. 379, 370, num. 3-8.

21° Vita beatæ Mariæ Egyptiacæ, translata ex græco in latinum (fol. 97v-104r).

Alia versio Actorum quæ edita sunt apud Rosweydum, *Vitæ Patrum*, p. 382 sqq. — In cod. deest prologus.

22° Vita beatissimæ ac Deo dilectissimæ virginis ac paradoxæ Waldburgis (fol. 104r-108r).

Vita auctore Adelbodo episcopo, edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Feb., tom. III, p. 542-546.

23° [Miracula sanctæ Walburgis Tilæ facta] (fol. 108r-110r).

Edita ex hoc cod. ibid., p. 546-548.

24° Maii quarta die, vita sanctæ Monicæ, matris sancti Augustini, episcopi et doctoris (fol. 110r-112v).

Hæc Vita sat bene convenit cum ea quæ edita est in *Leg. Aurea*, fol. 277r-279r (edit. Colon.).

25° De sancta Petronilla (fol. 112v-113r).

Desumpta est hæc Passio ex Actis SS. Nerei et Achillei, editis in *Act. SS.*, ad d. 12 Maii, tom. III, p. 7 sqq., scilicet num. 15-17.

26° Vita sanctæ Pharahildis, cujus corpus requiescit in Gandavo (fol. 113r-114r).

Edita apud Hautcœur, *Actes de Ste Pharaïlde* (Lille 1882), p. 20-24. — Mendum irrepsit in Præf., p. VII, de codicis ætate.

27° Vita sanctæ Lutgardis, virginis et monealis *(sic)* (fol. 114r-119r).

Contracta ex Vita auctore Thoma Cantipratano, edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Junii, tom. III, p. 234 sqq.

28° In Britannia Edeltrudis virginis et reginæ, quam Beda venerabilis vocat Edeleldredam vel Edelfridam, libro quarto de Gestis Anglorum (fol. 119r-120r).

Est cap. XIX libri IV *Historiæ ecclesiasticæ* a venerabili Beda conscriptæ, editæ apud Migne, P. L., tom. XCV, p. 201-204.

29° Hymnus venerabilis Bedæ (fol. 120r-120v).

Editus ibid., pp. 204, 205.

30° Vita sanctæ ancillæ Christi Mariæ de Oegines (fol. 120v-140v).

Vita auctore Jacobo de Vitriaco, Acconensi episcopo, edita in *Act. SS.*, ad d. 23 Junii, tom. IV, p. 636-666.

31° Passio beatæ Margaretæ virginis (fol. 141r-144r).

Contracta ex Passione edita apud Mombritium, tom. II.

32° Vita sanctæ Praxedis (fol. 144r-145r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 19 Maii, tom. IV, pp. 299, 300. — Sed in cod. multæ occurrunt variantes lectiones.

33° Conversio beatæ Mariæ Magdalenæ ex Isidoro de vita et obitu sanctorum (fol. 145r-146r).

Inc. Fuit in Hierusalem nobilis quidam de stirpe regia, nomine Lazarus, habens duas sorores, scilicet Martham virginem, vita et moribus religiosam, sed Mariam, lascivam puellam, ad mundi pompam totaliter deditam.

Des. Et amplexata est eam et osculata. Sorores vero gloriosæ virginis viderunt ambas amplexibus colloquentes, scilicet Matrem Christi et Magdalenam, et a sanctis angelis usque ad tectum domus elevari a terra et in aera sustentari et cum omni reverentia iterum inferius collocari, sicut postea sorores Matris Christi quæ hæc viderunt fidelibus retulerunt, ad laudem et gloriam ejus qui est benedictus Deus in secula. Amen.

34° Transitus beatæ Mariæ Magdalenæ (fol. 146r-147r).

Edita apud Faillon, tom. sæpe cit., p. 433-436. — In cod. præfixus est narrationi prologus ibi editus, p. 436.

35° Sermo de translatione beatæ Mariæ Magdalenæ (fol. 147r-149r).

Historia translationis secundum lectionem notatam in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 516. 69c. Additur in cod. miraculum editum apud Faillon, tom. cit., p. 737, IV.

36° [Passio sanctæ Christinæ] (fol. 149r-150v).

Passio rebus narratis haud absimilis illi quæ edita est in *Act. SS.*, ad d. 24 Julii, tom. V, p. 524 sqq.

37° Conversio et martyrium sanctæ Affræ cum aliis (fol. 150v-152v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 5 Aug., tom. II, p. 55-58. — In cod. incipit: *Tempore quo persecutio Dioclesiana* (sic) *fervebat.*

38° Die XVI, sanctæ Eufemiæ virginis et martyris (fol. 152v-155r).

Contracta ex Passione edita apud Mombritium, tom. I.

39° Die XVII Septembris, sanctæ Hildegardis virginis (fol. 155r-156v).

Desumptum est hoc Vitæ breviculum ex ipsis beatæ virginis opusculis, de quibus agitur in *Act. SS.* ad d. 18 Sept., tom. V, scilicet § II, p. 631 sqq. et § VII, num. 99 sqq. — Ad finem brevi sermone de nonnullis miraculis fit mentio.

40° Passio sanctæ Teclæ virginis et martyris (fol. 157r-160r).

Edita apud Mombritium, tom. II; sed in cod. multæ sunt lectiones variantes et subinde quædam omissa.

41° Vita sanctæ Pelagiæ ad Christum conversæ (fol. 160r-163r).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 8 Oct., tom. IV, p. 261-266.

42° Passio sanctarum Perpetuæ et Felicitatis martyrum (fol. 163r-164v).

Passio secundum lectionem quæ notata est tom. I, p. 256, 31°.

43° Passio sanctarum Undecim milium virginum (fol. 164v-166r).

Contracta ex Passione edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Oct., tom. IX, p. 157 sqq.

44° Vita sanctæ Odæ viduæ (fol. 166r-167v).

Edita ex hoc cod. in *Act. SS.*, ad d. 23 Oct.. tom. X, pp. 139, 140.

45° Vita sanctæ Ermelendis virginis (fol. 167v-168r).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 29 Oct., tom. XII, pp. 849, 850. Cfr. p. 844, num. 3.

46° Vita mirabilis Christinæ, descripta a fratre Thoma, suppriore conventus Lovaniensis, Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui et composuit ac compilavit librum Apum et librum qui dicitur De naturis et proprietatibus rerum (fol. 169r-174v).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 24 Julii, tom. V, p. 650 sqq.

47° Vita sanctissimæ Elyzabeth, regis Ungariæ filiæ et relictæ Lodowici, serenissimi Thuringiæ lantgravii et principis illustrissimi Hassiæ et Saxoniæ (fol. 174v-195r).

Vita auctore Theoderico de Apoldia, edita apud Surium ad d. 19 Novemb. (1).

48° Sequitur bulla canonizationis ejusdem (fol. 195r-196v).

Bulla Gregorii IX, data Perusii die 1 Junii anno 1235, edita apud Fontaninum, *Codex Canonizationum*, p. 73-75.

49° Passio sanctæ Cæciliæ virginis (fol. 196v-202r).

Edita apud Mombritium, tom. I. — Sed in cod., omisso prologo, incipit: *Cecilia virgo clarissima absconditum evangelium Christi semper gerebat in pectore.*

(1) Ad finem vitæ hæc leguntur : **Gratiarum actio editoris hujus libri** (intellige ipsius auctoris Theodorici, non librarii) : *Deo Gratias per quem finivi istud dictamen Vitæ beatæ Elyzabeth viduæ, anno Domini M°CC°XCVII°, nono idus Maii. Oret pro me Dominum nostrum Jesum Christum, in cujus conspectu nullam repulsam ejus patitur oratio. Amen.*

Appendix ad cod. 7917.

DE S. CATHARINA V. M. ALEXANDRINA. (Cfr. supra, pag. 155, 1°.)

Nativitas gloriosissimæ Christique martyris Katherinæ et de ejus progenie.

1. In illa terra seu patria quæ Alexandria vocatur, erat quidam rex magnus, Costus nomine, cujus regnum latum, sed idolorum ipse cultor et paganus. Et cum auro et argento et armigeris fultus esset, tamen tristis erat, eo quod herede careret. Longo sic tempore elapso, placuit pluribus et rex ipse acquievit ut in civitate Rodiam, quæ est in superiori parte Alexandriæ, quarta decima die mensis Januarii convenirent et pro herede regni obtinendo singuli secundum status sui exigentiam potentibus diis oblationem portarent. Factum est autem secundum regis imperium, et illo die convenit multitudo gentilium cum muneribus diversis, clamantes se paratos esse ad imperium regis. Tunc rex suis regalibus vestibus indutus, super dromedarium sedens, silentium fieri indicavit et tam multo populo dixit : *Ne in posterum respublica pereat, oblationem diis nostris novam dignum duximus præparare, ut, si fieri potest, nobis provideant de herede.* Et fecit baptizari unam statuam nomine Dei sui, præcipiens omni populo juris sententia ut in terram prostrati statuam adorarent et potentum deorum adjutorium invocarent pro causa supra dicta. Et hoc per integram hebdomadam fieri jubebat omni die una vice. Statim autem populus, regis imperio obediens, diversa sacrificia faciendo clamabat, et unusquisque prout potuit dæmonibus immolabat. Peractis his diebus, accepta regali licentia unusquisque ad propria remeavit. Et longo exspectato tempore, prout fuit regina infecunda permansit.

2. In diebus illis fuit in Græcia quidam magnus philosophus, nomine Alphorius, cujus fama ubique rutilabat. Et pervenit ad regem quanta scientia prædictus philosophus in astris præditus diceretur. Rex autem volvens in mente, an ista infecunditas ex alicujus Dei indignatione esset vel ex natura, misit ad eum consilio suorum in hæc verba : " Costus, magnorum deorum nutu et providentia Syriæ et Græciæ ac in magno regno Alexandriæ rex et gubernator, Alphorio, magno Astrologo et suo amico, sui et totius regni favorem et regalem benedictionem. Noveris nos tuæ famæ magnitudinem percepisse, et scientiæ tuæ fulgorem nostris temporibus illuxisse : quam magnificam deorum gratia in cunctis cœli et astrorum motionibus tibi dedit cognitionem, et quam limpide tua illuminata consideratio in multis quæ facta sunt et fiunt indicat veritatem. Et quia in nobis superabundat ex deorum nostrorum gratia quidquid mundi gaudia audeant postulare, nihil nobis deest nisi istorum bonorum heres et possessor in futuro. Nobis tamen ignotum est an ista sterilitas in nobis est ex natura vel sidus nostræ nativitatis nos oblique inspexit, vel eventu alicujus rei accidentis. Te ergo per scripta regia dignum duximus rogitare ut nostri regni et doloris faceres te participem, mox visis litteris

nostris recto itinere ad nostram curiam veniendo. Nec te terreat viæ longitudo nec laboris lassitudo, nec expensarum magnitudo; nam hæc omnia nobiscum centuplicia invenies et amplius quam desiderat mens tua. „

Quali honore Alphorius a rege ejusque principibus susceptus est, et de imagine conversa in formam Crucifixi.

3. Alphorius autem acceptis litteris regalibus et perlectis, et a nuntiis edoctus, dispositis omnibus suæ domus rebus, breviori quo potuit itinere ad regem properavit. Mox a rege miro honore susceptus et ultro ad palatium adductus, primo a tyrannis, ducibus et militibus, deinde a communi populo nec minus a regina et suis dona et salutamina recepit infinita. Transactis sic aliquot diebus, rex scrinium cordis sui aperuit Alphorio, et ob quam causam eum vocaverat plenius enarravit. Alphorius igitur diligenter intuitus de die nativitatis regis et reginæ, nec astra nec planetam quæ causa istius infecunditatis essent, potuit invenire. Post tres igitur dies Alphorius tale regi fertur dedisse responsum. Superioris cursus naturæ hujus infecunditatis fuisse causam, plenarie negavit. *Me autem judice, existimo, illud fore factum ex alicujus magni Dei providentia, quæ, antequam vobis hæc concedat hoc, fieri præordinavit sacrificium pretiosum.* Ad quem rex : *Magistrorum optime, hoc diu factum est, nec tamen nostri desiderii sequebatur effectus.* Et Alphorius respondit : *Scimus infinitum numerum esse deorum, et unum præ aliis habere principatum. Nostræ autem infirmitatis non est deorum potentiæ dare differentiam. Placeat* * (* *cod.* Placet.) *ergo regiæ voluntati imaginem unam fieri ex electo auro et purissimo ; quam dum magister fundendo perficiat, hoc nomen : " Hic est Deus deorum „ imponi faciat solemniter. Forsitan et iste præ ceteris in regis sacrificio specialiter sibi honorem præservat.* Rex placito acquievit et aperiri thesauros suos fecit, et aurum Arabiæ de Ophyr et Evilath larga manu ad prædictæ imaginis perfectionem exhibebat. Inquiritur hujus operis artifex imagoque funditur, et hoc nomine : " Hic est Deus deorum „ nominatur. Homo proposuit, Deus autem disposuit. Quia fusa imago prædicta non artificis intentionem, sed crucifixi Salvatoris dispositionem habere videbatur. Fama divulgatur, populus ammiratur, rex pariter et regina concutitur. Tunc Alphorius dixit : *Non negligentia fore creditur artificis, sed providentia naturæ superioris. Ergo talis dispositio imaginis, Deo deorum si placet, mortalibus cordibus nequaquam displiceat.* Evocatis ergo regni populis, novo deo novum sacrificium immolatur; et a rege ad templum ubi alii dii conservabantur, hæc imago brachiis regiis ferebatur. Sed nulla comparatio Christi ad Belial. Statimque post introductionem omnes dii fractis cervicibus de altari ceciderunt. His itaque gestis, regina gravida videbatur; et, expleto dierum numero, elegantem miræ pulchritudinis infantem in mundum produxit. Eodem noctis tempore, rex cum Alphorio et aliis in castro quod a regis curia distat per duo miliaria, causa solatii pernoctabat. Prima autem vigilia noctis Alphorius surgens, more solito intuitus astra, in regis tentorium ingressus, gaudiosa nova nuntiavit in hæc verba : *Sive dormitat* * *sive vigilat rex, in æternum vivat : quia hac noctis hora nata est sibi* (* *cod.* dormiat.)

filia cui totus cœli cursus et natura planetica dona innumerabilia mirifice concessit. Adhuc ipso loquente ecce nuntius velocissimo cursu equitando veniens, hoc munus magnificum nuntiando præsentavit. Tunc rex ab illo noctis tempore lectuli mollitiem perhorrescens et magno deorum Deo gratias referens, petiit ut novam progeniem quam mirabiliter concesserat, feliciter gubernaret. Mox orto lucis sidere ad aulam festinavit regiam, prolem videndo et reginam salutando. Tunc Alphorius superveniens et infantis physionomiam * discutiens, per magnos deos juravit quod in vita sua non vidit hominem in quo se cœli cursus tam gratiose monstravit. Militum consiliis transactis de nomine infantis, Alphorius dixit coram cunctis : *Nosti, rex bone, et vidisti quod quam cito istius magni Dei imago in templo deorum inthronizabatur, omnes ruinam patiebantur. Ab ipsa igitur causa accipiat nomen puella, et sit " Katherina, „ id est universalis deorum ruina.* Et quia consilium erat rationi consonum et quia regi et aliis placuit, tertio decimo nativitatis suæ die nomen Katherina accepit. Quæ plus crevit moribus quam corpore, plus sapientia quam ætate. Et statim post septennicam infantiam, sapientibus Græciæ in liberalibus artibus puella traditur ad imbuendum. Et quidquid didicit, audivit et perlegit, intellexit et memoriæ commendavit. Et sic in brevi septem liberalium dicebatur artium magistra, et in scholis magistrorum gemma erat nuncupata.

* *cod.* phisonomiam.

De conversione gloriosæ virginis Katherinæ ; et primo de morte Costi regis, patris ejusdem.

4. Benedictus Deus, qui abundantia suæ pietatis et sua solita misericordia vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem suæ veritatis venire; qui sanctos suos mirabilibus modis convertit ad se et novis revelationibus eos de tenebris transfert * in admirabile lumen suum. Quod nunc luculenter apparet in virgine Katherina. Erat enim in Cypro insula ejusdem insulæ civitate metropoli et præcipua, quæ Solempna dicitur, rex quidam præclarus genere, naturæ et fortunæ dotibus insignis et præditus, Costus nomine, habens de uxore sua filiam unicam, excellentem, speciosam, famosam, ingeniosam et virtuosam, nomine Katherinam, quatuordecim annorum. Hunc siquidem regem Maxentius imperator, qui tunc temporis totius Græciæ rexit principatum, suis scriptis ad se vocat; et pro utilitate reipublicæ ne venire tardaret sub obtentu gratiæ imperialis seriose præcepit et mandavit. Litteris receptis et visis ac intellectis, Costus rex turbatur; quod reginam nobilem et filiam unicam, cura domestica et consueto solatio destitutas, post tergum relinquere debeat cum mœrore conqueritur. Verum, quia mandatis expedit et necesse est obtemperare superioris, apud se consulte et provide deliberat et secum ducere uxorem et filiam decernit. Et regni sui negotiis bene dispositis, ea quæ sunt pro sumptibus viæ necessaria, copiose procuravit; cum comitatu decenti, uxore et filia assumptis, iter arripuit et Alexandriam pervenit, ubi Maxentium invenit. Qui dicti regis et suorum grata gavisus præsentia, pio et pleno per omnia ipsos favore prosequitur, beneficiis fovet, dona largitur quamplurima. Rex itaque præfatus imperatori Maxentio per aliquantum temporis spatium commoratur;

* *vox suppleta.*

alternis semper colloquiis et solatiis oportunis fruuntur. Sceptrum imperii amborum maturis consiliis feliciter disponitur et salubriter dirigitur.

5. Tandem Costus, pater ejus, cœpit infirmari et imaginem illam auream et filiam suam Katherinam coram se fecit locari. Tunc pater ad filiam dixit : *Dissolutionem corporis mei imminere video, et per favorem magni Dei cujus hæc est imago, mihi data es. Præcipio tibi sub paterno mandato ut nullum præter eum adores Deum ; qui licet in vita mihi fuit incognitus, tibi tamen quam sic diversis gratiis dotavit, erit manifestus. Et ecce morior et ideo heredem universorum te constituo, nostrorum regnorum gubernatricem te relinquo. Adjuro ergo te ut nullum in virum accipias, nisi generis nobilitate, bonorum copiositate, corporis pulchritudine, scientiæ prudentiæque profunditate tibi similem probaveris.* His dictis, osculo amoris valedicens filiæ, expiravit. Quis enarrare poterit, regina et ejus filia quanto dolore et mœrore movebantur? *(Deinde sequitur de S. Catharinæ conversione, quemadmodum narratur supra, tom. I, p. 105 sqq. In cod. tamen narratio est prolixior ac stylo diversa.)*

DE MIRACULIS EJUSDEM. (Cfr. supra, pag. 156, 3°.)

Qualiter fama gloriosæ virginis Katherinæ in Almanniam pervenit.

1. Fuit in Saxonia magnus quidam dominus ipsam gloriosam virginem ex voto in monte Syna visitaturus. Hic cum in quamdam Italiæ venisset civitatem et hospes ejus, honestus licet, non tamen multum dives, pulcherrimam haberet filiam, pro pecuniis ordinavit cum hospite puellam sibi debere condormire. Inducta igitur ad hoc puella simplex et nihil mali suspicans in lecto nocte locatur, veniente domino. Quo tandem veniente et ipsam carnaliter tangente, illa quasi insaniens cœpit flere, ejulari et fortiter etiam pugnis resistere. Attonitus miles super ejus constantia, persuasit admissionem quantum potuit, allegans illud de patris ejus fieri complacentia. Illa contra recalcitrans, dixit se potius mori velle quam florem virginitatis perdere, quam ipsa, vocata Katherina, sanctæ Katherinæ vovit observare. Repercussus conscientia homo ille, cogitavit intra se : *Tu, miser, vis visitare sanctam Katherinam, et hanc puellam, similiter Katherinam, quæ eædem castitatem vovit, audes violare!* Dixit ergo puellæ : *Filia, dormi in pace, quia pro certo, timens Deum et sanctam Katherinam honorans, non offendam te.* Mane surgens homo devote et puellam sic alloquitur honeste : *Filia mea dilecta, heri contristavi te ; ignosce mihi, et quidquid volueris dabo tibi.* At illa, sicut bona et innocens et simplex creatura, dixit : *Domine, ignoscat tibi Dominus, et ego ignosco.* Et ille : *Quod ergo petis?* Respondit : *Est hic prope civitatem, domine, claustrum sanctæ Katherinæ in quo diu libenter monialis fuissem, si a patre ad hoc necessaria habuissem.* Et dominus : *Ego te juvabo, filia, pro posse meo.* Accedens igitur ad claustrum et missam audiens, breviter ordinavit cum abbatissa illa recipi filiam illam cum magna reverentia.

2. Sicque dominus ultra pergens, prospere venit ad montem Synai, faciens prout decuit beatæ virgini Katherinæ. Sed reversus per desertum læsus est in crure a quodam verme toxico illius regionis. Currente vero morbo sursum usque ad genua, solum restabat cruris abscisio, ut cetera membra manerent salva. Consuluerunt igitur medici et chirurgici altera die finaliter crus morbidum abscidi. Sed jacens pauper sero solus in lecto, lamentabiles voces dabat, et gemitus et suspiria; et inter cetera prorumpens in hæc verba : *O sancta domina mea Katherina, hæcne sunt quæ tuis reddis devotariis? Hactenus inter amicos meos fui strenuus et inclitus; nunc truncatus revertar confusus turpiter et læsus.* Et ecce semidormiente viro et ejulante, assunt tres pulcherrimæ virgines, quarum una, pulchrior ceteris, vasculum habens in manibus, dixit duabus : *Cito nudate virum, cutem morbidam abstrahite et unguentum hoc infundite.* Sicque homo, statim totus sanus, plene expergiscens, clamavit voce magna, dicens : *Quæ estis, o dominæ, quæ estis, quæ sic sanastis me? Quæso, dicite.* Tunc illa pulchrior dixit : *Ego sum Katherina quam visitasti, quæ sanum feci, memor quod intuitu Dei et mei illi puellæ votivæ meæ pepercisti. Ad tuos vero pergens totus sanus, da gloriam Deo, prædicans hoc miraculum, quam gloriosus sit et quam mirabilis in sanctis suis qui te sanavit precibus meis.*

3. Itaque dominus ad suos reversus, publicavit, oculo ad oculum ostensis signis, quod circa se factum hoc miraculum est. Quapropter ad honorem Dei et sanctæ Katherinæ pulchrum instruxit oratorium, instituens inibi virgines claustrales seu ancillas Dei, in humilitate et castitate et piis operibus Deo perpetue servituras. Divulgatum est hoc miraculum, quia circa talem dominum factum fuerat; nutu Dei per totam Alemaniam valde excrevit, et specialiter, ut dicitur, procurantibus domnis Ordinis Cruciferorum Theutonicorum in Prusia, qui ob hoc adhuc vocantur “ domni de sancta Katherina. „ Construxeruntque burgenses et cives honesti ob hoc beatæ Katherinæ devoti in civitatibus, oppidis et castellis aut capellis oratoria et altaria, instituentes inibi puellas et claustrales, Deo et beatæ Katherinæ in sanctimonia servituras. Frequentant etiam ejus ecclesias, oratoria et altaria infra annum sæpe et in festis ejus mulieres devotæ et viduæ cum multa reverentia. Celebratur autem ejus festum cum historia magistri Lysatis merito. Quæ dum in curia Romana examinanda erat, Cardinalis quidam restitit, pro eo quod in ea nimis excessive, prout sibi videbatur, ponitur “ ter sancta quaterque beata. „ Sed informatus quod dictator per hoc tres dotes animæ et quatuor corporis in futuro fideliter innuit, contentus fuit et quievit.

Aliud miraculum de reliquiis beatæ Katherinæ in mare projectis sed per angelum collectis.

4. Miles quidam ad Terram Sanctam properans rogatu sororis suæ, nomine Katherinæ, sanctimonialis in monasterio dicto *Scravenrode* sive *Scravenrande* in terra Bergensi, contra inimicos suos multum victoriose se gerens, post peractam militiam, de licentia domini sui cui militabat, salvoconducto impetrato ab inimicis,

ad sepulcrum sanctæ Katherinæ pervenit, ibique modicum de reliquiis sanctæ Katherinæ multo labore et sollicitudine conquisivit. Cumque repatriare intenderet, dictas reliquias summa diligentia custodivit. Sed cum in mari existerent, tanta oborta est tempestas ut nauta eam non naturalem esse putaret. Mandatur igitur ut quicumque reliquias aliquas sine licentia Summi Pontificis habuerint, statim in mare projiciant. Quod Dei miles non sine gravi mœrore complevit, et in continenti cessavit tempestas. Et ecce angelus Domini reliquias illas sustulit et ad monasterium in *Scravenrande* sorori ejus deportavit.

5. Miles vero reversus, sorori suæ quomodo reliquias impetratas in mare projicere coactus sit, cum mœrore maximo recitavit. Quæ statim requisivit si forte eas visas recognoscere posset. Quo respondente quod sic, ipsa reliquias per angelum sibi delatas dixit et ostendit. Quas cum miles frater ejus videns agnosceret, vehementer obstupefactus, amplius in amorem earumdem reliquiarum exarsit.

6. Sed modo advertite Dei magnalia circa reliquias beatæ Katherinæ divinitus ostensa. Nam post hæc tempore quodam in festo Annuntiationis Dominicæ visa est guttula lactea præfatis reliquiis adhærere; et supposito vasculo profluxit plus quam dimidia pinita lactis, præsertim* vini mensura in illa die. Deinde, suppositis vasculis, (* *sic.*) accidit in Parasceve tantumdem effluere sanguinis rubicundi. In alio festo inde manavit oleum, in quarto festo aqua limpidissima, in quinto mel, in sexto balsamum. Tandem in septima festivitate, scilicet in die sacratissimæ virginis Katherinæ, prodiit inde manna. Et quicumque videbant, ammirantes laudabant Dominum et sanctam Katherinam. Postero autem tempore, florente Jacoba ducissa Bavariæ et comitissa Hollandiæ, accidit quosdam venerabiles viros de Hollandia terram Bergensem peragrare. Quos dux Bergensis gloriose recepit; et pro honore præcipuo misit cum eis thesaurarium suum ad monasterium de *Scravenrande,* ut viderent quanta gratia in sua fulgeret patria. Ibi viderunt præfatam particulam de reliquiis beatæ Katherinæ, non majorem unico grano frumenti, quam circumstabant in auro margaritæ et lapides pretiosi. Viderunt insuper et septem vascula perlucida, in quibus septemplices liquores prædicti continebantur, qui de osse sanctæ Katherinæ in septem festis sibi succedentibus prodierant, ut præmissum est. Magister Jordanus longe ante hæc tempora tetigit hæc prædicta, sermone penultimo de sancta Katherina, dicens quod de suis reliquiis benedictis in *Scravenrande* septem dona cœlestia stupenda supernaturaliter effluxerunt, ad designandum quod affluenter fuit fœcundata septem donis sancti Spiritus. Quæ etiam manu suæ liberalitatis potest ex speciali prærogativa sibi divinitus concessa omnibus ipsam invocantibus mirifice dispensare.

Qualiter gloriosa virgo Katherina quemdam scholarem submersum liberavit a morte.

7. Comminante quodam scholarium rectore nobilem quemdam scholarem corrigere, ille sperans se posse evadere, cucurrit per pontem. Casu igitur de ponte cecidit, et cito submersus fuit. Quo audito, rector timens occidi a parentibus

potentibus, totum se ad sanctam Katherinam contulit, atque missam de ea scholaribus cantare instituit. Mira res! Missa inchoata, venit puer lætus et indutus veste pulcherrima, in cujus margine * seu fimbriis scriptum erat inferius: “ Omnis consummationis vidi finem; latum mandatum tuum nimis. „ Interrogatus quomodo evasisset, respondit: *Me submerso beata Katherina, protegens me hoc pallio et ducens ad litus, dixit*: “ *Curre cito, filiole, et canta missam cum sociis tuis de festo meo.* „ Sicque multi scholares et rectores affectati, devotissime huic gloriosæ virgini servierunt, et historiam ejus cum magna diligentia didicerunt et exposuerunt et suis temporibus usque solemniter decantaverunt.

* *cod.* mergine.

De eo qui in devotione sua quam beatæ Katherinæ solitus erat exhibere, tepuerat.

8. Fertur quoque quod dum quidam devotus beatæ Katherinæ existeret et eam crebro in sui adjutorium invocaret, per processum temporis mentis incuria resolutus, et devotionem mentis perdidit et ab ipsius invocatione cessavit. Qui in oratione positus vidit multitudinem virginum ante se transeuntium, inter quas una præ ceteris splendidior videbatur. Quæ dum sibi appropinquasset, faciem suam operuit, et sic ante eum facie velata transivit. Cujus splendorem cum ille nimium miraretur et quæ esset interrogaret, una ex eis sibi respondit: *Hæc est Katherina, quam olim solitus cognoscere eras. Nunc autem, quia eam non cognoscere videris, coram te sic velata facie tamquam a te incognita pertransivit.*

De sacerdote cujus bona temporalia, ne a furibus raperentur, beata Katherina custodivit.

9. Plebanus quidam sanctam diligens Katherinam, nam singulis annis in die natalis ejus convivium præparavit et sacerdotes ac pauperes invitavit. Quadam autem vice quatuor fures dixerunt ad invicem: *Plebanus jam cantat in ecclesia cum clericis, et nos volumus domum intrare et nullo vidente * res suas exportare.* Et intrantes domum, quia famula parabat retro cibaria, neminem præter canem parvum viderunt latrantem. Cui fures caput amputaverunt, et cameram intrantes omnia rapuerunt. Sed nutu Dei cameram exire non poterant, et caput canis amputatum adhuc continue latrabat. Sacerdos vero rediens cum ceteris, fures in camera repperit; caput vero canis amputatum adhuc latrare vidit. Tunc fures confusi, a plebano veniam petierunt, videntesque magnalia Dei et sanctæ Katherinæ, toto corde emendam promiserunt.

* *cod.* videntes.

De mechanico qui omnes emptores suos perdidit, eo quod proposuerat amplius nolle mentiri.

10. Quidam mechanicus devote serviens beatæ Katherinæ, et omni anno promisit omittere aliquid pro ejus amore et honore. Uno anno abstinuit a vino; alio

anno a carnibus, aut in qualibet septimana unum diem jejunavit, aut mane surrexit, aut aliquam eleemosynam dedit, aut certum numerum orationum peroravit. Semel autem in uno anno promisit se non scienter velle mentiri, sed cum veritate emere et vendere. In primis autem plures emptores perdidit, eo quod simpliciter dixit : *Sic dabo et non remissius.* Atque ita firmiter hoc tenens, damnum incurrit; promissum tamen infringere noluit. Post aliquot dies beata Katherina mediante cognoverunt homines veritatem ipsius in emendo ac vendendo; ac sic acquisivit magnum populi concursum, atque plus quam prius ditatus veritatem usque ad obitum tenuit.

Qualiter gloriosa virgo Katherina judicem quemdam traxit ex seculo ad religionem.

11. Judex quidam iniquus omni anno vigiliam sanctæ Katherinæ jejunavit et festum ejus solemniter celebravit; et singulis annis ob reverentiam sanctæ Katherinæ aut aliquid fecit aut aliquid omisit. Et uno anno promisit quod quidquid peteretur ab eo in honore sanctæ Katherinæ, hoc nollet denegare. Apparuit autem ei beata virgo Katherina in specie mulieris pauperculæ, petens sibi in nomine Katherinæ virginis manum dexteram dari. Qui cum memor suæ sponsionis manum ei dedisset, amici et propinqui ejus erubescentes quia deformis et truncatus manu existeret, cohortati sunt eum ad ingressum religionis. Postquam autem religionem ingressus est, beata Katherina specialem ei gratiam a Deo impetravit, ita quod priorem vitam suam valde emendaret, et Deo et beatæ Katherinæ devote ac fideliter serviret. Et ecce cum jam in extremis ageret, beata Katherina, ingenti pulchritudine adornata, apparuit ei, dicens : *Fili, nosti me?* Qui respondit : *Non.* At illa dixit : *Ego sum Katherina cui tuam manum dedisti.* Et ostendit ei manum, dicens : *Hoc ideo a me factum scias, quia aliam viam salvandi te invenire non potui.* Atque ita ille in Christo feliciter per omnia obiit.

Qualiter beata Katherina ad preces mercatoris raptores quosdam cæcitate percussit.

12. Vir quidam mercator multum diligens sanctam Katherinam, tempore quodam cum pannis vendendis profectus est ad nundinas. Raptores autem supervenientes, rapuerunt sibi omnia. Ipse vero beatam Katherinam fortiter invocavit, dicens : *O beata Katherina, quomodo nunc creditoribus meis potero satisfacere? Et uxorem ac filios meos unde possum nutrire?* Statim autem divina virtute raptores cæcitate percussi sunt ac tremore membrorum. Qui videntes plagam Dei et beatæ Katherinæ super se, dolentes de temeritate ac culpam suam recognoscentes, omnia ei restituerunt et libere abire permiserunt. Ipsi autem beatam Katherinam instanter invocantes, voverunt se numquam aliquem velle amplius spoliare hominem, si meritis ipsius sanari visumque recipere mererentur. Qui mox ob merita pretiosæ virginis Christi sanati sunt, atque deinceps vitam suam in melius emendaverunt.

De quodam canonico quem gloriosa virgo Katherina a vita reproba atque morte perpetua liberavit.

13. Canonicus quidam secularis, habens plura beneficia, quamvis pravam duceret vitam devotus tamen multum erat beatæ virgini Katherinæ. Hic habuit capellanum, virum probum et castum; et alium æque presbyterum commensalem, qui etiam seculariter satis vixit. Quadam autem nocte capellanus visionem habuit, viditque canonicum et presbyterum ambos trahi ad judicium. Judex vero dare voluit sententiam diffinitivam, ut scilicet ambo decollarentur. Beata vero Katherina pro canonico suo apud judicem intercessit, ut sententiam adhuc per annum differre dignaretur, et sic se ille illo in anno emendaret. Alius autem presbyter, quia intercessorem non habuit, capite truncatus est. Facto ergo mane divinoque officio peracto, ad mensam presbyter non venit. De quo mirabatur canonicus. Capellanus autem qui fuerat vir bonus, narravit canonico suo visionem illam quam viderat in nocte; atque ita ambo gressum suum direxerunt* usque ad domum presbyteri, eumque morte subitanea defunctum repprerunt. Quo viso perterritus canonicus, omnia beneficia sua mox resignavit; et, ordinem Cisterciensem intrans, in bono vitam suam finivit.

* *cod.* dixerunt.

De quadam meretrice super quam imago gloriosissimæ Katherinæ cecidit atque penitus extinxit.

14. Erat meretrix quædam quæ tali in spurcitia per viginta annos persistens nihil boni fecit umquam, nisi hoc quod vigiliam beatæ Katherinæ virginis devote jejunavit; et ita ad ecclesiam vadens contrito corde promisit se velle emendare, sed semper recidavit. In vicesimo autem anno, cum proposito emendationis ante imaginem beatæ Katherinæ prostrata, devotius eam invocabat seque emendare velle firmiter promisit. Voluntate autem Dei imago beatæ Katherinæ magna super eam corruit, illamque opprimens valide occidit. Et ecce campanator ad vesperam pulsare volens, invenit eam mortuam. Turbatus itaque vocavit sacerdotem et omnem populum ad videndum quod factum fuerat. Sacerdos itaque cum omni populo, cognoscentes hanc esse illam meretricem, Deum sanctamque Katherinam suppliciter rogabant, ut, si spes aliqua foret salutis de ea, resuscitaretur manifestaretque qualiter quove ordine mortua fuerit. Quæ statim miseratione divina surgens, sacerdoti omnique populo qualiter ipsam in oratione positam beatæ gloriosæque virginis Katherinæ oppresserat imago, indicavit. Addidit præterea quomodo beata Katherina adduxerat eam per loca tenebrosa, ostendens ei pœnas damnatorum. Insuper et gaudia ei demonstravit beatorum. *Impetravit*, ait, *gloriosa virgo etiam a sponso suo, Domino nostro Jesu Christo, ut ad vitam redirem* * *faceremque omnium peccatorum meorum plenariam confessionem.* Moxque petens devote sacerdotem, integram omnium peccatorum suorum devote fecit confessionem. Postmodum aliquamdiu supervivens, in bonis operibus vitam fideliter finivit.

* *cod.* redierem.

De juvene cujus uxor seipsam cum infante in utero miserabiliter occiderit, sed per gloriosissimam virginem Christique martyrem Katherinam mirabiliter resuscitata est.

15. Filius erat cujusdam principis qui, defunctis parentibus suis, fideliter ac devote beatissimæ virgini serviebat. Habebat enim capellam prope castrum in honore sanctæ Katherinæ dedicatam; ad quam quotidie intrans, eidem se suppliciter commendabat. Accidit autem quadam vice, cum sic orationi incumberet, quod tres virgines pulcherrimæ sibi apparuerunt; ipse vero territus ad terram caput inclinavit. Quarum una ait : *Quam rusticiter agis, cum sis nobilis? Respice nunc in nos, quoniam tui causa huc venimus.* Rursus media ab eodem requisivit quam illarum habere vellet pro sponsa sua. Una autem a dextris occulte ei annuit ut mediam sibi assumeret, dicens eam esse beatam Katherinam, capellæ patronam. Ipse ergo eamdem sibi elegit in sponsam. Tunc in signum desponsationis beata Katherina dedit ei crinale pulcherrimum, de rosis pulcherrimis et pretiosis; ponensque super caput ejus statim cum virginibus evanuit. Ille vero ad se reversus, invenit crinale illud super caput suum, de quo processit odor suavissimus; atque ex hoc jam vehementer gavisus, crinale illud cum omni diligentia servavit devotusque virgini Katherinæ servivit.

16. Postquam autem virilem attigit ætatem amici sui virginem quamdam pulchram ac nobilem in matrimonium ei tradiderunt. Celebratis autem nuptiis, æque ut antea beatæ virgini Katherinæ servivit, de mane semper surgens et capellam intrando devote orans. Uxor autem impraegnata ab ancilla requisivit quonam dominus suus omni mane sic iret. Cui ancilla : *Est civis,* inquit, *juxta cimiterium, cujus est filia perpulchra ; ad illam mane sic properat.* Quo audito, uxor ejus vehementer contristata est. Et cum juvenis sero causas tristitiæ inquireret, illa respondit : *Nonne merito tristari debeo, quia aliam plus quam me diligis?* Cum autem dixisset ei de filia cujusdam civis non longe ab ecclesia, ille subridendo adjecit : *Non est ita, sed est alia multo pulchrior ea, ad quam mane sic vado.* Atque mane iterum surgens, ad capellam properavit. Uxor igitur nimium contristata, gladio semet occidit et puerum secum in utero. Juvenis vero de capella regrediens, ut vidit matrem cum puero sic occisam, amare flere cœpit et diris vocibus clamare : *Væ, væ, væ mihi! Quia non dixi tibi veritatem, ideo mortis tuæ causa et totius mali occasio existo.* Moxque ad capellam recurrens, flens largiter beatam Katherinam fortiter invocavit. Et ecce iterum tres illæ virgines sibi apparuerunt. Virgo autem Katherina oculos ejus et faciem detergens, dixit : *Quare me sprevisti, aliamque sponsam tibi accepisti? Quia tamen mihi semper servisti, uxori tuæ et puero nunc succurram. Surgens autem cito, ad castrum perge : invenies enim uxorem tuam vivam et sanam, filiamque peperisse, quam nomine meo vocare debes Katherinam. Pro satisfactione autem, quia me sprevisti, monasterium mihi hic debes construere, filiaque tua jam prima nata * erit abbatissa monasterii liberabitque animam patris tui * suis precibus de purgatorio.* Exhilaratus ille animo, cucurrit lætabundus ad castrum; matrem et puerum viventes incolumesque invenit. Confessa est autem

* *pro* jam nata, prima ?
* *sic.*

ei mater quomodo dæmones animam ejus rapere atque ad infernum deducere conabantur, et quia beata virgo Katherina ab eorum morsibus fortiter eam defendisset. Vir autem ejus vehementer gavisus, construxit grande monasterium in honore beatæ Katherinæ virginis, crinaleque roseum quod beata Katherina ei dederat, monasterio contulit, atque " ad Roseum Crinale „ monasterium nominavit. Postmodum autem in servitio beatæ virginis Katherinæ ambo feliciter consenescentes, post multa pietatis opera in honore sanctæ Katherinæ virginis multis impensa, migraverunt ad Dominum, præmia ab eo accepturi æterna.

De magistro qui collectam " Deus qui dedisti legem „ etc. de beata Katherina composuit.

17. In anglia civitate Cantuaria erat quidam scholaris devote serviens sanctæ virgini Katherinæ, ut gratiam a Deo sibi impetraret ut studere posset in scientia, vita et moribus ad honorem Dei et salutem proximorum; et ita se transtulit ad studium generale, et in brevi tempore profecit et magisterium adeptus fuit. Rex autem Angliæ, ejus famam audiens quia esset litteratus et probus, ipsum ad se vocavit eique filium commisit, ut eum fideliter instrueret. Magister vero omnem diligentiam adhibuit; sed filius regis duri ingenii et rebellis extitit. Accidit quod propter rebellionem magister eum exueret et eum disciplinaret. Ipse vero nudus fugiens et per pontem currens, in aquam cecidit atque submersus est. Mox ille vehementer perterritus, beatæ Katherinæ filium regis commendavit, statimque piscatores cum navibus missi sunt, ut eum quærerent. Sed non est inventus ab eis. Magister igitur mox incarceratur. Qui in carcere beatam Katherinam invocare non cessavit, recommendans ei filium regis. Denique tertia hora sequentis diei cum in parochia summa missa cantaretur, filius regis ecclesiam intravit, albam habens camisiam in qua aureis litteris scriptum erat illud psalmistæ : *Da mihi intellectum, Domine, ut discam mandata tua*. Quod cum reginæ et regi nuntiatum fuisset, statim cum gaudio magno ad ecclesiam cucurrerunt; videntesque filium suum incolumem, gavisi sunt valde. Filius autem regis patri et matri omnibusque qui aderant, narravit quomodo beata Katherina eum in aqua sustentavit per diem et per noctem sine læsione, propter præceptorem suum, qui eum eidem recommendaverat. Postmodum filius regis optimum ingenium studendi habuit, ita ut quæcumque sibi legebantur statim intelligeret. Rex autem cum omni populo gavisus, exaltavit magistrum illum propter merita sanctæ Katherinæ. Et ipse similiter cum regina, ac filius eidem virgini fideliter servientes. Tunc magister præfatus collectam illam composuit quæ in missa legitur de illa, videlicet : " Deus, qui dedisti legem Moysi in summitate montis Synai „ etc.

De quodam monacho qui digitum de manu gloriosæ virginis promeruit.

18. Quidam monachus Rothomagensis ad montem Synai perrexit, ibique per

septem annos in servitio beatæ Katherinæ devotus permansit. Quam cum instantius * exoraret ut aliquid de corpore suo habere mereretur, subito rupit de manu illius unus articulus digitorum. Qui donum Dei lætus recepit et ad suum monasterium deportavit.

* *cod.* instatius.

Qualiter sancta virgo et martyr Christi Katherina primo ex Teuthoniæ partibus adjacentibus cœperit venerari, ex quodam miraculo colligitur quod in Cameraco, civitate imperiali, factum fuisse narratur.

19. Fuit quoddam monasterium sanctimonialium cui præerat quædam soror, quæ non minus rectitudine vitæ quam nobilitate generis relucebat. Ipsa vero fratrem quemdam habebat, militem strenuum, qui vice quadam causa visitandi ad eam accessit. Cumque abire vellet, unum de familia sua ibidem militem reliquit ægrotantem; quem tamen sorori suæ, ut ejus curam haberet, commendavit. Quapropter sibi a fratre suo commissum militem cœpit visitare, et qualiter potuit in infirmitate consolabatur. Ille aperuit ei secreta cordis sui, dicens quod amore ejus captus esset et, nisi sibi consentiret, vivere minime valeret. Illa vero, ut femina casta et devota, quantum valuit a tam nefando desiderio ipsum sancto colloquio et benigno consilio avertere nitebatur. Sermo autem ejus nihil profecit in eo. Cum autem diabolus incessanter bonis operibus justorum insidietur et juxta apostolum *Bonos mores corrumpunt colloquia mala,* quia ipsa etiam incauta ipsum visitare consueverat, ipsa soror quæ devota fuerat per militem illum adeo tentata fuit, ut jam secum ad seculum abire vellet.

20. Sed quia ipsa antea valde religiosa fuerat, more solito quadam nocte altaria suæ ecclesiæ orationis gratia perlustrabat. Veniens autem ad altare beatæ virginis Mariæ, coram imagine ejus inter cetera verba sic beatam virginem Mariam alloquitur, dicens : *O sancta Maria, ego nimis inflammata amore illius militis sum ; et nunc, quia manere non valeo, licentiam a te accipio et locum istum tuæ gratiæ recommendo.* Beata autem virgo apparuit ei, dicens : *O filia, esto perseverans in proposito castitatis quam Filio meo, qui est flos virginum et * speculum totius castitatis, vovisti. Nihil enim valet vovere vel aliquod bonum inchoare, nisi in eo velit homo perseverare. Tantum enim Salvator mundi amat castitatem, quod non nisi de virgine voluit et potuit nasci.* Post hæc illa ad secundum processit altare, scilicet sanctæ Crucis, et quod tantum mala concupiscentia succensa erat, quod nullatenus manere posset in claustro, stans coram crucifixo asseruit. Statimque Dominus pendens in cruce ei apparuit, dicens : *O filia dilecta, absit ut a me recedas, quoniam sanguine meo te redemi. Absit ut unam tentationem superare non valeas, pro qua sustinui durissima crucis tormenta.* Ultimo processit ad tertium altare, scilicet beatæ Katherinæ, quæ ibidem patrona fuit et coram ea, sicut coram aliis fecerat, se penitus superatam illicita concupiscentia astruebat, et se nullatenus in Ordine persistere referebat. Tunc beata Katherina apparuit ei, cum omni genere tormentorum quæ ipsa pro amore Christi passa fuerat, dicens : *Memor esse debes, filia,*

* *cod.* eam.

quod cum ego essem filia regis et divitias et delicias regni possedissem, ipsas tamen et omnem mundi gloriam contempsi, insuper diris tormentis me tradidi propter Christum. Te ergo sine ferro et sine sanguinis effusione saltem aliquid modicum pati decet pro Christo. Sed heu! ad tam clementes apparitiones et allocutiones illa emendata non fuit. Secunda vero et tertia nocte, eidem miseræ sorori altaria prædicta perlustranti et quasi licentiam a sanctis accipienti, eadem visio et allocutio ad singula altaria facta est.

21. Illa autem in suo nefando proposito permansit. Et quia prælata et magistra illius monasterii fuerat, totam curam illius conventus cui præerat beatæ Katherinæ utpote patronæ illius loci, commendavit. Et præsentatis imagini ejus clavibus officii sui, cum milite ad seculum recessit. Cumque pluribus annis in seculo misera mansisset et ex milite duos filios jam ætate magnos habuisset, tandem milite mortuo in se reversa et compuncta dicebat : *Quoniam miserationes Dei multæ sunt nec aliquem peccatorem ad se redire volentem a misericordia repellit, revertar ad locum unde exivi.* Et hæc dicens iter arripuit; et quia nobilis genere et delicate educata fuerat, inter saxa ambulans sanguine qui de nudis ejus pedibus fluebat suā vestigia rubricabat.

** vox suppleta.*

22. Cum autem ad monasterium clam venisset, ut magistram quæ * sanctimonialibus præerat rogaret ut ipsam de seculo redeuntem ad pœnitentiam reciperet, ecce, res admiranda, beatam Katherinam primam omnium et solam interius ad fenestram ut magistram claustri sedentem invenit. Quam cum illa minime cognosceret, illa dixit ei : *Tempus est ut ad cœlum redeam; jam enim diu vices tuas supplevi. Veni ergo citius, ut religiosis vestibus induaris et locum curamque tui officii resumas. Nemo enim scit te adhuc defuisse.* Illa ergo nimium gavisa et de tanto miraculo stupefacta, claustrum intravit et vestes et curam sui monasterii recepit. O quanta humilitas et pietas gloriosæ virginis martyrisque Christi Katherinæ, quæ per tot annos in forma et habitu prædictæ sororis omne ministerium quod illa tenuerat, diligentissime adimplevit. O quam felices fuerunt quæ talem meruerunt habere magistram, omnis disciplinæ et virtutis plenam. Illa vero quæ de seculo reversa fuerat, cum in matutinis esset sequentis diei et cantrix ei injungeret, ut consuetum est, quod nonam lectionem legeret, ipsa inveniens se esse debilem, lectionem alteri legendam commisit. Mane autem facto, pulsari fecit ut ad capitulum conventus sororum veniat, ut tantum miraculum publicaret. Cumque omnes convenissent, ipsa omnia quæ circa eam gesta fuerant, per ordinem omnibus enarravit. Tunc omnes benedicebant et glorificabant Dominum in gloriosa virgine et martyre sancta Katherina. Illa vero salubrem pœnitentiam agens, postmodum plena virtutibus in Domino obdormivit.

Expliciunt miracula quæ Deus per gloriosam virginem præelectamque sponsam suam operatus est.

DE INVENTIONE EJUSDEM. (Cfr. supra, pag. 156, 4°.)

Incipit inventio corporis ejusdem virginis.

1. Inventionis gloriosissimæ virginis et martyris Katherinæ celebrem memoriam, omni prorsus honore venerandam, devotissimis mentibus recolamus, quatenus ipsius mirabilia, quæ per eam Salvator noster operari dignatus est, universis Christi fidelibus innotescant. Græcorum namque interpretum fideli relatione percepimus venerandum corpus angelorum sacro ministerio in montem Synay fuisse delatum. In cujus vertice montis cum omni suorum integritate membrorum plenissima centum triginta trium annorum spatio cum dimidio curriculo permansit. Cujus translationis causam, si libet, fratres karissimi dulcissimique, audiamus.

2. Fertur enim quod Maxentius imperator tanto libidinis conatu in virginem fuisset depressus, quod non aliunde nisi per consensum poterat ejus appetitus satiari. Quia ergo, sacra virginitate retinente *, in vita virginis constantiam vincere non poterat, post mortem temere violare cogitabat. Unde factum est ut, cum judicis nequissima sententia palmam martyrii accepisset, sursum per angelos corpus suum deferendum in montem Synay traditur collocandum. Sic enim quod juramento firmaverat imperator nequissimus, explere non potuit. O, inquam, admirabile mysterium, ubi non defuit angelorum commercium. Postremo admiranda cordis nequitia, quæ insuperabilem virginitatem superare nitebatur.

* *pro* renitente ?

3. In eo loco in quo Moysi quamplura signa atque prodigia sunt ostensa, ubi percussit Moyses virgula petram aridam atque ex ea fluxerunt aquæ limpidissimæ, unde transeuntes filii Israhel mare Rubrum satiati sunt ædificavitque Moyses altare Domino, ibi lapsu temporis divina concedente gratia circa annum Domini quadringentesimum quadragesimum secundum viri quidam sanctitate præpollentes pervenerunt. Et erant ibi aliquanto temporis intervallo Salvatori suo laudes debitas impendentes, prout melius explicare poterant. Ad suggestionem autem inimici innumerabilis draconum atque serpentium ceterorumque animalium venenosorum numerus eorum loca occupavit, ita ut arborum radices, flores et fructus colligere non valerent et omnia eorum alimenta victui necessaria deficerent. Et nihilominus venenosis scorpionum morsibus aliqui ex ipsis interierant. Propter quod dolore nimio confusi, coacti sunt qui superstiterant locum sibi aptiorem per deserta Indiæ perquirere cœperunt *. Unanimi ergo consensu recedentes, facta primitus oratione fuderunt preces Domino. Ad nutum ergo Salvatoris intacta Mater ejus ipsis distantibus a loco prædicto per duo miliaria, occurrit. Quos ipsa prævia salutatione his verbis affatur : *Dicite,* inquit, *unde venistis? aut quo tenditis?* Ipsis autem attonitis, causam sui recessus eidem referre conabantur. Rursus igitur ipsos his verbis consolatur, dicens : *Estote constantes ; viriliter agite, spem habentes in Domino : cujus si fueritis assidui oratores, nil vobis ad salutem et vitæ vestræ usum amodo deesse denuntio. Quæso tantum, revertimini ex Dei voluntate unde venistis.* Hæsitantibus vero ipsis et ignorantibus cujus esset hic sermo, alter

* *sic.*

ad alterum dicebat : *Non habemus quod edamus ; frumenta nostra, oleum, fabæ ac cetera alimenta victui necessaria perierunt. Ceterum quod omnibus plus pertimescimus, animalium venenosorum rabidos morsus quomodo tolerare poterimus ? Cernite quod fratribus nostris contigisse videmus.* Quos intuens Virgo præfata, ampliorem spem adjiciens rursus affatur. *Ego enim,* inquit, *quod promisi in nullo frustrabor, dummodo montes diligenter undique circumeuntes corpus cujusdam virginis, Katherinæ nomine, perquiratis. Revertentes ergo, perficite optatum Deo opus.* Rursus inquiunt : *Quis omnium horum nobis erit fidejussor?* Quibus præfata Virgo respondit : *Horum omnium indubiam fidem servabo.* Et his dictis, evanuit. Ne quid tamen ad laudem Dei Genitricis præterisse visi fuerimus, assit nunc qui veritatem reserat. In eo namque loco quo Mater Domini viris sanctis occurrens fidem indubiam de præmissis servare promisit, constat ipsos nobilem capellam ad honorem Virginis, quæ " Fidejussoria „ ad præsens nuncupatur, construxisse. Sancti nempe viri, hujus cernentes absentiam, denique admirantes quo pergere potuisset, unanimiter toto nisu ad priores mansiones remearunt. Peracto ergo itinere, devotissimis orationibus Deo laudes obtulerunt.

4. Sed quid, fratres dilectissimi, postmodum accidit? Audiamus. Eadem fere hora cameli sexaginta, quæ ad vitam humanam congruunt deferentes, ipsis supervenerunt. Ductores vero camelorum salutatione prævia, prædicta victualia sanctis viris gratanter et libere obtulerunt. Quid plura ? Eadem victualia in domibus suis deferentes, omnia animalia venenosa interisse viderunt, ita ut nusquam deinceps habitare valerent ibidem ; et sic Altissimo gratias retulerunt. Quibus sic visis, Dei Genitricem ad eos fuisse prius locutam, certissime cognoverunt.

5. Post multum autem temporis intervallum, cum apud præfatos viros de virginis Katherinæ inventione quasi nulla vel modica spes haberetur, cœperunt mutuo cum lacrimis Creatoris præsidium implorare. Tunc altera in parte montis circumfulsit splendor admirabilis, quem aspicientes proni in terram ceciderunt. Rursus gressus dirigentes, obstante quadam rupe in montis arcem ulterius ascendere nequiverunt. Ex utraque enim parte montis cernentes quasi impossibilitatem ascensus, concordi spiritu clamaverunt ad Dominum. Videns autem Dominus corda ipsorum et vota, angelos suos ad eos destinavit. Dominus autem angelorum palma rupem percutiens, sic ipsam divisit, ut ipsis concomitantibus pariter et præeuntibus ad præoptatum locum sancti viri pervenirent. Demum benedictissimum virginis corpus, ut præfertur spatio centum triginta trium annorum cum medio curriculo reconditum, viri præfati invenerunt. Nec ejus visione corpusculi satiari potuerunt, certatimque illud insatiabili aspectu videre conabantur. Cumque adeo ipsum recens ac integrum cum capite ceterisque totius corporis membris percepissent, qualiter prima die decollationis videri potuisset, eorum admiratio vehementer increvit, stuporque magnus circumdedit eos. Quis ergo admirari sufficiat stupendæ rei miraculum? Quis tam infidelis, ut non recognoscat virtutis Dei excellens vestigium? Erubescat nunc igitur infelix Maxentius, qui et legis Dei
* *sic.* annihilator * fieri se credidit et nihilominus ipsius veritatem ampliori fide confirmavit.

6. Ad inventionem autem tam pretiosæ virginis quis ambigit angelorum ministerium affuisse? Nempe hoc sacro die Christus, virginum sponsus, sponsam suam prædilectissimam internæ dilectionis amore visitare est dignatus. Unde coruscans ipsa miraculis, ex ejus tumba marmorea longissimi tractu temporis tam abunde oleum effluxit, ut etiam ultra divini cultus exhibitionem sacerdotum et ministrorum necessitatibus subveniret. Quotquot namque hoc sacratissimo oleo ungebantur, quacumque etiam corporis infirmitate torquerentur, ad pristinam sanitatem restaurabantur.

7. Sacrum autem corpus præfatæ virginis, divina opitulante gratia, per præfatos viros sanctos adusque pedem montis delatum est. In cujus honore construxerunt capellam devotissimam, ubi honorifice dictum sacrum corpus collocaverunt. Festum autem inventionis sacratissimæ virginis Katherinæ et martyris, colitur tertia decima die mensis Maii, in festo sancti Servatii episcopi. Summopere vero sacram hanc inventionem congrua devotione veneremur, in qua saluti nostræ tam magnifica divini muneris beneficia sunt collata. Fuit autem suæ inventionis primum celebrata festivitas anno ab incarnatione Domini millesimo octogesimo quinto, circa medium mensis Maii. Sed festum ejusdem sanctæ virginis colitur vicesima septima die mensis Augusti in festo sancti Rufi martyris, discipuli sancti Apollinaris, Ravennensis archiepiscopi. Ad laudem Christi et sanctæ suæ virginis et martyris Katherinæ, sponsæ suæ dilectissimæ. Qui vivit et regnat Deus super omnia benedictus in secula seculorum. Amen.

Explicit inventio corporis gloriosissimæ virginis et martyris Christi Katherinæ.

CI. Codex signatus n° 7959-61.

Iste codex, formæ mediæ (0^{m},302 × 0,20), binis columnis, lineis graphide ductis, exaratus est extremo seculo XIII. Nunc mutilus, 152 complectitur folia. Litteræ majores rubri, viridis aut cærulei sunt coloris. Ex his non paucas duplici adhibito colore scriba rusticana satis arte delineavit; itemque litteras capitales, quarum interiores partes tum variis colorum nexibus tum plantarum figuris solidavit.

Fol. 1^{r} in margine superiori scripsit Godefridus Henschenius sequentia : *Emimus a Cox chartopola in auctione Everix straet a° 1652.* In parte vero interiori tegumenti affixum est signum Bollandianum : **N** 267 a.

1° [Fragmenta miraculorum auctore Benedicto Petriburgensi abbate] (fol. 1^{r}-2^{v}).

Edita apud Robertson, *Rerum Britannicarum medii ævi Scr., Materials for the History of Thomas Becket,* tom. II ; scilicet ultimæ lineæ cap. LXXVII libri III et

cap. LXXVIII lib. III (pp. 171, 172). Dein libri IV cap. I cum initio cap. II, p. 173; item capp. V, VI.

2° Vita et passio beati Thomæ, Cantuariensis archiepiscopi (fol. 3r-10v).

Passio auctore Euvrardo, edita apud Martene, *Thesaurus Novus*, tom. III, p. 1737 sqq. — In cod. Passioni annexa leguntur duo miracula quæ edita sunt apud Robertson, opere modo citato, tom. II, pp. 287, 288. *In solemnitate* (p. 287, lin. ult.).

3° Liber de miraculis beatissimi Thomæ, martyris et Cantuariensis archiepiscopi (fol. 10v-125v).

Liber auctore Benedicto, abbate Petriburgensi, editus a J. Robertson, opere cit., tom. II, p. 21 sqq. — Sed in cod. desiderantur libri IV capp. XCV et XCVI et totus liber V.

4° Visio cujusdam militis Hiberniensis ad ædificationem multorum conscripta (fol. 125v-146v).

Est nempe libellus de raptu animæ Tundali et ejus visione; in quo tractatur de pœnis inferni et gaudiis paradisi. Cfr. Thomas Duffus Hardy, *Descriptive Catalogue of materials relating to the history of Great Britain and Ireland*, tom. II, p. 239.

5° Passio undecim milium Virginum (fol. 146v-152v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Oct., tom. IX, p. 157 sqq. — In fine ob folia excisa mutila est; desiderantur num. 19-22.

CII. Codex signatus n° 7984.

Iste codex, formæ mediæ (0^m,282 × 0,22), lineis plenis, stylo ferreo ductis, exaratus est sec. X. Nunc continet fol. 236, quæ sec. XVI inde a fol. 2 numeris signata fuerunt. Folium primum, quod numero vacat, retinet in parte sua recta vestigia antiquæ scripturæ; parti vero aversæ manus sec. XIII, prioribus abrasis, inscripsit indicem contentorum, ibique in fine incipit Passio sanctæ Eugeniæ. Tituli fere semper minio, litteræ capitales flammeo colore ducta sunt.

Fol. 1 in margine inferiori leguntur sequentia : *Collegii Soc. Jesu Molshem. Sed permutatione aliorum librorum domus professæ Antverpiensis factum, procurante P. Petro Richart*, et, ut conjicere licet, etiam scripta erat hæc alia nota quam rasuris delere conati sunt : *Codex sancti Petri in Wissemburg ;* quæ nota repetitur fol. 119r in margine inferiori : *Codex monasterii S. Petri in Wissenburg Ordinis S. Benedicti.* Indici contentorum de quo supra, hoc musei Bollandiani signum præpositum est : **P** MS 20.

1° Passio sanctæ Eugeniæ (fol. 1^{v}-14^{r}).

Passio subinde paulo prolixior ea quæ edita est apud Rosweydum, *Vitæ Patrum*, p. 340-349.

2° Passio sanctæ Anastasiæ virginis, quod est VIII Kal. Januarias (fol. 14^{r}-15^{v}).

Fragmentum Passionis editæ in *Bibliotheca Casinensi*, tom. III, Floril. p. 179 sqq.; scilicet ab his verbis : *Igitur ut supra dictum est* (p. 183, col. 1).

3° Passio sancti Marini pueri, in loco qui vocatur Inter Columnas, quod est VII Kl. Jan. (fol. 15^{v}-21^{r}).

Acta prolixiora iis quæ edita sunt apud Mombritium, tom. II. Vide Append.

4° Passio sanctæ Columbæ virginis et martyris Christi. Passa est in civitate Senonas sub Aureliano imperatore II Kl. Januarias (fol. 21^{r}-22^{v}).

Contracta ex Passione quæ edita est supra, tom. I, p. 302-306. — Inc. *In diebus illis adveniens Aurelianus imperator de partibus Orientis, cum paganus esset et idola coleret, ingressus est civitatem Senonas die octavo kalendas Januarii.*

5° Passio sancti Petri qui et Balsami. Quod est tertia *(sic)* nonas Januarii (fol. 22^{v}-24^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 3 Jan., tom. I, p. 129.

6° Vita vel visio sancti Fursei. Quod est XVII Kl. Februarias (fol. 24^{r}-33^{v}).

Edit. ibid., ad d. 16 Jan., tom. II, p. 36-41.

7° Passio beati Fileæ, episcopi de civitate Thimui, pridie nonas Febroarias (fol. 34^{r}-36^{r}).

Edita ibid., ad d. 4 Feb., tom. I, p. 462-464. — Sed in cod. incipit secundum annot. *a* (p. 464), his verbis : *Imposito Filea super ambonem, Calcianus præses dixit illi ...*

8° Passio sanctæ Dorotheæ virginis et comitum ejus. Quæ passa est in provincia Capadociæ apud Cæsaream civitatem sub Sabricio præside, die VIII idus Febroarias (fol. 36^{r}-40^{v}).

Edita ibid., ad d. 6 Feb., tom. I, p. 773-776.

9° Vita sancti Vedasti (fol. 40^{v}-48^{v}).

Edita ibid., ad d. 6 Feb., tom. I, p. 795-799. — In cod. desunt tum prologus tum numm. 21-24; numerus vero 20 legitur in cod. secundum annot. *d* (tom. cit., p. 799).

10° Passio sancti Valentini, episcopi Teramnensis civitatis, XVI Kl. Martii (fol. 48^{v}-51^{r}).

Edita ibid., ad d. 14 Feb., tom. II, pp. 756, 757.

11° Passio beati Nestoris, episcopi de Pergen Pamphiliæ, sub Decio, IIII Kl. Martii (fol. 51^{r}-54^{r}).

Edita ibid., ad d. 26 Feb., tom. III, p. 628-630.

12° Passio sancti Foci episcopi, III nonas Martii (fol. 54^{r}-60^{v}).

Edita apud Mombritium, tom. II.

13° Passio sancti Filemonis, VIII idus Martii (fol. 60^{v}-67^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 8 Martii, tom. I, p. 752-756.

14° Vita sancti Attali abbatis, VI idus Martii (fol. 67^{v}-71^{v}).

Edita ibid., ad d. 10 Martii, tom. II, p. 43-45.

15° Vita sancti Ambrosii, Mediolanensis urbis episcopi, II nonas Aprilis (fol. 71^{v}-84^{v}).

Vita auctore Paulino, edita apud Migne, P. L., tom. XIV, p. 27-46.

16° Passio sancti Longini qui Dominum nostrum Jesum Christum, dum in cruce penderet, jussus jugulavit, quæ est Kl. Decembris (fol. 85^{r}-87^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 15 Martii, tom. II, p. 384-386. — In cod. multæ sunt variantes lectiones.

17° Passio sanctorum Marcellini et Petri exorcistæ, mensis Junii die II (fol. 88^{r}-90^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Junii, tom. I, p. 171-173.

18° Passio sancti Bonifatii martyris, mensis Junii die II (fol. 90^{v}-93^{v}).

Edita ibid., ad d. 14 Maii, tom. III, p. 280-283.

19° Passio sanctorum martyrum Primi et Feliciani, mensis Junii die VIII (fol. 93^{v}-97^{r}).

Edita ibid., ad d. 9 Junii, tom. II, p. 152-154.

20° Passio sancti Gethulii martyris et aliorum sanctorum martyrum, mensis Junii die VIIII (fol. 97^{r}-99^{r}).

Edita ibid., ad d. 10 Junii, tom. II, pp. 265, 266.

21° Passio sanctorum martyrum Basilidis, Tripodis et Mandalis, mensis Junii die XII (fol. 99^{r}-100^{r}).

Edita ibid., p. 510, num. 2-5.

22° Passio sancti Viti martyris, xvii Kl. Julii (fol. 100^{v}-105^{r}).

Hæc Passio, res narratas quod attinet, optime convenit cum Passione edita in *Act. SS.* ad d. 15 Junii, tom. II, p. 1021 sqq.

23° Passio sanctorum martyrum Rufini et Valerii, quod est xvii Kl. Julias (fol. 105^{r}-107^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Junii, tom. II, pp. 796, 797.

24° Passio sancti Albani martyris, x Kl. Juliarum (fol. 107^{r}-109^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 22 Junii, tom. IV, pp. 147, 148. — In cod., omisso numero 1, incipit : *Temporibus Dioclitiani* (sic) *et Maximiani imperatorum, persecutio immanis exorta in christianos, Brittaniam insulam occupavit. In qua videlicet persecutione Albanus quidam, cum adhuc esset paganus et perfidorum...*

25° Passio sanctæ Margaretæ virginis *[prius Marinæ]*, quod est xiiii Kl. Julii (fol. 109^{r}-114^{v}).

Rebus narratis haud absimilis Passioni editæ apud Mombritium, tom. II.

26° Vita sancti Areleffi sacerdotis et abbatis, cujus depositio Kl. Julii celebratur (fol. 114^{v}-125^{v}).

Lectio codicis convenit cum ea de qua supra, tom. I, p. 28, 26°.

27° Passio beatorum Scillitanorum martyrum, xvi Kl. Augustas (fol. 125^{v}-126^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 17 Julii, tom. IV, p. 214. — In cod. multæ sunt lectiones variantes, quibus accedit ad ipsam versionem Actorum græcorum quam fecit cl. v. B. Aubé et edidit in opusculo : *Etude sur un nouveau texte des Actes des martyrs Scillitains*, p. 23 sqq.

28° Passio sancti Victoris martyris cum sociis suis, quod est xii Kl. Augusti Massiliæ (fol. 126^{v}-130^{v}).

Edita in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 317-321.

29° Actus et Passio beati Apollinaris, episcopi Ravennatis, qui fuit discipulus beati Petri apostoli (fol. 130^{v}-136^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 23 Julii, tom. V, p. 344-350.

30° Passio sanctæ Christinæ virginis, vi Kl. Augusti (fol. 137^{r}-144^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 24 Julii, tom. V, p. 524-528. — In cod. plurimæ sunt variantes lectiones.

31° Passio sancti Policronii episcopi, iii Kl. Augusti,

et sanctorum martyrum Abdon et Sennen (fol. 145r-148v).

Convenit cum lectione de qua in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 519, 81°.

32° Passio sancti Stephani, papæ Romani, quod est III nonas Augusti (fol. 149r-154r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Aug., tom. I, p. 139-144.

33° Passio sanctæ Theodotæ martyris cum tribus filiis, quod est III nonas Augusti (fol. 154r-158v).

Edita in *Bibliotheca Casinensi*, tom. III, Flor. p. 179-183. — Desinit cod.: *Passa est autem in provincia Bythinia apud urbem Nicenam, cum tribus filiis suis, sancta Theodota* (cfr. tom. cit., p. 183, col. 1, lin. 19).

34° Vita sancti Memmii, Catalonicæ civitatis episcopi et confessoris, nonas Augusti (fol. 158v-160v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 5 Aug., tom. II, pp. 11, 12.

35° Conversio sanctæ Afræ apud provinciam Reziam in civitate Augusta (fol. 160v-164r).

Edita ibid., ad d. 5 Aug., tom. II, pp. 55, 56, seu numm. 1-14. — In cod. incipit: *Tempore quo persecutio...*

36° Passio sanctæ Afræ (fol. 164r-165r).

Edita ibid., pp. 58, 59, seu numm. 15-21. — In cod. non paucæ lectt. variantes. Inc. *Cum in illo tempore esset persecutio ut omnes christiani comprehenderentur ac variis suppliciis affligi cogerentur, ut sacrificarent idolis, atque assidue contradicentibus gloriosa mors inferretur, tunc apud provintiam Retiam...* Desinit secundum Annot. *m*, p. 59.

37° Vita sancti Gauvorici episcopi. III Id. Aug. depositio ejus (fol. 165r-168r).

Aliquando edenda in *Anal. Boll.*

38° Passio sancti Memmæ monachi, quæ est XVI Kl. Septembris (fol. 168r-168v).

Foliis excisis, remanet tantum prima pagina Passionis editæ apud Mombritium, tom. II.

39° [De sancto Genesio] (fol. 169v).

Ob eamdem causam remanent tantum ultimæ lineæ Passionis editæ apud Mombritium, tom. I.

40° Passio sanctorum Justi et Pastoris, qui passi sunt Conpluto civitate, VIII Kl. Septembris (fol. 169r-170v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 6 Aug., tom. II, p. 154.

41° Passio beati Juliani martyris Arvernis urbis, v Kl. Sept. (fol. 170^{v}-172^{r}).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 28 Aug., tom. VI, p. 173.

42° Passio sancti Anastasii martyris in Aquilegia civitate, sub die vii Kl. Septembr. (fol. 172^{r}-173^{r}).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 7 Sept., tom. III, pp. 22, 23.

43° Passio sancti Theonesti episcopi (fol. 173^{r}-174^{r}).

Edita ex hoc cod. in *Act. SS.*, ad d. 30 Oct., tom. XIII, pp. 347, 348.

44° Vita sancti Victoris, episcopi et confessoris, quod est Kl. Septembris (fol. 174^{v}-178^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Augusti, tom. V, p. 145-147.

45° Vita sancti Justi, episcopi Lugdunensis, iiii nonas Septembr. (fol. 178^{r}-180^{r}).

Constat numm. 3-5 Vitæ prolixioris editæ in *Act. SS.*, ad d. 2 Sept., tom. I, p. 374 sqq., et numm. 3-6 Vitæ priori loco ibid. editæ, pp. 373, 374.

46° Passio sancti Justi martyris, id est ii nonas Septembris (fol. 180^{r}-182^{v}).

Edita ex hoc cod. in *Act. SS.*, ad d. 18 Oct., tom. VIII, pp. 338, 339.

47° Passio sancti Adriani martyris, quod est vi idus Septembris (fol. 182^{v}-192^{r}).

Edita apud Mombritium, tom. I.

48° Passio sancti Cornelii papæ, quod est xviii kalendas Octobris (fol. 192^{r}-194^{r}).

Edita apud Mombritium, tom. I.

49° Passio sancti Januarii martyris, quod est xiii Kl. Octobris (fol. 194^{r}-197^{v}).

Edita ex hoc cod. in *Act. SS.*, ad d. 19 Sept., tom. VI, p. 866-868.

50° Passio sancti Mauritii sociorumque ejus (fol. 197^{v}-202^{v}).

Edita ibid., ad d. 22 Sept, tom. VI, p. 345-349.

51° Revelatio quemadmodum caput sancti Johannis, baptistæ præcursorisque Domini, de civitate Herodis Emisa sit delatum (fol. 202^{v}-209^{v}).

Edita ibid., ad d. 24 Junii, tom. IV, p. 716-718 (seu numm. 113-118) et p. 724-728 (seu numm. 144-157).

52° Vita beatissimi Solemnis, episcopi et confessoris, id est viii Kl. Octobris (fol. 209^{v}-213^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Sept., tom. VII, p. 68-70.

53° Passio sanctarum Virginum XI milium (fol. 214^r-219^v).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 21 Oct., tom. IX, p. 157-163. — In cod. ob folium excisum desideratur posterior pars num. 21 cum num. 22.

54° Passio sanctorum ac beatissimorum martyrum Sergii et Bachi, quod est nonas Octobris (fol. 220^r-230^r).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 7 Oct., tom. III, p. 863-869.

Appendix ad cod. 7984.

DE SANCTO MARINO PUERO, ORDINIS SENATORII, MARTYRE.
(Cfr. suprà, pag. 179, 3°.)

Incipit passio sancti Marini pueri, in loco qui vocatur Columnas, quod est VII Kl. Januarii.

1. Verbo vitæ seminato in omni qui sub cœlo est orbe a Domino et salvatore Jesu Christo, ut non solum in eum crederent, sed pro ejus nomine multi diversa sustinentes tormenta in vita regnarent cum ipso. Igitur hoc solum auctoris annuntiato præcepto, omnis sexus et ætas, calore Spiritus sancti accensi, capessendi martyrii desiderio ducebantur. Inter quos vir illustris Marinus, Romanæ urbis primarius, cujus pater urbis senator habebatur. Hic comprehensus ab imperatore Martiano, introductus est in palatio. Martianus imperator Marino puero dixit: *Quod tibi nomen est, et ex quo genere es?* Sanctus Dei Marinus respondit: *Christianus sum.* Martianus imperator dixit: *Numquid interrogavi te, malum caput, quia christianus esses an gentilis? Sed interrogavi quod tibi nomen est.* Sanctus Dei puer respondit: *Ego christianus sum. Si autem inquiris nomen quod mihi a parentibus impositum est, Marinus dicor, et primus sum illustrium Romanorum et genere præclarus, sicut omnes noverunt.* Martianus dixit: *Honora decorem tuum et quam habes dignitatem: honorificans tuum genus, ingressus templum, sacrifica diis, confitens Dionisium et Serapin deos, ut remuneratione percepta conregnes mecum, accepto imperio et omni potestate.* Sanctus Marinus respondit: *Quibus diis me jubes immolare?* Martianus dixit: *His quibus et ego immolo.*

2. Sanctus Marinus respondit: *Vanam tuam comminationem non metuo, habens Deum adjutorem.* Martianus dixit: *Tollentes eum, in tenebris retrudite sicut meretur.* Marinus sanctus ait: *Vanissimam tuam comminationem quam habes ad tempus, non pertimesco. Sed nec tenebras perhorresco. Habeo Christum, veram lucem, apud quem tenebræ nullæ sunt et nox ut dies illuminabitur.* Martianus imperator

dixit: *Extendite eum inter quatuor, et loris durissimis dorsum et ventrem ejus concidite.* Cum vero mutasset duodecim termones, jussit imperator ligari eum fortiter et in custodiam mitti. Populus autem acclamavit secunda interrogatione theatrum præparari.

3. Cumque reclusus esset in carcere et sequenti die productus, ut ante tribunal adstaret, Martianus imperator ait: *Immola diis.* Sanctus Marinus respondit: *Opertus es multa confusione. Lucratus est te pater tuus, qui dicitur Satanas.* Martianus imperator dixit: *Insipiens, ignoras quia imperatori loqueris?* Marinus respondit: *Scio esse mortuum et sine vita.* Imperator Martianus hæc audiens, iratus vehementer, jussit eum in equuleo suspendi. Sanctus vero Dei, cum elevatus esset in equuleo, expansis ad cœlum manibus, aspiciens ad Deum, patrem omnium, dixit: *Sanctum et terribile nomen tuum, Domine, in secula. Exaudi me, servum tuum Marinum, et eripe a diaboli comminationibus.* Hæc dicens, tacuit. Imperator autem ungulis eum vexari præcepit. Cumque ungulis corpus ejus dilaniaretur, Martianus imperator ait: *Immola diis, et carebis tormenta.* Sanctus Marinus respondit: *Non immolo lapidibus sine anima, hominum arte compositis, in tartara et in abyssum reclusis, vestibus et pannis opertis.* Martianus imperator dixit: *Resipisce ab insipientia tua et immola diis, ne ut malum pessime te disperdam; et non juvabit te Deus tuus quem colis, qui numquam quidem est visus.* Marinus sanctus respondit: *Minæ et comminationes tuæ ad tempus sunt; potens est Deus meus* autem dissolvere et patrem tuum Satanam et mihi dare tolerantiam ad sustinendas tuas machinationes.*

* D. m. *voces suppletæ.*

4. Cumque hæc audisset imperator, jussit fieri serram ligneam et machinam lapideam, ut, immisso in lapide, per machinas mechanicas membra ejus dividerent. Immisso autem sancto in machinam, laborantibus ministris diaboli conscissa sunt ejus femora. Beatissimus autem respiciens in cœlum et invocans suum Dominum, ait: *Os meum annuntiabit laudem tuam, cum confusi et reveriti sunt qui quærunt mala mihi.* Ministri autem diaboli trahentes machinam, fatigati sunt velut mortui; sanctus vero martyr erat gratias agens Deo.

5. Et abierunt quidam ex ministris ad imperatorem, dicentes ei: *Imperator, non possumus vincere hominem hunc; et dum * arbitramur eum posse concidi, nosmetipsos dilaniavimus.* Tunc imperator, stupens super hæc quæ videbat, jussit arborem magnam scindi cuneis per medium, ut immissus in eam sanctus extensus et confractus citius emitteret spiritum Cum vero ejus delicata membra extendissent, statim arbor in duas partes divisa est a capite * usque ad caput. Sed ipse erat hilaris et glorificans Deum. Et cum ministri nuntiassent quæ facta sunt, valde super his contristatus, imperator excogitabat qua morte eum finiret. Cumque juberet eum adduci, ait ad eum: *Immola diis.* Marinus respondit: *Non immolo.* Martianus imperator dixit: *Per deos omnes, male et pessime te disperdam.* Sanctus Marinus respondit: *Quod facis, fac celerius, ut caream te et patre tuo diabolo, qui dicitur Satanas.*

* *vox suppleta.*

**sic.*

6. Et statim jussit imperator craticulam arripere et fieri plumbum ingens et succendi, et supponi sanctum Dei martyrem. Ascendens autem beatissimus

Marinus super craticulam, signaculum crucis faciens et aspiciens in cœlum invocato Domino ait : *Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, qui dignatus es servum tuum peccatorem transire per ignem, ut inducas me in refrigerium æternum.* Hæc autem eo dicente, statim ut fluvius aquæ inundans extinguit ignem. Ipse autem stans super aquas, glorificabat Dominum Jesum Christum. Obstupefactus imperator super hæc quæ viderat, cogitabat qua morte eum expenderet.

7. Simplicius autem quidam commentariensis dixit : *Per potentiam tuam, domine, si præcipis, dicam quali tormento dispereat.* Tunc imperator ait : *Celerrime fac consilium tuum.* Et jussit Simplicius afferre frictoriam et supponi ignem vehementissimum, ut *, cum exardesceret ab igne, immitteret in eam sanctum Dei puerum. Cumque ministri projecissent eum in frictoriam, sanctus Dei martyr erat aspiciens in cœlum, glorificans Dominum Jesum Christum. Et respiciens ad imperatorem, ait : *Martiane, parasti carnes meas ad edendum : et nunc accipe partem aliquam et ede, donec aliæ præparentur. Siquidem non manducabis de membris meis, quia dissolvit Dominus Deus fortitudinem tuam, et mihi dabit tolerantiam ad sufferendas tuas machinationes.* Hæc eo dicente, venit ros de cœlo et extinxit ignem et refrigeravit frictoriam ; et erat beatissimus jacens in frictoria, velut in bono strato *, requiescens et benedicens Deum. Tunc Martianus imperator dixit ad eum : *Ecce, maleficia tua vicerunt ignis fortitudinem : sed, per deos omnes, nequiter te discruciatum disperdam.* Tunc sanctus Dei martyr ait : *Disce et te et vanos deos tuos quos colis, in igne cremandos æterno. Hac enim dignatione frueris in perpetuum.* Et hæc dicens sanctus valde injuriabat tyrannum.

* *ita corrector.*

* *ita corr.*

8. Martianus autem imperator dixit ei : *Ingressus sacrifica diis qui ab hominibus adorantur.* Culcius vero præses dixit : *Si jubet potestas tua afferre caldariam et immitti * picem in eam, ut valde succensa ab igne bulliat ; et capite inverso * jubeas eum mitti in eam.* Sanctus vero Dei præparatam animam habens ad omnia sustinenda, aspiciens in cœlum et sponte se projiciens in caldariam, statim vas æneum in duas partes disruptum est et pix effusa est hinc et inde. Sanctus vero martyr stans in medio caldariæ, glorificabat Dominum. Videns autem hæc imperator, circum parari præcepit et adtrahi illuc sanctum Dei martyrem. Ducentibus vero eum ministris, omnis civitas convenit ad spectaculum, ut viderent justi tolerantiam quam habebat apud Deum. Tunc imperator ait ad eum : *Immola diis et confitere Serapen et Martem deos. Ecce ara ad immolandum. Accipe columbam et cultellum, et immola diis, ne variis pœnis te affligens disperdam.* Sanctus Marinus respondit : *Varias expertus es machinationes ; sed videns Deus opera tua nequissima et perversas tuas cogitationes, dissolvet tuam fortitudinem et patris tui, qui dicitur Satanas.* Tunc imperator valde iratus jussit Dei martyri dari columbam et gladium, ut per omnia sacrificaret. Qui statim acceptum gladium projecit ante imperatorem, dicens : *Multa confusione repletus es ; obstructum est os tuum, et omnes adinventiones tuæ ad nihilum redactæ sunt. Minas tuas non pertimesco, insipientissime.*

* *cod.* in mitte.

* *cod.* inmerso.

9. In ira autem commotus imperator hæc audiens, jussit eum appendi in equuleum, expectante omni multitudine cum illustribus civitatis. Et post hoc arenam præparari præcepit et immitti * sanctum Dei martyrem. Ministris vero quod

* *cod.* inmitti.

præceptum fuerat facere curantibus, jussit imperator simul dimitti ei leonem et leopardum. Stimulantibus vero ministris, leo rugiens de cavea egredi nolebat. Cum jam diutius molestaretur, egressus cum pardo, cucurrit ad sanctum Dei puerum et complexus ejus humeros constringebat. Pardus vero ad pedes ejus se volutans, non discedebat ab eo. Cumque hæc vidisset imperator, exclamavit dicens : *Quæ est hæc phantasia quam video?* Sanctus vero martyr Marinus, expansis manibus ad cœlum, suum Deum deprecabatur, non pertimescens insaniam tyranni. Cumque jussisset imperator bestias amoveri, animalia nullo modo discedebant, sed ad pedes sancti se volutabant. Cumque ministri multum eis essent molesti, ut ad caveas redirent, tunc sanctus Dei Marinus imperavit ut redirent ad locum suum. Quæ statim abierunt.

10. Iterum tyrannus jussit ei dimitti leænam immanem * et ingentem ursam. Exeuntes vero utrique * de caveis, cucurrerunt ad sanctum Dei martyrem; et scindentes vestimenta ejus corruerunt ante pedes ejus, et mortui sunt simul. Sanctus vero Marinus elevans manus suas in cœlum, invocato Domino, ait : *Pater Jesu Christi * Domini mei, exaudi servum tuum Marinum et eripe de laqueo diaboli.* Martianus imperator dixit : *Per deos omnes et dominam meam Æcaten et dominum meum Solem, nisi immolaveris diis et confessus fueris matrem deorum, non effugies manus meas, sed pessime te disperdam.* Marinus sanctus respondit : *Quid mihi minaris? Nam insaniam tuam non pertimesco, quia Deus meus dissolvet te et dabit te in opprobrium.*

* *cod.* inmanem.
* *sic.*
* *cod.* Christe.

11. Imperator autem hæc audiens, iratus adversus eum vehementer, jussit dimitti ei simul pardam cum tigride. Egressa vero animalia de caveis, adcurrentia ascenderunt super collum beatissimi martyris et complexa sunt eum; et una ex his deosculabatur os ejus, alia nihilominus sudorem de facie ejus extergebat. Martianus imperator stupefactus super mirabilia quæ videbat, jussit taurum adduci et ligare sanctum Marinum ad cornua ejus. Et in tauri posteriora vel dorso præcepit cauteria imponi. Cumque ministri fecissent sicut eis fuerat imperatum, ardentibus cornibus suis nihil sentiebat taurus; sed nec pertinebat ad eum de ipsis cauteriis, sed lingua sua sanctum Dei martyrem lingebat. Tunc Martianus præcepit ministris ut solverent sanctum martyrem et in custodiam eum mitterent. Et excogitans qua morte a vita præsenti eum privaret.

12. Simplicius autem, custos carceris, dixit : *Jubeat potestas tua post prandium arenam * præparari et pyram ingentem fieri et ignem succendi, ut impositus super ignem dispereat. Si autem sic non fuerit consumptus, jube ædificari caminum et valde succendi viginti diebus et totidem noctibus, ut immissus in caminum confiteatur deos et sacrificet.* Ministris vero hæc facere curantibus, impositum super pyram ignis eum non tetigit. Camino autem valde succenso et splendente super æraminis fulgorem, depositum sanctum de pyra immiserunt in caminum. Cum vero immissus fuisset beatus martyr, extendens manus in camino, ita orabat, dicens : *Domine Deus cœli et terræ, maris et omnium creaturarum, exaudi servum tuum Marinum et eripe me ab hoc igne et gladio maligno, et a scandalo quem statuit mihi Martianus. Domine Deus meus, qui liberasti tres pueros de camino ignis ardentis, Anna-*

* *cod.* harenam.

niam, Azariam, Misahel, qui liberasti Danihelem de ore leonum et salvasti Moysen de manu Pharaonis, qui Teclam de igne et bestiis liberasti, qui Jesum dilectum tuum ad salvationem animarum nostrarum misisti, per quem nobis donasti omnem gratiæ largitatem, per ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, qui in utero Virginis formatus corpus induit humanum, per quod diabolum triumphavit, ut vitam in se credentibus donaret, qui lumen oriri fecisti, extendens cœlum ut pellem, qui numerasti stellas cœli et arenam maris, qui in virtute tua cuncta ornasti, exaudi servum tuum et solve aculeos diaboli, qui es dominator, Domine omnipotens. Consummata autem hac oratione, urgentibus * ministris diaboli, sanctus Dei martyr signum salutis in ante et retro faciens et sinistram manum post tergum, dexteram autem in ante faciens, ingressus est in caminum ignis. Et ecce duo angeli advenientes tenuerunt unus dexteram et unus sinistram manus ejus, et condescenderunt cum eo in ignem. Et ecce thronus in medio positus erat. Statim ut ingressus est sanctus Dei martyr Marinus, circumsignans se, mox emarcuit omnis ille calor, et ardor camini evanuit; et erat sanctus sedens in medio camino, glorificans Dominum nostrum Jesum Christum et dicens : *Lauda, anima mea Dominum; laudabo Dominum in vita mea. Laudamus te, benedicimus, adoramus, gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam, Jesu Christe, unigenite Deus.*

* *cod.* urguentibus.

13. Sequenti autem die jussit imperator aperire caminum, ut videret si jam consumptus esset ab igne, ut pulverem qui ex ejus corpore fuisset, dispergeret in vento, dicens : *Ne quando hi qui dicuntur christiani tollentes pulverem ejus, in memoriam recondentes, colant vel honorificent eum.* Cumque ministri aperuissent caminum et omnis ignis consumptus fuisset, non sustinebant calorem qui egrediebatur de fornace. Sanctus autem Marinus mox egrediens de camino, dixit : *Quare lavacrum male succendistis, et frigidum me accepit? et pene mortuus sum a frigore.* Ministri autem diaboli respondentes dixerunt : *Rogamus te ne hæc annunties imperatori. Nos enim tui causa minime ligna immisimus in fornace, et ideo ut dicis frigidus fuit caminus.* Sanctus Marinus dixit : *Dominus Deus solvit cogitationes et consilium vestrum.* Hæc autem audiens beatus Marinus, a ministris diaboli non est confusus; sed illuminabatur a Dei gloria.

14. Cum vero perductus fuisset ad imperatorem, ait Martianus : *Iterum diabolum istum adduxistis mihi?* Marinus respondit : *O cor tenebrosum et cæci oculi! Immisit te Deus in tenebras exteriores, quia impleta sunt consilia tua usque ad mortem. Cecidisti de throno tuo ; ad nihilum redactus es. Ego enim sum Marinus, qui tuis manibus male cruciatus sum. Non agnoscis me, insipientissime, quia Marinus dicor? Si quid in me habes facere, fac celerius.* Martianus imperator dixit : *Per deos omnes, nisi te disperdidero non quiescam.* Sanctus Marinus respondit : *Odibilis Deo et insipientissime omnium, non pertimesco minas tuas. Magis imple mensuram patris tui, qui dicitur Satanas.* Simplicius commentariensis dixit imperatori : *Jube eum excruciari, ut non ista loquatur.*

15. Sanctus Marinus hæc audiens, simulans se acquiescere imperiali præcepto, cecidit ad pedes ejus et ait : *Perterritus sum valde super his comminationibus; et jam * paratus sum sacrificare.* Audiens hæc Martianus imperator, supra modum

* (et jam) *cod.* etiam.

lætus effectus, jussit theatrum præparari et adesse secum omnes cives Romanos, sed et cantores et choraulas et luctatores, et circum et universa spectacula vanitatis agi per omnem civitatem in honorem Serapis et Augusti supra pristinam consuetudinem. Omnes jocundare præcepit et cunctam lætitiam exhibere erga culturam deorum, propter Marinum qui se sacrificare respondit. Jussit etiam deos adorari et immolari Serapi et Dianæ et matri deorum in Capitolio. Adferri etiam gladium et agnam albam, ut acciperet et immolaret diis. Sanctus autem Marinus respiciens ad imperatorem, dixit : *Si præcepisti me immolare diis, ostende qui * sit primus deorum.* Martianus dixit : *Per deos omnes major es * hodie quam capitulani,* Marinus dixit : *Ignoras qui * sit major Deus cui debeam immolare?* Tunc Martianus imperator ait : *Si plenius a me requiris, majorem Serapi et Cronidi non invenies.* Marinus respondit : *Ecce jurejurando dixisti eo quod non sint majores horum deorum.* Tunc Martianus imperator dixit : *Sacrifica ergo jam nunc.*

* sic.
* *ita separavit corr.; prius* majores.
* sic.

16. Beatissimus autem Marinus flectens genua a prima usque ad secundam horam invocat omnium patrem Deum. Exsurgens ab oratione, ita ait, dicens : *Gratias tibi ago, Deus gloriæ, qui fecisti cœlum et terram propter tuam bonam voluntatem ostendens te bonum artificem et misericordem et justum. Et nunc exaudi servum tuum, Deus, et solve stimulos diaboli, ut tua gloria manifestetur in secula et ædificentur muri Hierusalem.* Consummata autem oratione, ita ait : *Ruant omnes dii.* Cumque hæc dixisset, tacuit, et statim ruerunt Serapis et Cronides et omnes dii, et facti sunt velut pulvis. Videntes autem hæc omnes populi civitatis Romanæ, exclamaverunt dicentes : *Vere magnus est Deus christianorum.* Beatissimus autem Marinus dixit imperatori : *Quibus me jubes immolare?* Martianus imperator dixit : *Ex multo desiderio tuo eviscerati sunt dii et ruerunt. Surgent vero et adorabis eos.* Sanctus Marinus ait : *Jube me ligari et custodiri * in hoc loco a ministris tuis, ut maneant hic mecum, ut videant si resurgunt dii tui.* Martianus autem respondit : *Interim nunc præcipio te discedere ab hoc loco, ut mane veniens videas eos stantes.* Beatissimus Marinus ait : *Scio et certus sum quod multos habeas præparatos lapideos deos, ut noctu hos auferens alios pro ipsis statuas.* Videns autem imperator se derideri * a sancto martyre, iratus valde, ait ad eum : *Per deos omnes, ut nequissimum male te disperdam.* Sanctus Marinus respondit : *Immundissime * et insipiens, per quos deos jurans hæc mihi comminaris? Aut ignoras quod distructa * sit potestas patris tui qui dicitur Satanas, et omnes dii tui ad nihilum redacti sunt invocato nomine Dei mei? Et nunc quibus me jubes immolare?* Martianus autem imperator, opertus multa confusione, iratus vehementer, jussit eum decollari.

* *cod.* custodire.
* *cod.* deridere.
* *cod.* inmundissime.
* *sic.*

17. Audiens vero hæc sanctus Marinus et exultans in Domino, ita ait : *Veni, Pater gloriæ, et accipe caput pueri tui. Ecce enim cursum consummavi pro tuo nomine, Christo donante et gloriosum finem. Et nunc precor, sancte Pater, suscipe animam servi tui venientis ad te.* Tunc pater sancti martyris videns eum duci ad occisionem, scidit vestimenta sua et imposuit cinerem super caput suum, et ita aiebat : *Qualis senecta me invenit, vel quale spectaculum consideravi? Melius erat mihi, cum haberem ramulum olivæ meæ. Sed quis eum excidit, et ad nihilum redegit senectutis meæ honorem? Et nunc, fili, cum gaudio curre cursum tuum celerrime,*

sciens te accepturum victoriæ gloriosam coronam. Similiter autem et mater ejus, velut juvencula ex grege mugitu vitulum requirens et non inveniens, scissa veste divellicans crines capitis sui et mamillas suas ostendens judici, respiciens sanctum martyrem, dixit : *Vitulum mihi de grege raptum, unum te habui, et ipsum te* *sic. *amisi. Quis nunc meam ætatem fovet * vel suscipiet in senecta? Plateas civitatis aspicio, et non video vitulum meum venientem. Hora jam sexta statuta advenit et non apparet. Senatus humiliatus est, throni propter me evacuati sunt. Quæro unicum meum, et non invenio. Ubi concurram? ubi ingrediar? O imperator, quid enim male feci, quia vitulum meum occidisti? Qualis zelus fuit apud te propter me, ut desertam me faceres? Et nunc, fili mi dilectissime, cum lætitia et exultatione curre bonum cursum tuum. Scio et certa sum quia tradidi filium meum Christo. Jam non tristabor neque lugeam, quia Domino sobolem obtuli, sacrificium immaculatum.* Tunc beatissimus martyr Marinus deosculans et amplexans matrem suam, lacrimatus etiam discessit ab ea. Dans etiam omnibus fratribus et patri pacem, festinavit ad consummationem.

18. Cumque pervenisset ad locum, flectens genua, sic oravit, dicens : *Gratias tibi ago, Deus cœli et terræ, qui fecisti cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt ; qui creasti vermem indormitabilem et ignem devorantem. Domine Deus, exaudi me in finem, et libera me de manu nequissimi hujus et ab errore diaboli et ab scandalo quem statuerunt mihi, ut glorificetur nomen tuum in omnia secula.* Et hæc dicens, consignat se et dat pacem omnibus fratribus : flectens genua spiritum Domino tradidit. Scurra vero adstans percussit eum jam mortuum et amputavit caput ejus.

19. Tunc ministri diaboli tollentes corpus sancti martyris, projecerunt eum in præcipitio ubi corpora latronum projiciebantur. Præscivit autem sanctus Marinus quia cum latronibus corpus ejus projici habebat. Tunc Martianus imperator præcepit ministris diaboli custodire locum quoadusque, corpore ejus dissoluto, non agnosceretur species ejus, dicens : *Ne quando venientes christiani tollant corpus* *sic. *ejus et sepulturæ tradent * in memoriam sancti colentes eum.* Cumque custodes secundum præceptum imperatoris observarent ad locum, subito factæ sunt tenebræ magnæ, tonitrua, fulgora et inundationes aquarum sicut diluvium ingens, ita ut perterriti ministri diaboli effugarentur. Sanctus vero Theophilus episcopus cum fratribus collegit se ad locum, et observabat quo posset corpus beati martyris tollere et in memoria sancta recondere una cum Apelio, Jacobo, Theagene, Euthitio, Alexandro, Marco, Euthico, Fileto, Rufo, Philippo, Alexandro, Macedonio, Obsippo, Euthyrio, Policarpo, Pionio, Stratone, Aristide et reliquis viris ecclesiasticis. Qui descendentes noctu, tulerunt reliquias sancti martyris et collocantes posuerunt eas in Locum Excelsum Romanæ civitatis. Hoc vocabulo nuncupatur " excelsus locus. „ Et subito factus est de cœlo sonus magnus ante martyrium beatissimi Marini, et descendit de cœlo multitudo angelorum in figuris hominum, et sanctificaverunt locum istum in quo depositæ fuerunt reliquiæ sancti martyris, et posuerunt dactulum ad caput ejus et olivam ad pedes ejus et vitem ad dexteram et ad sinistram ejus.

20. Post hæc factus est imperator ut demens, et ait cubiculariis suis : *Quæ est hæc dementia quæ me invenit? Jam non sustineo qua ratione hæc patior.* Tunc cubicularii dixerunt ei : *Sacrifica Dianæ et Serapi, et nihil verearis.* Statim imperator jussit venire sacerdotes et occidit agnam albam et columbam, ut lavaretur in sanguine immolationis. Præcepit etiam parari epulas * in Capitolio et adduci patrem et matrem sancti martyris. Cumque adducti fuissent, steterunt ante imperatorem nihil ei respondentes. Et subito cecidit rumphea de cœlo supra pedes imperatoris; quique fugiens in palatium suum et correptus magnis febribus, collocavit se in stratum suum, et ait cubiculariis suis : *Vocate mihi sacerdotem.* Cumque venisset, ait ad eum imperator : *Unde mihi hæc dementia accedit quam patior?* Qui respondit : *Ignoras, imperator, quanta certamina habuimus cum christianis in omni mundo. Ea igitur sollicitudine dementaris.* Cum autem pessimus eum replesset calor et magnis febribus arriperetur, aperiens os suum ait : *Forsitan propter puerum illum morior. Magnus est Deus christianorum. Exaudi me et ignosce peccatis meis.* Et hæc cum dixisset imperator, recessit ab eo febris et exsurgens de stratu suo abiit in Capitulio * adorare Serapen. Tunc descendit de cœlo virga ignea et percussit eum, et dissipavit eum et omnia membra ejus. Tunc cum festinatione ingressus palatium suum, ait : *Magnus est * Deus christianorum qui adjuvasti * servum tuum Marinum. Adjuva et me.* Et hæc eo dicente, cessavit omnis dolor. Tunc surgens ait : *Serapi, adjuva me.* Et cum hæc dixisset, ruit in faciem suam et vermes de ore ejus abundaverunt, et mortuus est pessime, et dissipata sunt ejus ossa et carnes, et nihil eum juvavit Serapis quem invocavit, quia ira Dei consummata est et anima ejus abiit in tenebras et habitavit in inferno, et redacta est ad nihilum memoria ejus, quia Deus retribuit ei retributionem secundum opera ejus. Hæc autem omnia contigerunt Martiano imperatore. Gesta sunt autem hæc in civitate Roma, septima * kalendas Januarias, regnante Domino nostro Jesu Christo, nunc et semper et in secula seculorum. Amen.

* *cod.* æpulas.
* *sic.*
* *cod.* est.
* *sic.*
* *sic.*

CIII. Codex signatus n° 8033-34.

Hic codex, formæ mediæ ($0^{m},29 \times 0,213$), binis columnis, lineis graphide ductis (præter folium insiticium unum), habet folia numeris signata 129; quæ (duobus primis exceptis, seculum XII referentibus) una manu sec. XIII jam adulto exarata sunt. Tituli rubricati, litteræ majores sæpissime rubræ, sæpe cæruleæ, raro virides, aliquando parce quidem sed venuste ornatæ. Litteras capitales, duplici ex tribus dictis coloribus usus, vermiculator eleganter ornaverat, protrahendo per marginem appendicia aut volumina ipsis litteris enata; sed hi ornatus, initio præsertim codicis, ætate pallescentes fere toti evanuerunt.

Folio insiticio verso inscriptus est manu seculi XVI index contentorum, ibique etiam invenitur signum musei Bollandiani : **O** Ms. 8.

Folio ultimo verso leguntur sequentia, col. 2 :

Anno Domini M°CCCC° II°, v *idus Julii fuerunt induti isti novissimi, in die sancti Benedicti, feria tertia ante relationem corporis sancti Vedasti, patris nostri :*

Primo in ordine nomina eorum

Johannes de Tarcines.
Petrus de Lorgies.
Johannes Patequin.
Galterus de Orchies.
Johannes Bakcler.
Hugo Dococh.
Galterus de le Housiere.
Nicholaus de Saint Amand.
Petrus Cousart.
Egidius de Hestrus.

Sequitur oratio ad B. V. Mariam, gallicis versibus concepta sexdecim, similiter desinentibus :

Tres douche glorieuse pucelle,
Mère du Sauveur et ancelle, etc.

In col. 1 leguntur hæc recentius addita :

Domp Guilliame de Lovense.
Domp Jacques de Habarq.
Domp Henry de Ligne.
Domp Claude de Macht.
Domp Jeham (sic) *Tournemine.*
Domp Nicol du Bruille.
Domp Anthoine de Gommiecourt.
Domp Anthoine Le Feutre.
Domp Charles Durant.
Domp Louis Doresmieulx.

Et statim prosequitur eadem manus :

Le XIIe *de decembre an 1545 furent vestu ceulx icy escript par labbe Domp Jerome Rufant.*

Pries Dieu pour eus et priront pour vous.

Scriptor qui scripsit cum Christo vivere possit.

Si lector animadverterit S. Vedastum nuncupari " patrem nostrum „ ac noverit Hieronymum Rufant ab anno 1537 ad 1563 Atrebati Vedastinis monachis præfuisse, jure judicare poterit codicem olim pertinuisse ad Atrebatense S. Vedasti cœnobium.

1° Vita sancti Hilarionis (fol. 3ʳ-12ᵛ).

Vita auctore Hieronymo, edita apud Rosweydum, *Vitæ Patrum*, p. 75-85.

2° Vita sancti Antonii monachi (fol. 12ᵛ-36ʳ).

Vita auctore Athanasio, edita ibid., p. 35-60.

Inde nonnullis mirabilibus additis libri II, III et IV *De Vitis Patrum* (editi apud Rosweydum, tom. cit.).

CIV. Codex signatus n° 8059.

Codex palimpsestus seculi XV, formæ mediæ (0^{m} × 28 × 0,208), binis columnis, lineis stylo ferreo ductis, foliorum 214, præter insiticium unum. Passim antiquæ scripturæ et priorum colorum servat vestigia.

Tituli ac litteræ majores fere omnes rubricatæ sunt; nonnullæ sunt cæruleæ. Folio insiticio verso scriptum est: *Index sanctorum hujus codicis invenitur pag.* XC. Eidem folio agglutinata est charta eumdem indicem exhibens. In museo Bollandiano signatus erat **P** MS 22. Unde fuerit prius, innotescit ex hac nota ad calcem codicis fol. ultimo inscripta : *Liber monasterii Sancti Pauli in Trajecto.*

1° Passio beatæ Agnetis virginis et martyris a beato Ambrosio edita (fol. 1r-4r).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 21 Jan., tom. II, p. 351-354.

2° Passio beati Vincentii martyris (fol. 4r-7r).

Contracta ex Passione edita ibid., p. 394 sqq.

3° Passio Babilæ episcopi et martyris cum tribus parvulis (fol. 7r-10r).

Convenit cum Passione de qua actum est tom. I, p, 140, 27°.

4° Vita beatæ Balthildis reginæ (fol. 10r-13v).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 26 Jan., tom. II, p. 739-742. — Deest prologus ac pro num. 18 leguntur numm. 21-23 Vitæ secundæ editæ tom. cit., p. 742 sqq.

5° Passio Blasii episcopi et martyris (fol. 13v-19r).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 3 Feb., tom. I, p. 339-344.

6° Passio beatæ Agathæ virginis et martyris (fol. 19r-22r).

Edita ibid., ad d. 5 Feb., tom. I, p. 615-618.

7° Passio beati Valentini presbyteri et martyris [et Valentini episcopi] (fol. 22r-25r).

Sub rubrica unius Valentini presbyteri legitur in cod.: 1° Passio sancti Valentini, episcopi Interamnensis, edita in *Act. SS.,* ad d. 14 Feb., tom. II, pp. 756, 757; 2° Passio sancti Valentini presbyteri et martyris Romani, edita ibid., pp. 753, 754.

8° Vita beatæ Gertrudis virginis (fol. 25r-30v).

Vita edita apud Josephum a Ryckel, *Vitæ S. Gertrudis,* p. 1-31. — In cod. deest prologus cum capp. I et IX. In miraculis enarrandis multæ occurrunt lectiones variantes. Tandem in cod. Vitæ addita sunt miracula tria quæ leguntur in *Act. SS.,* tom. II Martii, p. 598, num. 19 et p. 599, Append. I, numm. 1, 2.

9° Passio beati Marci evangelistæ (fol. 30v-34v)

Ea Passio de qua actum est tom. I, p. 322, 21°.

10° Inventio sanctæ Crucis (fol. 34v-37v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 4 Maii, tom. I, p. 445-448. — In cod. non leguntur quæ in editis sub num. 3 et 4 uncis inclusa sunt.

11° Passio beatorum Alexandri, Eventii et Teodoli martyrum (fol. 37v-39v).

Edita ibid., tom. I, p. 218-223.

12° Passio beati Judæ a quo Crux Domini inventa est (fol. 40r-42v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 4 Maii, tom. I, pp. 449-450 seu numm. 14-26. — In cod. incipit :

Qui sui proprii generis et propriæ naturæ et propria radice consistens Deus, qui ante creaturam mundi ejus finem agnoscens et ante plasmationem Adam ea quæ per ipsius futura erant usque ad unum numerum actus et cogitationes præsciens, solus æternus rex, qui omnibus sanctis propria semper præstat dona, ipse sancti et beati Quiriaci nativitatem in utero sanctificavit. Verumtamen Anna cum vocaretur quæ hunc genuit, ætatem suscepit sanctæ Annæ et cum illo quem plus dilexit in carne Passionem suscepit. Post venerabilis Constantini...

13° Passio beati Erasmi episcopi et martyris (fol. 43r-46r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Junii, tom. I, p. 213-216. — In cod. multæ sunt variantes ectiones.

14° Passio beati Bonifacii et sociorum ejus (fol. 46r-48v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 5 Junii, tom. I, pp. 481-483.

15° Passio beatorum Viti et Modesti martyrum (fol. 48v-51v).

Edita apud Mombritium, tom. II. — In cod. lectiones variantes non paucæ.

16° Vita beati Alexis confessoris (fol. 51v-54r).

Edita supra, tom. I, p. 223-227.

17° Passio sanctorum Gervasii et Protasii martyrum (fol. 54r-56r).

Edita in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 302-307, sub hoc titulo : *Passio sanctorum Nazarii martyris et Celsi pueri.*

18° Passio beati Albani martyris (fol. 56r-57v).

Passio auctore Beda, edita apud Migne, P. L., tom. XCV p. 32-35, capp. VII, VIII.

19° Passio beatorum Joannis et Pauli martyrum (fol. 57v-60r).

Edita apud Mombritium, tom. I, in Actis sancti Gallicani. — In cod. multæ sunt variantes lectiones.

20° Vita beati Egidii abbatis (fol. 60r-62v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Sept., tom. I, p. 299-303. — Deest prologus.

21° Vita beati Remigii episcopi et confessoris (fol. 62v-79v).

Vita auctore Hincmaro edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Oct., tom. I, p. 131-166. — Sed in cod. desunt prologus, tum num. 6 inde a *Singularis*, totus num. 7, num. 8 inde a *O virum*, dein numm. 15-18, num. 19 ab initio usque ad *reposuit sudores*, num. 20 inde a *delectatio;* desunt quoque numm. 21 et 22, num. 26 inde ab *Sed in hoc*, num. 28 inde a *Qui ergo tentationibus*, num. 29 usque ad *relinquens*, num. 33, num. 37 inde a *Sed et per se*, numm. 38, 42, 43, 45, 46, num. 61 inde a *Quod de Moyse*, num. 65 inde a *de miraculo*, num. 70 inde *Et qui quatriduanum*, num. 71, num. 72 ab initio usque ad *lavamur in sanguine suo*, num. 75 inde a *Quatinus nemo de sua*, num. 76, num. 77 ab initio usque ad *desperemus*, numm. 78, 79, num. 82 inde a *Legimus*, numm. 83-85, num. 89 inde a *in hac sollicitudine*, num. 90, num. 95, num. 102 inde a *sicque anima*, numm. 103-105, 108 et 135-138.

22° Vita beati Nicolai episcopi et confessoris (fol. 79v-84r).

Edita in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 143 sqq.

23° Translatio [ejusdem sancti] (fol. 84r-90r).

Relatio contracta ex ea quæ edita est in *Anal. Boll.*, tom. IV, p. 169 sqq., scilicet ex num. 4-40. Sequitur in cod. series quædam miraculorum prout edita est apud Carminium Falconium, p. 158, numm. 13, 14. Leguntur deinde, sed alio stylo alioque ordine, miracula quæ edidimus tom. I, p. 323-325. Ad finem leguntur sequentia :

Anno siquidem Dominicæ incarnationis millesimo L°XXXVII, revertentes quidam fideles viri de Iherosolimis, retulerunt nobis : se venisse in Mirream civitatem ad sepulcrum beati Nicolai, episcopi et confessoris, et non invenisse reliquias sancti corporis, audisse autem ibi ipsius translationis historiam, quam ex recenti etiam fractura pavimenti, ubi in ecclesia reconditum erat sanctum corpus, cognovissent esse certissimam. Sed nos non potuimus facile abduci in hanc sententiam, donec per religiosos quosdam viros qui causa simul orationis et gratia perspiciendæ veritatis ad Varensem civitatem venerant, acciperemus scripturam cum sigillo sancti Nicolai nobis transmissam, sicut desideravimus, expetentes a custodibus sanctarum reliquiarum ut dignarentur nobis scribere omnem ordinem rerum, quando et quomodo beatus confessor translatus sit et quæ miracula deinde Dominus per eum operari dignatus sit. Ecce autem, gratias Deo, comperimus totam seriem hujus translationis, cui testimonium dicunt tot episcopi atque clerici, quorum multitudo venisse perhibetur ad adorandum corpus beati confessoris : cujus etiam testes sunt tot civitatum populi qui supra scripti sunt vel vidisse vel sensisse in gratia sanitatum magnalia

Dei : cum id quoque accedat ad probationem ipsius translationis quod primus auctor unius operis testatur se infuisse singulis pene operibus quæ ibi gesta sunt atque miraculis; qui nunquam adeo insanus existeret ut tam periculose in sanctum Dei peccare præsumeret, quatenus ea fecisse illum fingeret quæ non fecisset...

24° Vita beati Galli confessoris (fol. 91r-92v).

Contracta ex Vita auctore Walafrido, edita apud Mabillon, *Act. SS. O. S. B.*, Sec. II, p. 228 sqq.

25° Vita beati Athanasii episcopi et confessoris (fol. 92v-94r).

Edita in *Leg. Aur.* (Ed. Coloniensi 1483), fol. 408v-410r.

26° Passio beati Petri apostoli (fol. 94r-101r).

Edita apud Fabricium, part. I, p. 390-393 et p. 402 sqq. — In cod. subinde quædam sunt addita aut omissa.

27° Vita vel actus beati Pauli apostoli (fol. 101r-102r).

Fragmentum Actuum beati Apostoli quæ leguntur apud Fabricium, part. I, p. 441 seqq., scilicet capp. I-V.

28° Passio beati Pauli apostoli (fol. 102r-106v).

Epistola beato Lino adscripta, de qua diximus tom. I, p. 211, 37°.

29° Passio beati Thomæ apostoli (fol. 106v-113r).

Edita apud Mombritium, tom. II.

30° Assumptio beati Johannis apostoli et evangelistæ (fol. 113r-117v).

Epistola Melliti, de qua supra, p. 155, 37°.

31° Vita vel assumptio beati Philippi apostoli (fol. 117v-118v).

Edita apud Mombritium, tom. II. — In cod. nonnullæ sunt lectiones variantes.

32° Passio beati Jacobi apostoli (fol. 118v-119v).

Passio de qua tom. I, p. 203, 4°.

33° Passio beati Bartholomæi apostoli (fol. 119v-122v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Aug., tom. V, p. 34-38.

34° Passio beati Matthæi apostoli (fol. 122v-127r).

Edita apud Mombritium, tom. II.

35° Passio beatorum apostolorum Simonis et Judæ (fol. 127r-131v).

Edita ibid., tom. II.

36° Passio beati Jacobi apostoli (fol. 131v-134r).

Edita ibid., tom. II.

37° Miraculum beatæ Mariæ virginis de Theophilo vice domni *(sic)* (fol. 134r-138v).

Editum in *Act. SS.*, ad d. 4 Feb., tom. I, p. 483-486.

38° Passio sancti Sebastiani (fol. 138v-152v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Jan., tom. II, p. 265-278.

39° Vita beati Mauri abbatis (fol. 152v-164v).

Vita auctore Fausto, edita in *Act. SS.*, ad d. 15 Jan., tom. I, p. 1039 sqq. — In cod. desunt numm. 1-6.

40° [Vita sancti Martini auctore Sulpicio Severo, una cum epistolis ejusdem de beato viro] (fol. 164v-178r).

Edita apud Migne, P. L., tom. XX, p. 159-184. — In cod. deest initium epistolæ ad Bassulam usque ad hæc verba : *sunt comperta participem* (p. 181).

41° [Sulpicii Severi dialogi tres] (fol. 178v-197r).

Editi ibid., p. 183-222.

42° Sermo primus beati Gregorii, Turonensis episcopi, in Translatione beati Martini episcopi (fol. 197r-197v).

Fragmentum libri de *Miraculis S. Martini*, editi apud Migne, P. L., tom. LXX, scilicet cap. VI (pp. 919, 920).

43° Sermo secundus ejusdem unde supra (fol. 197v-198r).

Est scilicet caput XLIII libri I *Historiæ Francorum*, ibid., p. 184-186.

44° Sermo beati Ambrosii episcopi in transitu beati Martini episcopi (fol. 198r-198v).

Idem ac caput IV libri S. Gregorii de *Miraculis S. Martini*, ibid., p. 918.

45° Sermo Severini Coloniensis episcopi unde supra (fol. 198v).

Caput V ejusdem operis, ibid., pp. 918, 919.

46° Vita beati Brictii, episcopi et confessoris (fol. 198v-199v).

Edita apud Surium, ad d. 13 Novemb.

47° Vita beati Willibrordi episcopi (fol. 199v-207v).

Vita auctore Alcuino, edita apud Migne, P. L., tom. CI, p. 693 sqq. — In cod. desunt prologus et subinde nonnullæ phrases.

48° Vita beati Hieronymi, presbyteri et confessoris (fol. 207v-214v).

Edita apud Migne, P. L., tom. XXII, p. 201 sqq. — In cod. subinde quædam sunt addita vel omissa vel alio ordine descripta.

CV. Codex signatus n° 8216-18.

Hunc codicem, formæ mediæ ($0^{m},286 \times 0,19$), lineis plenis, stylo ferreo ductis, qui *Vitas Patrum* continet, adhibuit Heribertus Rosweydus ad eximium suum opus *De Vitis Patrum* edendum. Ipse ergo in Prolegomenis, p. LXX, sedulo notavit quid codex contineat cujusque ætatis sit. Exaratus est anno 819 pertinuitque ad cœnobium Sancti Floriani. Sic enim fol. 291r post Vitam S. Antonii legitur : *Hic liber fuit inchoatus in Hunia in exercitu anno Domini DCCCXVIIII,* IIII *nonas Junii, et perfinitus apud Sanctum Florianum* II *idus Septembris, in ebdomada* (1) XV *ma.* Anno 1600 erat in collegio Ingolstadiensi Societatis Jesu : quod docemur notula fol. 1r in margine superiori adscripta. Tandem venit in museum Bollandianum, ubi asservabatur sub num. **O** MS 5. Titulos habet rubricatos ac folia complectitur 291, præter insiticium unum initio. In specie facienda nobis est mentio de hisce documentis :

1° De vita et actu sancti Hilarionis monachi (fol. 213v-230v).

Edita apud Rosweydum, p. 75-85.

2° Vita sancti Malchi captivi (fol. 230v-235v).

Ibid., p. 93-96. — Ob fol. excisum desideratur finis cap. VIII cum capp. IX-XI.

3° [Vita sancti Pauli, primi eremitæ] (fol. 236r-243r).

Ibid., p. 17-20.

4° Vita sancti Antonii (fol. 244r-291r).

Ibid., p. 35-60.

CVI. Codex signatus n° 8223.

Iste codex, formæ mediæ ($0^{m},28 \times 0,18$), lineis plenis stylo ferreo ductis, initio ac fine mutilus, varia manu exaratus est seculo XI. Habet fol. 143 (nam bis numerandum est folium 35). Sub finem quidam tituli rubricati sunt et litteræ aliquot viridi rubrove colore depictæ. In Passione sancti Marcelli littera capitalis grandior est, duplici animalis figura et foliis ornata ac rubro solidata.

Antiquitus pertinebat ad cœnobium S. Gisleni in partibus Hannoniæ. Etenim fol. 140v in margine inferiori scriptum est : *Liber Sti Gisleni.* Apud Bollandianos, quorum postea fuit, signabatur : **P** MS 21. In charta initio codicis inserta Rosweydus

(1) Rosweydus legit *indictione ?*

indicem contentorum descripsit. Alius index reperitur in fragmento membraneo assuto folio primo codicis.

Præter documenta hagiologica et aliquot homilias legendas in sanctorum natalibus, reperitur (fol. 128^r-137^v) Officium liturgicum in Commemoratione defunctorum peragendum.

1° [De apparitione sancti Michaelis archangeli] (fol. 1^r-3^r).

Editum in *Act. SS.*, ad d. 29 Sept., tom. VII, pp. 61, 62.

2° Passio S. Andreæ apostoli (fol. 7^r-11^v).

Edita apud Surium ad d. 30 Nov.

3° Passio sancti Jacobi, apostoli et fratris Johannis evangelistæ (fol. 11^v-16^r).

Edita apud Mombritium, tom. II.

4° Passio S. Thomæ apostoli (fol. 16^r-28^r).

Edita apud Mombritium, tom. II.

Annectitur Passioni expositio vocabulorum palatii edita supra, tom. I, pp. 252, 253. Nota : loco 5° pro *Zetas* in cod. : *Zetas hiemales ;* loco 9° pro *variæ exercentur artes,* cod. : *exercentur varietates.*

5° Assumptio S. Philippi apostoli (fol. 28^r-29^r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Maii, tom. I, pp. 11, 12. — In cod. om. num. 1.

Inc. *Post ascensionem Domini et salvatoris per annos viginti sanctus Philippus instanter prædicavit gentibus per Scithiam...*

6° Passio S. Jacobi apostoli, fratris Domini (fol. 29^r-31^r).

Convenit cum Passione de qua supra, tom. I, p. 203, 4°.

7° Passio S. Bartholomei apostoli (fol. 31^r-35$^{bis\ v}$).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Aug., tom. V, p. 34-38.

8° Passio S. Mathei apostoli et evangelistæ (fol. 35$^{bis\ v}$-43^r).

Edita apud Mombritium, tom. II.

9° Passio sanctorum apostolorum Symonis et Judæ (fol. 43^r-50^v).

Edita ibid.

10° Passio S. Marci evangelistæ, quæ celebratur VII Kl. Maii (fol. 50^v-53^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Aprilis, tom. III, p. 347-349, sub hoc titulo : *Apostolatus Alexandrinus.*

11° Passio S. Laurentii, archidiaconi et martyris, quæ celebratur IIII idus Augusti (fol. 64r-68v).

Edita apud Mombritium, tom. II.

12° Inventio sanctæ Crucis (fol. 68v-74r).

Edita in *Act. SS.*, ad 4 Maii, tom. I, p. 445-448, seu numm. 1-14. — In cod. desunt quæ numm. 3 et 4 uncis inclusa leguntur.

13° Qualiter sancta Crux ab Eraclio imperatore de regno Cosdroe Ierosolimis est restituta (fol. 74r-76v).

Edita apud Mombritium, tom. I.

14° Passio sancti ac beatissimi Clementis, episcopi et martyris, quæ est VIIII Kl. Decembris (fol. 76v-82v).

Edita apud Mombritium, tom. I. — In cod. deest prologus miraculorum quæ apud Mombritium post Passionem leguntur.

15° Passio S. Yppoliti martyris, quæ est idus Augusti (fol. 82v-85r).

Edita apud Mombritium, tom. II. — In cod. incipit : *Diebus illis, regressus Yppolitus post tertium diem martyrii beati Laurentii.*

16° Passio sanctorum martyrum Mauritii, Exuperii, Candidi, Victoris cum sociis eorum, quod est x Kl. Octobris (fol. 85v-90v).

Edita apud Surium ad d. 22 Sept. — In fine invertitur ordo eo modo quem jam notavimus, agentes de codice Brux. n. 104, tom. I, p. 94 (*Post num.* IX).

17° Passio S. Sebastiani, quæ est XIII Kl. Februarii (fol. 90v-116r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Jan., tom. I, p. 265 sqq.

18° Vita sancti Egidii abbatis (fol. 116r-122r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Sept., tom. I, p. 299-303. — Vitæ vero, ante prologum, præponitur hæc annuntiatio :

KL. SEPTEMBRIS, *in loco vallis quæ dicitur Flaviana, in prospectu maris,* NATALE SANCTI EGIDII ABBATIS *et confessoris, apud Athenas orti ex patre Theodoro, matre Pelagia. Si quis in aliquod grande peccatum inciderit quod timeat, missam in die festivitatis istius sancti in memoriam patris et matris ejus cantari faciat ; et, antequam finiatur, remissionem peccati illius deprecamine habebit.*

19° Passio S. Blasii martyris, quæ est III° nonas Februarii (fol. 122r-125v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 3 Feb., tom. I, p. 336-339.

20° Sermo S. Athanasii episcopi de novis et modernis

mirabilibus Imaginis Domini nostri Jesu Christi (fol. 125v-127v).

Alia versio Sermonis editi apud Migne, P. G., tom. XXVIII, p. 805-812.

21° Passio S. Marcelli papæ (fol. 137v-142v).

Passio auctore Ursione, edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Jan., p. 9 sqq. — In cod. desideratur lib. II.

CVII. Codex signatus n° 8224-26.

Hic codex, formæ mediæ (0m,277 × 0,185), foliorum 105, lineis plenis stylo ferreo ductis, seculo X exaratus est una eademque manu, præter duo ultima folia, quæ descripta fuere ab illo qui codicem correxit. Sub finem folii ultimi seculo XII additi sunt aliquot versiculi qui incipiunt: *Qui cupis esse bonus et vis dinoscere verum.* Tituli minio scripti sunt, itemque sæpe prima paragraphorum verba, more titulorum. In tribus tamen primis titulis litteræ alternis vicibus atramento et minio scriptæ sunt. Minio quoque ductæ sunt litteræ majores, et sæpe flavo colore adumbratæ. Capitales vero variis foliorum figuris interius exornatæ sunt, spatiolis vacuis multiplici colore repletis.

In membranula tegumento agglutinata manu sec. XV descriptus est index contentorum qualiter qualiter confectus, cui præmissa leguntur sequentia : *Ecclesiæ sancti Bertini Sithiensis.* Ibi quoque appositum est musei Bollandiani signum **O** MS 13.

1° Liber sancti Martini de Trinitate (fol. 1r-2r).

Editus apud Migne, P. L., tom. XVIII, pp. 11, 12.

2° [Vita S. Martini] (fol. 2v-39r).

Vita auctore Sulpicio Severo cum epistolis tribus ejusdem de eodem, edita apud Migne, P. L., tom. XX, p. 159-184.

3° Dialogi auctore Severo (fol. 39r-97r).

Editi ibid., p. 183-222. — In cod. desunt numm. XVII et XVIII dialogi tertii.

4° Epistola de obitu sancti Martini episcopi (fol. 97r-98v).

Capitulum XLIII libri I *Historiæ Francorum* (Migne, P. L., tom. LXX, p. 184-186).

5° Item de transitu sancti Martini episcopi (fol. 98v-99r).

Cap. IV libri I *De miraculis sancti Martini* (ibid., p. 918).

6° Item sancti Ambrosii de transitu sancti Martini (fol. 99^r-100^r).

Caput V ejusdem operis (ibid., pp. 918, 919).

7° Quando corpus ejus translatum est (fol. 100^r-101^v).

Cap. VI ejusdem operis (ibid., pp. 919, 920).

8° Vita sancti Briccii, episcopi et confessoris (fol. 101^v-103^v).

Edita apud Surium ad d. 13 Nov.

9° Vita S. Martini (fol. 104^r-105^r).

Vita auctore Alcuino, edita apud Migne, P. L., tom. CI, p. 657-662. — In cod. desideratur initium. Incipit enim a num. IV med. *(Hoc quoque itinere...)*.

10° De basilica S. Martini (fol. 105^r).

Vid. *Anal. Boll.*, tom. III, p. 183, 30°.

CVIII. Codex signatus n° 8261-70.

Iste codex, formæ mediæ (0^m,287 × 0,219), binis columnis, lineis graphide ductis, exaratus est seculo XV. Folia complectitur 179, præter insiticia duo. In parte aversa folii insiticii quod initio codicis positum est, inscriptus est index contentorum et manu adscriptus numerus sub quo erat in museo Bollandiano : ejusdemque musei in tegumento adhuc signum est, chartulæ impressum : MS 107. Ad finem folii ultimi hæc scripta sunt : *Pertinet ad librariam domus fratrum sancti Iheronimi in Trajecto.* Tituli ac litteræ majores rubricata sunt. Litteræ capitales, cæruleo ductæ, ea delicata venustate exornatæ existunt, quæ tunc temporis apud nostrates florebat.

1° Vita sub compendio sancti Johannis, abbatis Sancti Montis, dicti Scolastici, qui scripsit has superiores tabulas, videlicet Sanctam Scalam, edita a Daniele humili monacho Raythu (fol. 66^r-67^v).

Vita S. Joannis Climaci, stylo tantum diversa ab ea quæ edita est in *Act. SS.*, ad d. 30 Martii, tom. III, pp. 835-837.

2° De sancto Basilio, Cæsariensi episcopo et confessore, qui dicitur etiam magnus Basilius (fol. 123^r-127^v).

Desumptum ex Vita S. Basilii, auctore, ut fertur, Amphilochio, edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Junii, tom. II, p. 938 sqq.

CIX. Codex signatus n° 8283-86.

Hic codex, formæ mediæ (0m,288 × 0,203), binis columnis, lineis graphide ductis, seculo XIV exeunte exaratus, folia 206 complectitur. Ex his duo, initio codicis addita insiticiorum instar, numerica notatione manu recentiori reliquis foliis adscripta carent, et vacua sunt penitus, nisi quod fol. 1r reperitur index contentorum et hoc musei Bollandiani signum : **P** MS 13. Fuerat olim cœnobii Sancti Hieronymi Trajectensis. Scriptum est enim in parte aversa ultimi folii : *Pertinet ad fratres domus sancti Iheronimi in Trajecto.*

Tituli rubricati sunt. Litteræ majores alternis vicibus sunt rubri cæruleique coloris. Una tantum (fol. 1r) eximia arte insignis est.

1° [Vita beati Bernardi] (fol. 1r-51r).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 20 Aug., tom. IV, p. 256-327, numm. 3-270. — In cod. Bernardus dicitur oriundus Castellione oppido. Num. 8 legitur ut notavimus supra, tom. I, p. 285 ; numm. vero 48 et 49 ut ibid., p. 235.

2° Narratio de novo miraculo ab abbate Herberto viso et conscripto, quo Liber miraculorum commendatur (fol. 51r-51v).

Edita ibid., p. 330, numm. 285, 286.

3° Epistola domni Philippi ad domnum Samsonem, Remensem archiepiscopum (fol. 51v).

Edita ibid., p. 331.

4° Signa quæ in Germaniam per servum suum Bernaerdum, Clarevallensem abbatem, operatus est Deus, descripta ab his qui præsentes fuerunt (fol. 51v-55v).

Edita ibid., p. 331-337, num. 288 (qui in cod. vocatur *prohemium*) -305.

5° Epistola in miraculis beati Barnardi *(sic)* abbatis (fol. 55v-56r).

Edita ibid., pp. 337, 338, num. 306-308.

6° Signa ad Coloniensem clerum, quæ per servum suum Bernardum, Clarevallensem abbatem, operatus est Deus, descripta ab his qui præsentes fuerunt (fol. 56r-58v).

Edita ibid., p. 338-341, num. 309-320. — Inc. *Prohemium. Multi ex vobis* (num. 309) ... *ipse loquatur* (n. 310). Dein venit rubrica : *Incipiunt signa...* Et sequitur : *Wolkemarus. Utinam inter nomina* (num. 310).

7° Epistola ad domnum Hermannum episcopum de miraculis beati Bernardi abbatis Clarevallensis (fol. 58^{v}).

Edita ibid., p. 342.

8° Miracula (fol. 58^{v}-63^{r}).

Edita ibid., p. 342-349, num. 318-347.

9° Narratio Cisterciensis Ordinis (fol. 64^{r}-178^{v}).

Est *Exordium magnum Ordinis Cisterciensis* editum apud Migne, P. L., tom. CLXXXV, p. 995 sqq. — In cod. ipsi Libro præponuntur versiculi in laudem Ordinis de quibus tom. I, p. 233.

In fine (fol. 179^{r}-181^{v}) tabula quædam annectitur ita inscripta : *Exempla quædam collecta ex Libro de illustribus viris, quemadmodum coaptantur ad quædam festa per circulum anni.*

10° Vita sancti Malachiæ, Hiberniensis episcopi et confessoris (fol. 183^{r}-204^{v}).

Vita auctore S. Bernardo, edita ibid., tom. CLXXXII, p. 1073-1118.

11° [Hymnus de sancto Malachia] (fol. 204^{v}).

Editus ibid., pp. 1117, 1118.

CX. Codex signatus n° 8302-05.

Hic codex, formæ minoris (0^{m},265 × 0,18), foliorum autem 101, descriptus est seculo X (excepta tamen parte aversa ultimi folii quæ sec. XII refert). Lineæ sunt plenæ ac stylo ferreo ductæ, tituli et litteræ majores rubricata. In museo Bollandiano signatus erat ✠ MS 79a. Ad hagiologiam quod spectat, in cod. reperitur unum hoc documentum :

De vita sancti Syri episcopi et confessoris (fol. 40^{r}-42^{v}).

Fragmentum Vitæ editæ a Cæsare Prelini, *San Siro primo vescovo e patrono della città e diocesi di Pavia* (Pavia 1880), tom. I, p. 178 sqq., scilicet numm. 12 *(Die autem quadam egressus)* -num. 14 *(...virtus et potestas per infinita secula seculorum. Amen).*

CXI. Codex signatus n° 8344-46.

Codex est formæ minoris (0^m,25 × 0,182), initio ac fine mutilus, lineis plenis stylo ferreo ductis, seculo X exaratus, complectens folia 88. Tituli fere semper, litteræ capitales non raro, litteræ majores aliquando minio descripta sunt. Litteræ quædam capitales nonnihil exornatæ.

Index contentorum, chartulæ manu seculi XVI inscriptus, parti superiori folii primi agglutinatus est.

In museo Bollandiano signatus erat ✠ MS 82.

1° Passio sancti Agapiti Prænestini martyris (fol. 1^r-6^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 18 Aug., tom. III, p. 537-539.

2° De quodam vice domino qui fuit in quadam civitate Ciliciorum, nomine Theophilus (fol. 6^v-15^r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 4 Feb., tom. I, p. 483-487.

3° Vita sancti Pauli, primi Heremitæ, composita a sancto Hieronimo presbytero (fol. 15^r-21^r).

Edita ibid., ad d. 10 Jan., tom. I, p. 604-607.

4° Passio beatorum martyrum Ferreoli presbyteri ac Ferrucii diaconi, qui in Bisontica civitate passi sunt pro nomine Christi sub Aureliano imperatore vel Cornelio duce (fol. 21^r-24^v).

Edita ibid., ad d. 16 Junii, tom. III, pp. 7, 8.

5° Inventio sanctorum martyrum Ferreoli presbyteri et Ferrucii diaconi; et hi, cum consanguinitate carnali fratres essent, sic et virtute martyrii pariter consortium meruerunt : ideo non sunt corpora eorum separata, quorum merita fuerunt coæqualia (fol. 24^v-27^r).

Relatio, ut ex notatis patebit, sat diversa ab ea quæ edita est tom. modo cit., pp. 11, 12.

Num. 1. In civitate quæ ... tanti ... pulcritudine formæ ... acceperit. Opinione ... memoriæ redditum est juniorum unde Bisontia appellata est. Eo ... Bisontis fera illic ... vocabulum Bisontionis est perenne sortita verumque ... nostra cognovit ... irruptione vastata est, vocabulum ... dignitatis amisit et ferarum multo tempore habitatio facta est.

Num. 2. Deinceps autem gentili illic populo succedente, beati martyres Ferreolus

et Ferrutius, sicut geminam unam similitudinem generis in vita tulerunt, ita et martyrii pro Christi nomine pariter persecutoris funesta supplicia pertulerunt.

Num. 3. Fides rei gestæ, beato episcopo Aniano intimante ... martyrum beatorum fundata ... condita. Postquam enim in ipsa regione ad populum gentilem electus est et missus a Deo et de seculari potestate revocatus est sacerdotio æterno revelatione divina, ex religionis officio præesse jussus est. Qui cum adhuc laicus in terra Pictavorum peregrinus habitaret et edictum impii Juliani Cæsaris processisset, ut gentilium idola præses illius provinciæ restauraret, beatus Anianus ante sacerdotii dignitatem Christi confessor Domini publice respondit non se credere huic edicto a Cæsare destinato, adfirmans in judicio præsidis falsa recitari. Judex autem, hujusmodi professione permotus, dari in manibus benedicti Aniani auctoritatem præcepit, ut legeret. Ille vero acceptam palam in foro populo circumstante projecit in terram et pedis calce contrivit, ac voce publica proclamavit se idola potius eversurum propter religionem nominis Christi quam ædificaturum esse. Tunc judex, ejus fidem admiratus atque constantiam, sacrilegum ministerium destitit perpetrare. Ergo Dei confessor verus manifeste quæque martyrum miracula gloriamque revelavit. Nam cum jam sacerdotii ministerio præesset prædictæ civitati Bisontiensis ecclesiæ catholicæ, tribunus ... studio progressus est miliario et semis ... a civitatis habitaculo. Cumque ... ædes cum martyrum corporibus ibi reperitur, quam populus gentilis, ignorantia detentus, nondum cognoverat. Nuntius ... jam opinionem antea vulgi audierat. Martyrum sepultura jussu ejus ... inveniuntur in monumento.

Num. 4. ... corpora qualiter passionibus et virtutibus declarata fuerunt, notitiæ communi tradere curavimus. Nam ... imp. mall. fer. affigebantur. Qui diversis infirmitatibus medelam multis præstavere temporibus. Passionis signa Dominicæ gestantes, palmas clavis perforatas adsignabant. Martyrium ergo quamvis abscisione capitum excepissent, clavorum tamen ordine circumdata corona videbatur in capitibus eorum, totius orbis possessura compagem. In ... juncturis malleis attactæ subulæ inventæ sunt. O impiissimi ... lumine cæcantur oculorum. His aurium auditus aufertur ... sermo vexatur ; eorum pectorum juncturæ ... sanctorum quorum fides tentamenta persecutoris antea sustinuit ... solatiis, nam nullus se eorum virtutibus sociavit de tanti populi gentilis ac barbari multitudine peritura.

Num. 5. Itaque beatus Anianus episcopus et tribunus cum militibus ad ecclesiam redeunt ... excubiis et præsidiis civitatem deserentes, quibus ipsa ab oppugnatione barbarica sæpe defensa est et ... absoluta. Nam sæpe virtutibus sic se et religionis cujus possident gloriam, revelantes et dignanter ... restituunt. Basilica vero ædificata et ædes martyrum a beato Aniano episcopo est dedicata. Corpora vero sanctorum martyrum ab ipso denuo sepulta cum aromatibus, et honor ibi atque custodia est adhibita. Clavi vero a capitibus sanctorum martyrum per manus ... sublati, per ... hominum medebatur. Inventionem quoque sanctorum martyrum corporum Christo ... Non. septembris celebramus, ut dum martyrum cœlestes victoriæ ... terris.

Num. 6. Hæc itaque sicut ... sanctorum ac beatorum martyrum Ferreoli et Fer-

rulii fidelium relatione comperta sunt, ad confirmandos ... mens devota conscripsit, ut, dum festivitas sanctorum felicibus ipsos patrocinantes temporibus revolutis in ævum anni circulis celebrantes, pro statu ... pontificis, pro sacerdotum veneratione, pro invicti principis felicitate et totæ plebis conservatione, indulti ... martyris patrocinium deprecantes, et ejus remuneratione qui obedienter legenda composuit. Ipso adjuvante cui ante ... et honor, gloria et imperium per ... seculorum secula. Gloria tibi ...

6° Passio sanctorum martyrum Viti, Modesti atque Chriscentiæ, sub die XVII Kl. Julii (fol. 27r-33v).

Passio hæc proxime accedit ad eam quæ edita est apud Mombritium, tom. II.

7° Narratio vel descriptio electionis sancti Mathiæ apostoli (fol. 33v-42r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 24 Feb., tom. III, p. 437-441.

8° Sermo legendus in natale sancti Barnabæ apostoli (fol. 42r-47v).

Editus ex hoc cod. in *Act. SS.*, ad d. 11 Junii, tom. II, p. 423-425; sed in cod. leguntur etiam quæ edita sunt in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 301, inde a lin. 35 (cfr. in *Actis* Annot. *p*).

9° Item sancti Barnabæ apostoli actus (fol. 47v-51v).

Editi in *Bibliotheca Casinensi*, tom. III, Florilegii p. 354-357.

10° Descriptio sive actus sancti Johannis, apostoli et evangelistæ (fol. 51v-65v).

Edita apud Mombritium, tom. II. — In cod. prologi instar reperiuntur ea quæ alio stylo in editis ad finem Passionis leguntur, tamquam ex Hieronymo descripta. Insuper in cod. Passioni annexa est narratio Eusebiana de qua supra, tom. I, p. 253, 11°.

11° Passio beati Vincentii, archidiaconi et martyris almi, cujus festivitas celebratur XI Kl. Februarii (fol. 65v-75r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 22 Jan., tom. II, p. 394-397.

CXII. Codex signatus n° 8372.

Hic codex, mediæ formæ (0^m,272 × 0,192), lineis plenis stylo ferreo ductis, seculo XII exaratus constansque foliis 126, titulos ac litteras majores rubricata habet. Initio quorumdam tractatuum litteræ capitales variis calami flexibus interius exornatæ.

Codicis fata docemur hac notula fol. 1r adscripta : *Permutatione aliorum librorum hunc accepimus a collegio Molshemiensi per P. Petrum Richart.* In museo Bollandiano signabatur O MS 16.

Continet Vitas Patrum. Mentio tamen facienda de hisce documentis.

1° Vita sancti Abrahæ heremitæ et conversatio sive pœnitentia neptis ejus, beatæ Mariæ (fol. 59r-66v et 123r-126r).

Edita apud Rosweydum, p. 144-150, et p. 368 sqq.

2° Vita beati Onufrii heremitæ (fol. 117v-122v).

Edita ibid., p. 99-103.

CXIII. Codex signatus n° 8386-96.

Hic codex, formæ minoris (0m,256 × 0,173) ac foliorum 220 (præter insiticium unum initio ac chartacea septem, quorum quatuor initio, tria ad finem), seculo XIII exaratus est. Lineæ, graphide ductæ, plenæ sunt, excepta parte metrica, quæ in duas columnas divisa est. Litteræ majores, ut plurimum alternis vicibus rubræ cæruleæque, sub finem aliquoties viridi colore depictæ sunt. Ea solemnis est ornandi codicis norma, ut, sequendo coloratos compages qui litteras efficiunt, alius interius exteriusque nunc recta nunc curva linea, nunc sinuamine color addatur. Sub finem (inde a folio 170) litteræ aliquot majori ornatu insignes sunt.

Chartula parti aversæ folii insiticii agglutinata, exhibet indicem contentorum, manu seculi XVI descriptum. In parte recta primi folii chartacei, initio codicis assuti, ante secundum contentorum indicem leguntur sequentia : *Liber hic membranaceus ex Angliæ calamitate, vastatis ab iconoclastis ecclesiis sub Henrico VIII rege, in Belgium venum allatus, e bibliotheca Abrahami Ortelii redemptus est in auctione publica ab Andrea Schotto Antverpiano Soc. Jesu.*

Fol. 1r in margine superiori : *Collegii Societis Jesu Antverpiæ 1598,* et continuo sub his *D. P.* Tandem interiori parti tegumenti adhæret hocce musei Bollandiani signum : ✠ MS 200.

Continetur in codice unum documentum hagiologicum, scilicet :

Versus Hildeberti, Cenomanensis episcopi, postea Turonorum archiepiscopi, in vitam sanctæ Mariæ Egyptiacæ (fol. 36r-42v).

Editi apud Migne, P. L., tom. CLXXI, p. 1321-1340.

CXIV. Codex signatus n° 8401.

Hic codex, formæ minoris (0^m,25 × 0,18), lineis plenis graphide ductis, exaratus est seculo XIII. Nunc in fine mutilus, complectitur folia 40, præter chartacea tria initio. In horum primo Henschenius scripsit : *Emi per commutationem a D. Isaacio Vossio per quem extant editæ epistolæ S. Ignatii Antiocheni.* Signum musei Bollandiani avulsum est. Tituli ac litteræ majores minio descripta sunt.

Totum cod. complet unum documentum, scilicet :

Vita S. Servatii (fol. 1r-40v).

Vita de qua facta est mentio supra, p. 74, 32°.

CXV. Codex signatus n° 8414-19.

Hic codex, formæ minoris (0^m,252 × 0,173), binis columnis lineis graphide ductis, exaratus est seculo XV. Complectitur folia 99 præter insiticium unum, habetque titulos rubricatos ac majores litteras alternis vicibus cæruleo rubroque depictas. Litteræ capitales variis coloribus adhibitoque bis auro eximia venustate ornatæ sunt.

In parte recta folii insiticii hæc scripta sunt : *Sum Theodori a Renesse Wulpii;* ac continuo sub his : *N. B. Hic liber nobis ab eodem nobilissimo et humanissimo Domino donatus.* Seculo XVI in parte aversa primi folii additus fuit contentorum index. Signum musei Bollandiani, quod erat ✠ MS 78, reperitur tum folio 2r in margine superiori, tum in membrana quæ interius tegumento ligneo adhæret.

1° Vita et actus sancti Zwitberti, episcopi Werdensis (fol. 1v-23r).

Vita falso attributa Marcelino (*sic*) presbytero, edita apud Leibnitium, *Scriptt. Brunsvicensia illustrantes,* tom. II, p. 222-242.

2° Epistola exhortatoria domni Rixfridi, episcopi Trajectensis, ad sanctum Ludgerum, episcopum Monasteriensem, super inquisitione miraculorum et canonizatione sancti Zwitberti episcopi (fol. 23r-24r).

Edita ibid., pp. 243, 244.

3° Epistola sancti Ludgeri, episcopi Monasteriensis, rescripta domno Rixfrido, episcopo Trajectensis

ecclesiæ, super miraculis Zwitberti episcopi (fol. 24r-33v).

Edita ibid., p. 244-253.

4° Vita sancti Plechelmi (fol. 70r-72r).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 15 Julii, tom. IV, pp. 58, 59.

5° Vita sancti Ludgeri, confessoris et Monasteriensis episcopi (fol. 72r-99v).

De natura hujus Vitæ ejusque cognatione cum aliis Vitis sancti Ludgeri, tractat Dr. Wilhelm. Diekamp in opere : *Die Geschichtsquellen des Bisthums Münster*, tom. IV, p. 85 sqq.; cfr. p. LXVIII.

CXVI. Codex signatus n° 8511-12.

Iste codex formæ minoris (0m,190 × 0,136) duplici codice constat. Prior seculo XV exaratus complectitur nunc folia 4 exhibetque fragmentum cujusdam prosodiæ metrice conscriptæ. Posterior autem ad seculum XII pertinens olim erat foliorum saltem 166; quod constat ex indice qui eadem manu qua reliquus codex descriptus est in folio insiticio ante fol. 1. Nunc supersunt folia 41 numeris notata. In hoc posteriori codice lineæ sunt plenæ ac stylo ferreo ductæ; tituli, litteræ capitales ac initium primæ Passionis minio depicta. Ejusdem Passionis prima littera nonnihil exornata. Folio 1 prioris codicis agglutinatum est signum musei Bollandiani ✠ MS. 39 quod jam pridem ibidem in margine superiori scriptum erat adjectis verbis *Societatis Jesu.* Idem signum inscriptum est folio insiticio posterioris codicis, qui et folio 1r in margine superiori exhibet hanc notam : *Ad domum Carthusiæ prope Diest.*

Sequitur jam elenchus contentorum in posteriori codice.

1° Passio sanctorum apostolorum Petri et Pauli, qui passi sunt in urbe Roma sub Nerone imperatore. Quod est III Kl. Julii (fol. 1r-10v).

Epistola Marcelli edita apud Fabricium, tom. sæpe cit., p. 632 sqq.

2° Passio S. Jacobi apostoli. Quod est VIII Kl. Augusti (fol. 10v-14v).

Edita apud Mombritium, tom. II.

3° Passio S. Bartholomei apostoli. Quod est VIIII Kl. Septembris (fol. 14v-20r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Aug., tom. V, p. 34 sqq.

4° Passio S. Mathei apostoli, XI Kl. Octobris (fol. 20r-27v).

Edita apud Mombritium, tom. II.

5° Passio apostolorum Simonis et Judæ. Quod est v Kl. Novembris (fol. 27v-35v).

Edita ibid.

6° Passio S. Thomæ apostoli. Quod est XII Kl. Januarii (fol. 35v-41v).

Edita ibid. — In cod. mutila est.

CXVII. Codex signatus n° 8515.

Foliorum 184, præter unum insiticium in capite codicis, formæ minoris ($0^m,23 \times 0,16$) columnis binis, lineis graphide ductis diversis manibus seculo XV exaratus. Etenim fol. 60r in margine inferiori scriptum est: *Præcedens quoque et hæc et historia S. Silvestri conscripta per D. Lampertum de Vinia, monachum hujus domus.* Tituli rubricati sunt, itemque litteræ majores pleræque, nonnullæ vero depictæ colore cæruleo.

Folio insiticio in recta parte inscripta est hæc nota : *Iste liber est domus sancti Albani juxta Treverim Ordinis Carthusiensis.* A 38. *Contenta in hoc libro.* Sequitur index. Huic præposita fuit deinde hæc altera nota : *Musei Domus Prof. Societ^is Antverp. 1619 per commutationem* ✠ MS 87. Et hoc signum bis reperitur in membrana interius adhærente tegumento. In codice præter nonnullas sanctorum Vitas ex *Legenda Aurea* desumptas hæc inveniuntur :

1° De sancto Panthaleone martyre (fol. 20r-27r).

Passio edita apud Mombritium, tom. II, stylo subinde mutato.

2° Ex cathalago Sanctorum, Libro primo, capitulo sexto decimo de sancto Albano martyre (fol. 54r-55r).

Vide Petrum de Natalibus loco citato. — Ad finem legendæ addita est manu recentiori nota sequens : *Non est vita patroni nostri sed alterius Albani qui quoque Maguntiæ passus est kalendis decembris in nemore a latronibus.*

3° Vita beati Mathiæ apostoli (fol. 60r-63v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 24 Febr., tom. III, p. 441 sqq. — In cod. uterque prologus prætermissus est, et præterea initium num. 5 (*Anno-apostolus Domini Mathias*).

4° De translatione corporis beati Mathiæ apostoli (fol. 63v-64v).

Editum ibid., pp. 445, 446, numm. 1-4. — Cod. desinit sicut notatum est ibid., annot. *g*, p. 447.

5° De inventione corporis beati Mathiæ apostoli (fol. 64v-65v).

Editum ibid., pp. 446, 447, numm. 7, 8.

6° Miraculum de sancto Mathia (fol. 65v-66r).

Editum ibid., p. 446, num. 5.

7° Exemplum de his qui festum beati Mathiæ apostoli agere noluerunt (fol. 66r-68v).

Refertur prolixa narratione prodigiis multis exornata quomodo ob neglectam S. Mathiæ festivitatem clerici Medeburgenses cum præposito suo Brunone præmatura morte puniti fuerint. Quos de futura Dei vindicta præmonuerat Gero, Coloniensis episcopus, custodi ecclesiæ apparens habitu sacerdotali indutus paratusque ad sacra peragenda, et angelorum ac beatorum multitudine circumdatus. In hac narratione fit mentio de Ottone magno imperatore jam pridem in regna cœlestia recepto et de Henrico rege qui propter injuriam Geroni episcopo illatam adhuc a cœlis exulabat.

8° Aliud miraculum (fol. 68v-69r).

Editum in *Act. SS.*, tom. cit., p. 448, num. 15.

9° Vita beati Silvestri papæ (fol. 69r-94v).

Vita edita apud Mombritium, tom. II. — In cod. inter prologum Mombritianum et ipsam Vitam inserta sunt ea quæ leguntur in *Leg. Aur.* de etymologia nominis Silvestri; et ad finem Vitæ referuntur quæ edita sunt in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 160, ac supra tom. I, pp. 119, 254.

10° Passio sanctarum undecim milium virginum (fol. 93r-100v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Octobr., tom. IX, p. 157 sqq.

11° Legenda S. Severini archiepiscopi Coloniensis (fol. 100v-108v).

Hæc proprius accedit ad legendam de qua actum est supra, tom. I, p. 246.

12° Legenda et passio S. Theodorici (*lege* Theodoriti) martyris (fol. 108v-111v).

Contracta ex Passione edita in *Act. SS.*, ad d. 23 Octobr., tom. X, p. 50 sqq. — Breviator secutus est lectionem codicis Bodecensis.

13° De sancto Kuniberto Coloniensi archiepiscopo (fol. 111v-113v).

Legenda proxime accedens ad eam quæ edita est supra, tom. I, pp. 244, 245.

14° De sancto Heriberto Coloniensi archiepiscopo (fol. 113^{v}-118^{r}).

Contracta ex vita edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Martii, tom. II, p. 467-475.

15° Passio sanctorum martyrum Felicis et Naboris (fol. 118^{r}-119^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 12 Julii, tom. III, pp. 291, 292. — In cod. multæ sunt variantes lectiones.

16° Vita beati Malachiæ episcopi a beato Bernardo abbate (fol. 120^{r}-147^{r}).

Edita in *Act. SS. Hiberniæ*, p. 551 seqq.

17° Vita S. Hugonis Lincolniensis episcopi ordinis Carthusiensis (fol. 147^{r}-167^{r}).

Edita apud Surium ad d. 17 Nov. — In cod. num. XXXIV om.

18° Sequitur de canonisatione ejus (fol. 167^{r}-167^{v}).

Brevissima narratio eorum quæ acta sunt in curia romana pro sancti hujus canonizatione.

19° De ejus translatione (fol. 167^{v}-168^{v}).

Editum supra, tom. I, p. 191 sqq. — In cod. om. § 1 ac § ultima fere tota. Ad finem scriptæ sunt notulæ quædam liturgicæ : *Festum sancti Hugonis agitur* XVII *die novembris. Officium sicut de sancto Martino.* — Sequuntur orationes propriæ de sancto in missa recitandæ.

20° Vita S. Hugonis Gratianopolitani episcopi, edita a venerabili patre nostro Guigone priore Carthusiæ (fol. 169^{r}-184^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Aprilis, tom. I, p. 37 sqq.

CXVIII. Codex signatus n° 8518-20.

Foliorum nunc 154, formæ minoris (0^{m},235 × 0,157), lineis plenis stylo ferreo ductis exaratus seculo X. Litteræ majores minio signatæ; at subinde injuria temporis color evanuit. Fol. 1^{r} in margine superiori legitur hæc nota : *Hunc codicem accepimus ex collegio Molsheimensi per P. Petrum Richart permutatione;* cui continuo subjectum est hoc musei Bollandiani signum ✠ MS 86.

1° Liber de vita virtutibusque sancti Columbani abba-

tis, qui a Jona quodam præceptore editus est (fol. 1r-31v).

Editus apud Migne, P. L., tom. LXXXVII, p. 1011 sqq. — In cod. ob folia excisa initio est mutilus; desiderantur numm. 1-17 cum majore parte num. 18.

2° Versus in honorem sancti Columbani (fol. 32r-33v).

Editi supra, pp. 12, 13. — In cod. sequentia addita sunt :

Nostris solemnis seculi refulget dies inclyta,
Quo sacer cœlos Columba ascendit ferens trophea.
Sed prius quam eum mater in auras lucis ederet,
E sinu solem prospicit terris lumen defundere.
Qui post altus Hibernia, sacro edoctus dogmate,
Gallica arva adiens plebi salutem tribuit.
Ægri sanantur ocius, cautes producit latices,
Piscis in usum præbetur, cedit imber a segete.
Prolem capit sterilis, ales rapinam reddidit;
Farris horreo augetur, abscisa caro sospes est.
Tactus vidit nec cernitur, sentit damna ergastulum,
Fugit pestis ab homine, quam dæmon sævus miserat.
Ligeri scapham retinet, ablata furto prodeunt,
Cæcusque lumen recipit, præbendo cibus augetur.
In escas ales veniunt, feræ jussis obediunt,
Fides patrari conscia novitque poscit omnia.

3° Vita S. Eustasii abbatis (fol. 33v-43r).

Edita apud Migne, P. L., tom. LXXXVII, p. 1045-1046.

4° Vita beatissimæ Burgundofaræ abbatissæ et revelationes quasdam quas *(sic)* in suo cenobio ostensæ fuerant, quod ex regula sancti Columbani construxerat (fol. 43v-58v).

Edita ibid., p. 1060-1084. — In cod. desideratur num. 22.

5° Virtutes beati Bertulfi, qui fuit discipulus Eustasii et Atalæ abbatum, qui in cenobio Tobiensi post Atalam abbas exstitit (fol. 58v-62r).

Edita ibid., p. 1061-1064.

6° Aliquorum fratrum virtutes qui in cenobio Bobiensi manebant (fol. 62r-67r).

Edit. ibid., p. 1065-1070. — Sed a num. 17 ad finem stylus in cod. est satis diversus.

7° Pauca de sancta conversatione et vita militum Christi Audomari, Bertini et Winnoci (fol. 67r-83v).

Sub hoc titulo legitur 1° (fol. 67r-76v) Vita S. Audomari edita ex hoc cod. in *Act. SS.*, ad d. 9 Septemb., tom. III, p. 396-400; 2° (fol. 76v-81r) Vita S. Bertini edita ex hoc cod. ibid., ad d. 5 Septemb., tom. II, p. 586-590; sed in cod. num. 1-5 omm.; 3° (fol. 81r-83v) Vita S. Winnoci edita in *Mémoires de la Société des Antiquaires de la Morinie*, tom. V, p. 200 sqq. — In cod. mutila incipit: *Post obitum* (p. 201, lin. 6 a fin.) ac desinit *ignis impetu* (p. 205, lin. 2 a fin.).

8° Vita sancti Galli confessoris Christi (fol. 84r-151v).

Vita auctore Walafrido Strabo edita apud Mabillon, *Act. SS. O. S. B.*, Sec. II, p. 228-268.

9° De domino Otmaro, abbate monasterii beati Galli confessoris (fol. 151v-154v).

Vita auctore eodem Walafrido, edita ibid., Sec. III, part. II, p. 155. — Sed in cod. ob excisa folia non leguntur nisi prologus et capp. I, II, cum initio cap. III.

CXIX. Codex signatus n° 8536-43.

Hic codex formæ minoris (0m,24 × 0,163) ac foliorum 141 præter insiticium unum initio, constat pluribus codicibus seculo XIII exaratis ac certe jam inde a seculo XVII, quo tempore in museum Bollandianum venit, in unum compactis. Ex his primus, qui continet Historiam Britonum auctore Galfrido de Montmouth, ac secundus, qui complectitur opuscula quædam magistri Hugonis prioris Sancti Laurentii, nitidissime descripti exhibent majores litteras eximia venustate decoratas. Pars hagiologica minori cura lineis plenis exarata titulos habet rubricatos ac litteram initialem haud inelegantem viridi colore depictam et lineamentis rubris ac viridibus nonnihil ornatam.

Si talis qualis nunc invenitur, Bollandianorum factus est, sciri potest ad quos olim pertinuerit. Nam folio 72v sequens nota inscripta est: *Hunc librum dedit magister Martinus de Lyra domui loci Sancti Bernardi. Retribuat illi Deus vitam æternam. Amen. Quicumque eum abstulerit vel aliquid ab eo defraudaverit, noverit se esse excommunicatum. Nec remittetur peccatum, donec restituatur ablatum. Anima Magistri Martini supradicti de Lira datoris hujus pulcherrimæ historiæ per misericordiam Dei requiescat in pace. Amen.* Signum musei Bollandiani **N** MS 16 agglutinatum est membranæ tegumento adhærenti.

1° Passio Stæ Theodosiæ virginis (fol. 129r-135r).

Edita supra tom. I, p. 164-178. — At in cod. subinde quædam sunt omissa vel contracta.

2° Passio beatæ Barbaræ virginis (fol. 135r-136v).

Edita apud Zaccaria, *Dissertationes Latinæ,* tom. I, p. 137-142.

CXX. Codex signatus n° 8550-51.

Foliorum 171 (quorum duo notata sunt n° 127, unde ultimum foliam signatum est n° 170), formæ minoris (0m,21 × 0,15 vel 0,13, a fol. scilicet 111), lineis plenis stylo ferreo ductis non una manu exaratus seculo X. Ad calcem in chartula agglutinata folio insiticio inscriptus est index contentorum a Bollandianis confectus et eodem loco alteri chartulæ minori signum musei Bollandiani ✠ MS 47. Præter Vitas Sanctorum, quarum series infra recensebitur, complectitur codex homilias et cantus quosdam liturgicos neumatibus notatos, ut Præfationes *de assumptione Dominæ nostræ Mariæ matris Domini* et *de transitu beati Martini.*

1° Vita S. Sigiranni abbatis atque levitæ (fol. 1r-11r).

Edita ex hoc cod. in *Anal. Boll.,* tom. III, p. 378 sqq.

2° Vita vel Passio S. Austremonii episcopi et martyris (fol. 11r-17v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Novemb., tom. I, p. 55-61.

3° [Miracula S. Martialis] (fol. 17v-24r).

Edita ex hoc cod. in *Act. SS.*, ad d. 30 Junii, tom. V, p. 553-559.

4° Passio SS. Marcellini et Petri exorcistæ (fol. 24r-26r).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 2 Junii, tom. I, p. 171-173.

5° Vita S. Juliani et Basilissæ (fol. 27r-46v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 9 Jan., tom. I, p. 575-588. — In cod. initio mutila, incipit ab his verbis : *In hoc libro quem videtis...* (num. 7 sub fin.).

6° Passio Stæ Anastasiæ (fol. 57r-78r).

Prior pars edita est apud Mombritium, tom. I, sub hoc titulo : *Passio S. Chrysogoni;* altera in *Bibliothecæ Casinensis* tom. III, Florilegii p. 179-184. Ad finem leguntur quæ edita sunt supra, tom. I, p. 263 *(de S. Anastasia).*

7° Vita sanctissimi Carileffi presbyteri et confessoris (fol. 78r-91r).

Vita de qua actum est supra, tom. I, p. 28, 26°.

8° Vita S. Launomari confessoris atque abbatis (fol. 91r-97v).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 19 Jan., tom. II, p. 230-235.

9° Passio sanctorum Marii et Marthæ, Audifax et Abbachuc, mense Januario die xx, et S. Valentini presbyteri xvi Kl. Marci (fol. 98v-102v).

Edita ibid., ad d. 19 Jan., p. 216-219. — In cod. omm. nnmm. 12-14.

10° Vita sanctissimi Romani confessoris Castro Blaviæ, qui a beato Martino Turonensi presbyter ordinatus ac in fine sepultus est (fol. 102v-109v).

Edita ex hoc codice in *Anal. Boll.*, tom. V, p. 178-191.

11° Passio S. Gordiani, quæ est vi idus Maii (fol. 109v-111r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Maii, pp. 552, 563.

12° Passio sanctorum Johannis et Pauli fratrum, quæ est vi Kl. Julii (fol. 111v-115v).

Edita apud Mombritium, tom. I, sub hoc titulo : *Passio sanctorum Gallicani, Hilarini, itemque sanctorum Joannis et Pauli martyrum.*

13° Passio sanctorum viitem dormientium id est Maximiani, Malchi, Martiniani, Dionisii, Johannis, Serapionis, Constantini, qui apud Ephesum quiescunt (fol. 121r-127v).

Rebus narratis haud absimilis ab ea quæ edita est in *Bibliothecæ Casinensis* tom. III, Florilegii p. 252-259.

14° Hymnus de sancto Andrea (fol. 134r).

Summi regis potentia,
Cuncta disponens secula,
Divina spargit munera
Credentia per pectora.

Quem postulemus supplices
Ut nos visitet desides,
Quo simus apti capere
Donum supernæ gratiæ.

Cujus nitoris schemate
Ornati decentissime,
Laudes promamus inclytas
Andreæ sancto debitas.

Qui per crucis patibulum
Pervenit ad æthereum
Excelsi throni thalamum,
Sanctorum consors civium.

Andrea, Christi famule,
Nostros clamores suscipe
Et tuis sacris precibus
Munda nos culpis omnibus.

Ut luce spiritualium
Resplendentes karismatum,
In corde simus sobrii,
In carne semper liberi.

Tuoque nos precamine
Fac summa cæli scandere,
Quo valeamus cernere
Jesum benignum sedule.

15° Hymnus de Sta Agatha (fol. 134r-135v).

Hymnus auctore Damaso papa editus in *Act. SS.*, ad d. 5 Feb., tom. I, pp. 595, 596, num. 7.

16° Vita S. Abrahæ reclausi (fol. 138r-151v).

Edita apud Rosweydum, *De Vitis Patrum*, p. 134-160 et 368-373. — In cod. omm. capp. XII-XVII (pp. 372, 373).

17° Vita S. Rigomeri presbyteri et Stæ Tenestinæ virginis (fol. 151v-154v).

Edita ex hoc cod. in *Act. SS.*, ad d. 24 Aug., tom. IV, p. 786.

18° [Versus de iisdem] (fol. 154v).

Editi ibid., p. 791. num. 2.

19° Vita Stæ Paulæ (fol. 155v-170v).

Vita auctore S. Hieronymo edita apud Rosweydum, tom. cit., p. 401-414. In cod. mutila desinit in his verbis : *scio ei scriptas infirmitates* (sub fin. cap. XVII, p. 409).

CXXI. Codex signatus n° 8552.

Foliorum 66, formæ minoris (0m,226 × 0,158), lineis plenis graphide ductis exaratus seculo XV. Tituli minio signati sunt. Litteræ majores fere alternis vicibus rubro cæruleoque colore depictæ et ea venustate ornamentorumque delectu conspicuæ, quæ in Belgicis hujus ætatis codicibus offendi solent. Fol. 38v et 39-41 scriptura vacua sunt. Fol. 2r inscripta est hæc nota : *Liber ecclesiæ S. Martini Cortraci* et signum musei Bollandiani ✠ MS 88, quod invenitur et in charta tegumento interiori agglutinata.

Vita beati Fiacrii de Vaucellis Noviomensis diœcesis (fol. 2r-38r).

Edita ex hoc cod. in *Act. SS.*, ad d. 30 Aug., tom. VI, p. 605 sqq.; cfr. p. 602, num. 19. — Sequitur (fol. 42r-66v) Officium liturgicum in festivitate S. Fiacrii peragendum, ex quo nonnulla magis propria ediderunt decessores nostri in Comm. præv., ibid., p. 599.

CXXII. Codex signatus n° 8609-20.

Foliorum 239 (præter insiticia tria), formæ mediæ ($0^m,27 \times 0,178$), lineis plenis ut plurimum (aliquot enim folia in duas columnas divisa sunt) graphide ductis, exaratus ineunte seculo XIV. Tituli plerumque rubricati; in nonnullis quædam voces rubro, aliæ viridi descriptæ sunt, semel admixtus color cæruleus. Eosdem colores adhibuit vermiculator ad ornandas majores litteras, non quidem admodum eximia arte.

Folio ultimo ad calcem inscripta est hæc nota : *Liber Sanctæ Mariæ de Camera. Servanti benedictio, tollenti maledictio.* Initio vero codicis in parte recta folii insiticii : *Hunc ms. codicem qui, ut in fine habetur, olim fuerat monasterii Camerensis emit P. Godefridus a D. Mommartio bibliopola Bruxellensi. Ita est* GODEFRIDUS HENSCHENIUS. Signum musei Bollandiani **P** MS 2 inscriptum chartulæ agglutinatum est tegumento ligneo interiori. Idemque invenitur in parte adversa folii insiticii ac in margine superiori folii 1^r. Idem folium exhibet indicem contentorum. Recentior manus ad singulos tractatus signavit locum quem in cod. obtinet.

1° Vita sanctæ Mariæ Magdalenæ (fol. 1^v-6^r).

Sermo auctore Odone Cluniacensi editus in *Act. SS.*, ad d. 22 Julii, tom. V, p. 218 sqq. — In cod. leguntur tantum numm. 171-181 cum initio num. 182 usque ad : *Reversi sunt ad semetipsos.*

2° Transitus sanctæ Mariæ Magdalenæ (fol. 8^r-11^v).

Edita apud Faillon, *Monuments* etc., tom. II, p. 433 sqq. Post *languores curando* (p. 435, col. 1, lin. 4) leguntur in cod. quæ ibid. edita sunt, p. 445 sqq.

3° De miraculis beatæ Mariæ Magdalenæ (fol. 11^v-15^v).

Tria miracula de quibus fit mentio in *Act. SS.*, tom. cit., p. 224, num. 199, scilicet de sacerdote Cæsaraugustano, de clerico quodam Stephano de Flandria et de Britone erga sanctam devotissimo. His annectitur (fol. 14^r) homilia in festivitate B. Mariæ Magdalenæ legenda. — Narratio miraculorum ita incipit : *Non modicam spem salutis nec parvum suæ caritatis indicium occidentali ecclesiæ Deus omnipotens contulit, cum ipsam beatæ Mariæ Magdalenæ sacratissimi corporis præsentia illustravit.*

4° Adventus sacri corporis verus Mariæ Magdalenæ Jesu fraglantis amicæ (fol. 15^v-25^r).

A fol. 15^v usque ad fol. 18^r, col. 2 reperitur narratio de corporis translatione secundum lectionem cod. Namurcensis 53 (1) cum prima phrasi additamenti editi ibid., tom. II, p. 321. Deinde (fol. 19^r, col. 1 extr.) agitur de comite Gerardo quem

(1) *Anal. Boll.*, tom. I, p. 516, 69°.

Carolus Ludovici regis filius rogavit ut sibi nonnulla donaret de pignoribus beatæ Mariæ; item de multis reliquiis quæ ad cœnobium Vizeliacence delatæ fuerunt. Postea (usque ad fol. 22v, col. 2, lin. 1) referuntur miracula edita apud Faillon, tom. II, p. 735-742. Tandem legitur narratio de qua actum est supra tom. I, p. 242, 42° (*secunda pars*).

5° Vita ancillæ Christi Elyzabeth filiæ regis Hungariæ et dominæ Thuringiæ (fol. 25v-45v).

Edita ope huj. cod. supra, tom. I, p. 398 sqq.

[Miracula ejusdem] (fol. 45v-58r).

Edita ope huj. cod. ibid., p. 425 sqq.

7° Miraculum de sancta Maria (fol. 58r-59r).

Narratur quomodo imago Stæ Mariæ a beato Luca depicta collocata fuerit in templo, quod antiquitus Stæ Agathæ in Turri dicebatur, eoque ministerio Angelorum reducta, quum Sergius papa eam in palatium Lateranense transtulisset.

8° Vita piæ Lutgardis de Aquiria sanctissimæ monialis (fol. 100r-127v).

Vita auctore Thoma Cantipratano edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Junii, tom. III, p. 234-263. — Quæ in edit. num. 7, lib. I, uncinis includuntur, inveniuntur in codice num. 6 annexa. Post num. 4, lib. II, in cod. addita sunt sequentia :

Sed venerabilis Ottho Osnaburgensis episcopus uterinus frater ejusdem Symonis fratri Bernardo retulit hoc idem : cuidam religiosæ personæ in Werslo monasterio ostensum fuisse, quod dictus Symon propter animarum zelum quadraginta annis in purgatorio perstitisset, nisi eum virgo Christi precum instantia liberasset; et in hoc quoque sicut in aliis precibus mira veritas patuit, cum in ore duorum veritatis testimonium stetit.

Tandem inter num. 6 et 7, lib. III, hæc leguntur in cod. :

Eodem anno quinto ante mortem ejus, in vigilia nativitatis Domini cum oraret et non posset secundum solitam gratiam mentem suam ad tantæ solemnitatis devotionem sicut decebat attollere, sibi paululum indignata cum lacrymis dixit : *Si aliquem amicum vel in cœlo vel in terra qui pro me oraret haberem, non possem in tanta solemnitate ita tepida spiritu permanere.* Nec mora, ubi spiritus ejus quasi quodam coruscationis lumine circumfusus incaluit, et ille qui supra, beatæ memoriæ Jordanus, quondam magister, mirifice gloriosus apparuit. Ut autem in vita hilaris et affabilis fuit, ita et nunc vultu jocundo congratulans dixit : *Ecce missus sum ad te ut te in festo isto gratissimo consolarer. Tu autem esto*

jam secura de præmio, quia in proximo est ut a Domino coroneris.

9° Vita beatæ Christinæ de oppido sancti Trudonis, cognomento Mirabilis (fol. 127v-137r).

Edita ex hoc cod. in *Act. SS.*, ad d. 24 Julii, tom. V, p. 650-660.

10° Vita sanctimonialis Aleidis de Scharenbeka (fol. 138r-145v).

Edita ibid., ad d. 11 Junii, tom. II, p. 477-482.

11° Vita ancillæ Christi Idæ sanctimonialis de Rameia (fol. 146r-178r).

Vita edita apud Chrysostomum Henriquez in opusculo inscripto *Quinque prudentes virgines*. Sed in codice non pauca leguntur ab editore prætermissa. Ex his edemus in Append. quæ notatu magis digna visa sunt.

12° Vita Odonis presbyteri viri religiosi atque perfecti omni virtute (fol. 178r-179v).

De venerabili Odone actum est inter Prætermissos ad d. 19 Junii, tom. IV, p. 801. Vita in Append. edetur.

13° Ordo revelationis Elizabeth de Sconaugia de gloriosis sodalibus sanctæ Ursulæ Brittannicæ reginæ (fol. 185r-192r).

Editus in *Act. SS.*, ad d. 21 Octobr., tom. IX, p. 163-172. Sed in cod. om. præfatio Egberti, ac num. 21 inserta sunt quæ referuntur tom. cit., p. 172, annot. *h*.

14° Inventio sanctæ Crucis quinto nonas Maias (fol. 192r-196r).

Edita ibid., ad d. 4 Maii, tom. I, p. 444-448, num. 1-14. In cod. numm. 3, 4, omm. quæ in ea editione uncinis inclusa sunt.

15° In exaltatione sanctæ Crucis (fol. 196r-198v).

Compendiosa narratio eorum quæ contigerunt cum Hierosolymam crux dominica reduceretur, cui præmittuntur encomia de sancta Cruce et prodigia duo ejus virtute patrata.

16° Hæc sunt nomina excellentium personarum, quæ cum sancta Ursula passæ sunt (fol. 198v-199r).

Catalogus multo brevior iis qui editi sunt in *Act. SS.*, tom. IX Octobr., p. 258 sqq., ac pp. 268, 269.

17° Vita sanctæ Margaretæ cujusdam inclusæ (fol. 200r-239v).

De hac virgine Parthenopolitana, quæ vulgo nuncupatur *Margareta Contracta*,

actum est in *Act. SS.*, tom. III Martii, p. 368, inter Prætermissos. Hujus Vitæ auctor fuisse videtur Joannes O. P. (1) — Prologum cum initio Vitæ edemus in Append.

Appendix ad cod. 8609-20.

DE BEATA IDA DE RAMEIA VIRGINE. (Cfr. supra, pag. 221, 11°.)

Incipit prologus in vita ancillæ Christi Idæ sanctimonialis de Rameia.

Gloria Domini et honor Dei omnipotentis est virtuosam electorum ejus conversationem narrando scriptis commendare, ut omnes ad quos lucerna posita super candelabrum luminis sui radios emiserit, ad sublimia virtutum exercitia studeant proficiendo contendere. Temerarium tamen valde est, quod quidam præclaras sanctorum virorum ac mulierum virtutes et fortia opera scribere aggrediuntur, quibus nec ingenium natura, nec eruditionem doctrina, nec orationis splendorem indulget eloquentia. Sicque fit ut cum magnitudinem rerum quas exornare debuerant, verbis nequeant explicare, ariditatem ingenii sui et imperitiam manifestare cogantur. Grandes enim materias, ut ait Hieronymus ad Heliodorum episcopum, ingenia parva non sufferunt, et in ipso suo conatu ultra vires ausa succumbunt.

Quod et mihi evenisse fateri non erubesco, qui nec oratoria clarus eloquentia nec subtilis ingenii mihi conscius, vitam virginis Christi Idæ, quam scribere proposui dignis verbis pronuntiare non sufficio. Ex magna siquidem parte excusat me præceptum abbatis mei, qui me compulit eam simplici admodum stilo declarare. Ad quod agendum non de ingenioli mei insufficientia, sed de Domini præsumo omnipotentia, qui aperit os mutum et linguas infantium facit disertas. Nec mirum si mens mea trepidet hoc incipere, quod vix ad finem perducere possim; præsertim cum admirabilis hujus beatæ conversatio multam materiæ præferat difficultatem; in describendis scilicet sanctis ejus affectionibus, luminosis contemplationibus et omnimodis gratiarum, quibus eam sponsus suus ditaverat; ita ut merito dici possit de ea quia ipsa tamquam lignum secus decursus aquarum fructificavit, et fluentis gratiæ irrigata in altum se tollens, quasi Libanus odorem suavitatis effudit.

Scribam igitur ad profectum sanctæ matris Ecclesiæ et ad confusionem diaboli, quem ancilla Christi potenter superavit. Scribam inquam ea quæ a personis fide dignis audivi, quæ quidem oculis suis viderunt et auribus audierunt, ut obstruatur os loquentium iniqua et Deus in mirabilibus sanctæ virginis operibus glorificetur. Hanc autem dilectæ Christi conversationem scripto commendatam transmitto

(1) Quetif, *Scr. O. Præd.*, tom. I, p. 728; cfr. Colvenerius, *Kalendarium sacratissimæ virginis Mariæ,* tom. II, p. 119v.

omnibus amicis ejus, ut in ea quasi in quodam speculo lucidissimo, redivivam quodammodo videant quam dilexerunt et satagant imitari. Specialiter tamen his, qui eam specialius ceteris dilexerunt et quos specialius ipsa dilexit, censeo transmittendum. Obsecro itaque eos qui lecturi sunt, ut si forte huic nostræ narrationi insolitum quid et auditum * insertum fuerit, temere non reprehendant, sed Deo, cui nihil difficile est totum ascribere curent.

** ita cod.; lege* inauditum.

Cap. I initio post verba, orta parentibus, *in cod. add.:*

Bonis viris et religiosis mulieribus ibidem degentibus consanguinitate proxima fuisse memoratur. Quamvis enim oppidum illud multas utriusque sexus personas intra se contineat, quæ terrenis inhiantes desideriis salutem animarum suarum parvipendant, e diverso tamen nonnullos habet viros in lege Dei timoratos, plurimas virgines Domino devote servientes, quasdam etiam piæ conversationis inclusas, quæ excluso a se toto mundo totas se incluserunt cum Deo, a quo supernæ gratiæ frequenter pabulo reficiuntur, ita ut in hac parte idem oppidum quasi quidam paradisus deliciarum esse videatur.

Ultimo verbo cap. VI in cod. add.:

Scire enim debetis quia sicut dictum est vobis " Mundabimini, qui fertis vasa Domini „ et sicut vobis dictum est " Vos estis sal terræ „ propter sapientiam; ita dictum est vobis " Vos estis lux mundi „ propter munditiam; ut luceant opera vestra bona coram hominibus. Quid dicturi estis Domino in die judicii, quando parochiani vestri fideles viri statuentur a dextris sine fine cum Domino regnaturi, vos autem eritis a sinistris cruciandi cum diabolo et angelis ejus in secula seculorum. Quod tamen avertat a vobis, qui pro nobis mori dignatus est Dominus majestatis. Erubescite igitur et confundamini super detestandis operibus vestris, pœnitentiam agentes de perpetratis malis et omnimodam vobis assumite cautelam de futuris.

Ultimo verbo cap. XVI in cod. add.:

Si quis forte quærat quare tam hic quam alibi sigillo silentii sigillentur nomina personarum quæ narrationi nostræ inseruntur, agnoscat hoc ex industria factum esse, ne si eadem nomina in auribus plurimorum diffusa publicarentur, personæ, quæ adhuc superstites sunt, vel de malorum suorum vituperatione confunderentur, vel de bonorum suorum laudibus extollerentur.

Ultimo verbo cap. XVII in cod. add.:

Quis non obstupescat super his quæ præmissa sunt? Magna quidem sunt hæc et digna memoria: mente scilicet occulta conscientias alienas inspicere, peccata et virtutes, defectus et profectus aliorum agnoscere. Sed rari sunt hodie qui gratiæ hujus donum acceperunt. Quis ergo loquetur potentias Domini et auditas faciat (*sic*) omnes laudes ancillæ ejus? Laudes quippe ejus laudes Dei sunt. Merito quidem: quoniam quidquid gratiæ haurito * bonæ voluntatis, in fonte summæ bonitatis hausit, totum fonti a quo hauserat refudit, cum per mirabilem Deum mirabiles visiones videns mirabiliter vixit. Non sic hypocritæ: non sic qui dæmonum illusionibus seducti vident vana et divinant mendacia, cum tamen æstiment se non illusorias, sed veras visiones videre. Tu autem, virgo Christi, benedicta inter monia-

** ita cod.; cod. Brux. 8895-96:* haurito.

les, age quod agis, operare quod operaris, non sit tibi curæ si quis te subsannet et irrideat, si quis somnum amoris, quo frequenter in mentis alienationem abduceris, ficticium reputet, si quis visiones tuas phantasticas judicet. Curre ad Christum tuum per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, quoniam quidquid adversitatis pro dilecto tuo patieris totum tibi reputabitur ad gloriam.

Ultimo verbo cap. XVIII add.:

Quid agitis, o miseri amatores mundi, quid agitis? Quare tam insensati estis ut apertis oculis curratis ad infernum, properetis ad mortem et mortem sempiternam? Risus vester dolori miscebitur, et extrema gaudiorum vestrorum luctus occupabit. Si possibile esset vobis videre nunc qualis infernus sit, non pateremini vos irretiri laqueis diaboli, qui vos secum in tormentis æternaliter socios habere desiderat. Vultis igitur scire qualis infernus sit? Infernus latus est sine mensura, profundus sine fundo, plenus ardore intollerabili, plenus fœtore incomparabili. Ibi miseria, ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror sempiternus, ibi nulla spes boni, nulla desperatio mali. Talis est infernus et milies pejor, quem qualis sit nullius cogitatus vel sermo comprehendere sufficit. Redite igitur miseri prævaricatores ad cor, et expavescentes ad cruciatus tam horribiles agnoscite Deum Salvatorem vestrum, qui vos ab eisdem cruciatibus redemit in patibulo crucis et vobis delicias sempiternas se daturum promisit, si tamen ad ipsum toto corde conversi legem mandatorum ejus custodiatis usque in finem.

Cap. XIX post verba visitare venerat *(p. 247 med.) add.:*

Numquid de ceteris sororibus ei cura non erat? sed tantum illi soli assistens soli arridebat, solam gratioso aspectu refovebat? Non, sed interdum per refectorium deambulans, nunc isti, nunc illi modicum et modicum se præsentabat, sæpiusque regressus ad illam facie ad faciem morosius ei præ ceteris assistebat. Merito quidem, quoniam ardentiori amore et vehementiori desiderio Deum præ ceteris frequentissime alliciebat, Deo adhærens, Deum in se trahebat et a Deo in Deum tota trahebatur. Sorores in refectorio materiali corporalibus epulis reficiebantur, reficiebatur illa in refectorio amoris, spirituali edulio pascebatur.

Ultimo verbo ejusdem cap. add.:

Nec mirum: ex dulci siquidem visione sibi ostensa magnifice confortata, et, tamquam a dilecto suo poculum ex vino condito accepisset, vehementer inebriata, cum abundantiam suavitatis, qua interius saginata erat, ferre non valeret, vires corporis amisit, sicut ille vir desideriorum, Danielem sanctum loquor, qui cum in specie hominis Dominum, quemadmodum ab eo scribitur, habitu exteriori coram se mirabilem conspiceret, tremens ac stupens dixit ad eum: *Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ et defecit fortitudo mea, nihilque in me remansit virium.* Attendant hæc et erubescant rudes et vere rustici, tam viri quam mulieres, qui cum grossum cor habent, ut ita dicam, et tam copiosam gratiæ suavitatem, qua in excessum mentis sursum elevari possunt, et viribus corporis destituantur, cœlitus non accipiant, sanctiores et vere Deo digniores personas hujusmodi gratiam habentes subsannant et irrident, eisque detrahere non verentur æstimantes eas per excessum contemplationis non obdormire, nec a corpore alienatas impotes

esse sui, sed somno letargico vel potius ficticio prægravari. Sed quid ad me de alienis conscientiis judicare? Judicet potius se ipsum, qui se in hac parte culpabilem cognoscit, nec temere reprehendat omnipotentiam Domini, qui secundum beneplacitum voluntatis suæ quibusdam fidelium suorum privilegiatam præ ceteris dignatur gratiam impertiri.

Ultimo verbo cap. XX add. :

Ex his quæ præmissa sunt perpendi potest, quia sancta devotio virginis hujus magnam ingerit confusionem multis sacerdotali officio præditis, maxime sub habitu religionis, qui quotidie accedentes ad altare ut repræsentent Deo Patri pro salute Ecclesiæ sacrosanctam Unigeniti ejus passionem, dulcia verba quæ in canone recitantur corde arido et sine devotione percurrunt; qui ante dominici corporis et sanguinis perceptionem vel postea, saltem aliquantula contritione corda sua Domino præparare atque sanctificare negligunt. Si dixerint : *Pauperes sumus, non est nobis tanta gratiæ copia, quanta fuit in ancilla Christi Ida,* verum esse non abnuo. Sed tamen cum ad mensam altaris non nisi cum sacrificio piæ devotionis accedendum sit, juste arbitror eorum negligentiæ et torpori deputandum, quod ad hauriendam lacrymarum aquam tepide accedentes, non inveniunt aquam et reportant vasa sua vacua. Petant igitur qui ejusmodi sunt a Domino gratiam devotionis, et quod petierint consequentur; si tamen cum omni instantia toto corde clamaverint ad Dominum, et voluntates eorum a voluntate Dei penitus non discordent.

Ultimo verbo cap. XXII add. :

Nemo igitur ambigat ex illa sancta collocutione et præcipue ex privilegiatis ancillæ Christi meritis candelam tamdiu ministrasse lumen suum nec defecisse, quemadmodum ad orationem Josue sol stetit immobilis in medio cœli, nec declinavit ad occasum donec Israel consequeretur victoriam de inimicis suis. Si cui forte videatur incredibile sponsam Christi tam luminosam fuisse externis, ut clare videret de nocte, respondeat mihi utrum lumen solis, quo in hoc mundo tantum corporaliter fruimur, lumine divino quo animæ interius illuminantur majus minusve sit? Si dixerit lumen solis majus esse lumine divino, quod credere et dicere omnino absurdum est : manifeste contra Deum et ejus omnipotentiam agere videbitur. Cum etiam oculus * animæ, quo spiritualia videntur, oculo corporis, quo videntur corporalia, multo lucidior esse comprobetur. Si vero dixerit lumen solis nullam habere comparationem ad lumen divinum, quod cuncta superiora et inferiora, cuncta interiora et exteriora penetrat et illustrat : tunc procul dubio facile intelliget, nec videbitur ei incredibile Deum qui est summum lumen luminum lumine suo mirabili dilectam suam interius et exterius luminosam reddidisse.

* *cod.* oculis.

Ultimo verbo cap. XXIV add. :

Bonus est vere Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum, qui et hunc servum suum occasione præcedentis visionis hac molestia tentationis liberavit, et ei venerabilis Idæ sanctissimam religionem dignanter declaravit. Et ne quis ambi-

gat vera fuisse quæ prædicta sunt, vir ille cuncta manifestavit cuidam moniali præfati monasterii, quæ Christina vocatur.

Cap. XXV post hæc verba Trinitate dilectam *(p. 262) add. :*

Superstes est usque ad hanc diem hæc persona venerabilis et adhuc existimat se in hac vita diu manere superstitem. Quæ quemadmodum spiritualis et sanctæ conversationis esse dinoscitur multa meruit scire de secretis et revelationibus Idæ dilectæ suæ. De quibus ad præsens aliqua dicenda sunt.

Cap. XXIX præmissa sunt :

Quoniam perpauca de considerationibus vel potius contemplationibus seu etiam de virtutibus venerabilis hujus virginis hactenus in medium protuli, congruum mihi visum est, ut antequam ad gloriosum ejus transitum veniam, multimodam contemplationem, caritatem et compassionem, humilitatem, obedientiam atque patientiam ejus breviter describens, tamquam delicatiora fercula quædam legentibus et audientibus ad consolationem animarum offeram : more eorum qui post refectionem corporum species quasdam odoriferas, sive aliud quid quod palato sapidius esse possit, gustare consueverunt.

Cap. XXXIII post verba periculo versari *(p. 289) add. :*

Deinde subinferens : *O quam libenter*, inquit, *vobiscum gratum adhuc miscerem susurrium, sed timeo ne sorores meæ huc veniant ad me, quarum spiritus meus minime sustinere posset impuritatem spirituum earum, non quod earum abhorream conversationem, cum Dominus et Deus meus me quondam de salute earum certam reddiderit.* Carnales siquidem sorores ejus quæ in proximo domus angulo quiescebant a somno expergefactæ erant. Tunc ancilla Christi item abbatissam monuit, ut a loco a quo jacebat adventantes arceret quoniam sicut ipsa testabatur magnitudo tranquillitatis, quam interius in spiritu suo sentiebat, infirmitatis dolores et angustias eam sentire non permittebat.

Incipit prologus de miraculis ejusdem.

Descripta breviter sancta conversatione virginis nostræ, in qua tamquam in speculo quodam lucidissimo quilibet curiosus inspector vel defectum vel profectum suum valet intueri, cessare proposui ampliora scribere. Sed ecce ultro se ingerunt quædam miracula, quæ vel ad sepulcrum ejusdem virginis vel alibi contigerunt, ut a me scripto commendarentur *. Quamvis enim admirabilis ejus vita sufficere possit fidelibus ad profectum, miracula tamen quæ fortassis ad indicium sanctitatis ejus Dominus operatus est, non patiar infructuoso silentio tegi; quatinus Deus noster omnipotens qui in sponsa sua cum hominibus adhuc conversante mirabilis fuisse prædicatur, post mortem nihilominus mirabilis in miraculorum ostensione prædicetur. **Explicit prologus.**

* *cod.* commendaretur.

DE VENERABILI ODONE PRESBYTERO. (Cfr. supra, pag. 221, 12°.)

Incipit prologus in vita Odonis presbiteri, viri religiosi atque perfecti omni virtute.

1. Deus humanæ salutis amator fideles suos non solum prophetarum apostolorumque præconiis voluit esse munitos, verum etiam eorum exemplis quorum vita fulget virtutibus, ut humani generis insidiator diabolus omni privaretur occasione supplantandi : quapropter quædam de vita et de moribus omni discretione compositis Odonis, viri beatæ memoriæ, per litterarum apices suæ vitæ exemplar affectanti duxi commemoranda ut, quamvis absens esset corporali præsentia, tamen præsens sit suarum * virtutum memoria. Quoniam igitur ejus vita ab ipsis cunabulis erat gratiosa, ab ipsius primævæ ætatis origine narrationis sumatur exordium.

* *cod.* suorum.

Explicit prologus. Incipit vita.

2. Vir igitur venerabilis Odo, a Deo electus suæ ecclesiæ futurus prædicator, genitus a patre litterali scientia non modice erudito, litteris imbuendus traditus est. Qui arrepto itinere intelligentiæ litterarum, cum adhuc esset minimus statura et ætate tener, diversa futuræ probitatis prætendebat argumenta. Clari enim erat ingenii et memoriæ tenacis, humilis magistrorum auditor, et quæ a magistris auribus hauriebat, in pectoris armoriolo memoriter recondebat. Tam pueris, cum quibus puerilia capiebat rudimenta, quam cum quibus conversando florem exegit juventutis, se diligendum exhibuit, ita tamen quod ab illecebris, quibus juvenilis ætas plurimum lacessiri solet, mundus et immaculatus remansisse perhibetur. Cui frater fuerat, Henricus nomine, quantum sinit puerilis ætas in litterarum scientia eruditus, qui non solum ejus frater extiterat ejusdem sanguinis connectione, immo etiam morum conformitate *. Uterque fratrum cum jecisset stabilia fundamenta et ambo, quantum expediebat, in puerilibus essent exercitati, ad majoris scientiæ culmen aspirantes tam causa doctrinæ quam gallici idiomatis Francorum provinciam adire disposuerunt. Illi igitur accepturi licentiam assidere patri diuturno languore devicto et jam morti vicino, qui post reliqua verba exhortationis benedixit filiis, eum amplius non visuris, dicens : *Benedictio qua benedixit Jacob patriarcha filiis suis descendat super vos.* Dein valedicentes patri et amicis Parisius profecti sunt,

* *cod.* conformitati.

3. Postmodum autem comperta morte patris, fulgore scientiæ decenter insigniti repatriantes, in oppido suæ nativitatis commorati sunt. Post hæc Henricus minor natu, gratia divina inspiratus, matre et fratre relictis, attendens illud evangelicum : “ Qui reliquerit „ , et cetera, monasterium quoddam ingressus, habitum monachilem suscepit. Qui suscepto religionis habitu circiter unius * curriculum hujus vitæ itinere feliciter migravit ad Dominum. Memoratus quidem Odo juvenis,

* *supple* post (unius) anni.

accedens ad annos maturos tam scientia quam ætate, scholarum regendarum curam accepit. Hujusmodi officium exercens, divites et pauperes sine exceptione personarum indifferenter instruxit. Si quis bonis moribus et amore discendi se reddidit meliorem, ab eo magis dilectus majoris scientiæ accepit incrementum; ab omnibus quoque, quibus astrictus fuerat contubernio, intimo amabatur affectu. Omnium enim gratiarum largitor eum gratia discretionis illustravit; et sub seculari chlamyde quiddam gerebat divinum in mente. Ecclesiarum omniumque pertinentium ad divinum officium erat amator, cœnobitas quoque et quoscumque religios[os] omni studio conabatur venerari, et religio, quæ tunc temporis ab eo plurimum est dilecta, post hæc eo columna domus Dei existente, a malignitate sanctam ecclesiam perturbantium manet defensa.

4. Vir itaque venerabilis Odo omni conamine nitebatur Christo vivere, et licet esset minus locuples, quantum facultatula sua sinebat *, omnibus manum benedictionis porrigere satagebat. Erat etiam in vigiliis sedulus, in oratione devotus, in caritate perfectus, in humilitate profusus, in doctrina præcipuus et sermone paratus, in locutione cautus, in conversatione sanctissimus, in duris passionibus fortis, gerebat etiam simplicitatem columbæ, licet diversis injuriis plurimum esset afflictus, ne injuriantibus sibi machinaretur dolos, sed eos omni humanitate tolerabat, necnon et serpentinam calliditatem. Contra omnes dolos cautus erat, ne alicujus supplantaretur insidiis. De omni injuria irrogata ei facillime quis veniam impetravit; injurias hominum et honores adeo pro nihilo habebat, ut nec istis gaudendum, nec illis judicaret esse dolendum. Hominum quoque, quorum lingua ad mala loquendum erat erudita, aspernabatur mendacia, attendens illud poetæ: " Conscia mens recti famæ mendacia ridet ".

* *cod.* timebat.

5. Vir ergo Dei, decore virtutum non minime adornatus, Dei officio et divinæ gratiæ nisus compaginari, per successionem temporum sacros ordines suscipiens ad sacerdotii gradum pervenit. Qui magno officio se obligatum intelligens, devote fideliterque sacerdotis jura cœpit exercere, et ne pigritiæ et torporis redargueretur a Domino, talenta sibi comissa multiplicans, semen verbi Dei longe lateque dispersit * et sic multorum corda rivulo suæ doctrinæ irrigata, mundano timori obnoxia ipse, immo Dominus per ipsum, creatori mancipavit divino ; exhortatione manifesta et consilio privato et omni modo quo potuit homines ad bona opera incitavit. De oppidis et de villis circumjacentibus qui ad ipsum causa consilii confluxerant, non solum eis spiritualia, verum etiam quæ a Domino possederat carnalia large impendi desiderabat. Omnibus autem in specula virtutum constitutus, cœlibis vitæ bonis se exhibens *, quod docuit verbis, adimplevit operibus; nec de eo erat dignum dici " Cujus vita spernitur restat ut ejus vita contemnatur *. " Maxime solebat hominum malos mores in publico sermone redarguere, longas fabulationes hominum invite audiebat, locutiones et detractiones referentium sinistra de moribus hominum vel silentio vel duro vultu a se removebat, omne tempus consumens aut orando, aut studendo, aut scribendo, aut legendo, aut consulendo, aut confessiones audiendo, aut prædicaturus sibi prævidendo.

* *cod.* disparsit.

* *supple* exemplar.

* *forsan* verba contemnantur.

6. Rarissime modicam horam diei præteriit quin aliquo teneretur prædicto-

rum, et cum totam diem seriis consummasset, sero quasdam collationes causa recreationis cum domesticis suis habens, hilarem se libentissime exhibebat, et hoc in communi; et alicui de familia sua ex consuetudine secretius confabulari nefas duxit. Erat quoque inter domesticos hilaris, benignus et necessitatibus ipsorum pie subveniens, nec verba quibus aliquis de familia sua posset perturbari proferens. Moribus hominum se quantum licuit conformavit. Erat autem custos pacis omnium etiam minimi, qui sua sustentabatur eleemosina; et sic se ostendens minimorum minimum, magis singulis de familia sua ministravit quam ab aliquo ministraretur. Tanta quoque coangustatus fuerat humilitate, quod cum ab omnibus clericis et laicis, nobilibus et ignobilibus, et ecclesiæ prælatis laudabiliter honoraretur et honorifice susciperetur, quod non puderet se enarrare his qui ignorassent, quanta miseria et paupertate duxisset dies juventutis suæ, quomodo a patre abjectus, a noverca repudiatus apud alienos præ inopia esset hospitatus, et similia in hunc modum.

7. Omnibus modis erat mediocritatis amator, nec se prorsus huic seculo conformans, nec in modo vivendi ab omnibus prorsus discordabat; ab omnibus vita ejus erat suscepta, sed paucissimis cognita. Quicumque vitam considerassent et ipsum ex familiaritate cognovissent, invenissent eum vulgo longe dissimilem. Erat etiam mediocris, modestus in verbis, ne verbis rusticis, vel tumentibus, vel jactantibus, vel aliquo vitio admixtis * temperantiam excederet, nec verbis nimis humilibus magnam prætenderet humilitatem; et opera, quæ poterant fieri in occulto, omnino latenter exercebat. Erat quoque præcinctus ad omnium necessitatibus subveniendum sine respectu terrenæ retributionis. Omnia genera virtutum exercere studuit sine admixtione favoris humani *. In omnibus vero operibus sive exterioribus, sive interioribus solummodo respectum Dei intendebat. In tantum nitebatur obtinere mediocritatem et virtutem temperantiæ, et ambitionis malum vitare, ut aliquando omitteret ea quæ erant de genere bonorum, ne eis peractis magnum nomen acquireret et nimia laude ab hominibus extolleretur, vel non bono fine consummatis nimio opprimeretur opprobrio; et maluit circa licitum et bonum quiescere, quam ultra progredi. Omnemque modum ostentationis prudenter vitabat; in omne genus hominum exercuit opera caritatis.

* *cod.* admixtus.

* *cod.* humanæ.

8. Erat autem claustralibus pius consolator, ut essent humiles, pacifici, patientes, obedientes. Erat enim divina eruditione repletus, religione insignis, morum probitate pollens, contemptor seculi, amator Dei et proximi, cui vivere Christus erat et mori lucrum. Post hæc decidit in infirmitate, unde et mortuus est. Cumque vidisset diem mortis suæ appropinquare, convertit se ad Dominum dicens : *Domine Jesu Christe, pastor bone, commendo tibi oves meas, quas mihi tradidisti ; et nunc per ipsum eas tibi custodiendas committo, ut per meum ministerium habeant ipsum communem pastorem, cui præcipue pascendas oves tuas tradidisti.* Et hæc dicens, ad ultimum hujusmodi effudit vocem ad Dominum : *Domine Jesu Christe, pastor bone, quem semper dilexi, in manus tuas commendo spiritum meum.* Et hæc dicens obdormivit in Domino. Anno igitur ab incarnatione Domini MCCXIII° migravit ex hoc seculo, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et imperium in secula seculorum. Amen.

DE VENERABILI MARGARETA CONTRACTA. (Cfr. supra, pag. 221, 17°.)

Incipit prologus in vita cujusdam inclusæ nomine Margareta.

Quicumque voluerit istum librum legere, prius in corde suo statuat quod Deo nihil est impossibile, quia ipse est omnipotens : et firmiter istud credat, et illud evangelicum memoriter teneat : " Omnia possibilia sunt credenti. „ Si vero dixerit quis : *Non intelligo quæ hic scripta sunt, propter hoc frivola sunt et vana et ea reputo nihil esse ;* quicumque fuerit ille, reprehendat se super cæcitate sua et dicat : linguam græcam eadem ratione et sclavicam et hebraicam nihil esse, quia non intelligit proferentem. Taliter enim se excusans non legit apostolum dicentem : " Divisiones gratiarum sunt. „ Sed quicumque legerit hunc librum, agat gratias Deo bonorum omnium largitori et laudet eum in ista, qui hæc interiora miracula in ea operari nostris temporibus est dignatus. Idcirco non morsus detrahentium tantum formidantes, sed cursus proficientium potius dirigentes, in quantum mei ingenioli exiguitas permittit, vitam cujusdam inclusæ bonæ memoriæ in medium producamus. Ad cujus exemplum nos firmiter stemus, ne corruentes deorsum, terræ per amorem temporalium adhærendo coinquinemur. Ad cujus mentis puritatem nos ipsos tergamus, ne inanium cogitationum mentem ad ima declinantium pulvere sordescamus. Ad cujus intuitum nosmetipsos videamus ne ad inania studia intentionis oculum curiosius flectamus. In multis sanctis nostris temporibus per exteriora miracula est Dominus glorificatus, modo autem vult suam gloriam revelare per interiora miracula quæ interius operatur : ipsi gloria in secula. Amen. **Explicit prologus.**

Incipit vita sanctæ Margaretæ cujusdam inclusæ.

Fuit in civitate Partenopolis quædam persona nomine Margareta quam Deus sibi specialiter præelegit, cum non esset ætatis unius anni, cujus electionis signum fuit quia in eadem ætate eam in membris suis mortificavit. Fecit autem Dominus sicut qui pretiosum thesaurum vult abscondere in sacco vili ut securius servetur. Prædicta quidem persona quidquid in pueritia puerile egit numquam malitiose fecit ; Deus, qui eam elegerat, de hereditate quam sibimet elegerat in terris, illi tribuit abundanter. Hoc fuit pœna, abjectio et paupertas. Postquam illa pervenit ad annos discretionis et cognovit hanc hereditatem pretiosam, ipsam super aurum et topazion adamavit. Tantam namque habuit gratitudinem ad Deum ex hujus hereditatis collatione, quod cor portare numquam potuit et vix sub tali onere respirare. Si eam in utero sanctificasset, non ex hoc majorem gratitudinem habuisset. Mater ejus habuit in domo pauperculam quamdam cæcam. Cum illa ista solebat ecclesiam frequentare. Ista contracta cæcam duxit, cæca autem contractam sustentavit.

CXXIII. Codex signatus nº 8623-6.

Foliorum 151, formæ mediæ (0^m,276 × 0,188), lineis plenis stylo ferreo ductis, exaratus seculo XII. Litteræ majores ac tituli rubricata sunt. Folio 151^v inscripta est hæc nota : *Iste liber pertinet ad Sanctam Mariam Biburch;* fol. 1^r *Collegii Soc^is Jesu, Ingolstadii ;* et in chartula eidem folio agglutinata hoc Bollandianorum signum **O** MS 11, quod etiam inscriptum est fol. 1^v. Continentur in cod. libri de Vitis Patrum, inter quas

1º Vita S. Pauli primi heremitæ edita a beato Hieronymo (fol. 130^v-135^r).

Edita apud Rosweydum, *Vitæ Patrum,* p. 17-20.

2º Historia captivitatis Malchi monachi edita a beato Hieronymo presbytero (fol. 135^r-139^r).

Edita ibid., p. 93-96.

3º Vita sancti patris nostri Hilarionis monachi (fol. 139^r-151^v).

Vita auctore sancto Hieronymo edita ibid., p. 75-85.

CXXIV. Codex signatus nº 8627-28.

Constat duobus codicibus formæ minoris (0^m,194 × 0,133) compactis in unum. Prior foliorum 39, lineis plenis graphide ductis exaratus est seculo XV. Rubricati sunt tituli, itemque litteræque majores, nullo præter primam codicis litteram ornatu insignes. Continet nonnulla ex libris apocryphis Novi Testamenti ut Historiam de Joachim et Anna et de nativitate beatæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ et de infantia Salvatoris, Evangelium Nicodemi et Epistolam Pilati.

Posterior foliorum 58, columnis binis, lineis graphide ductis nitide scriptus pertinet ad seculum XIV. Tituli rubricati sunt, spatium vero majorum litterarum vacuum relictum. In hoc codice continentur tantum homiliæ in sanctorum natalibus legendæ.

Nullam suæ originis notam servat codex.

CXXV. Codex signatus n° 8646-52.

Foliorum 168, præter insiticium unum in capite codicis, formæ minoris (0^{m},263 × 0,166), lineis plenis graphide ductis, seculo XII exaratus. Tituli rubricati sunt, itemque, ut plurimum, litteræ majores, ter quaterve viridi colore depictæ. Ex his nonnullæ ornatu insignes, nonnullæ etiam flexionibus venusta arte circumductis phantasticum animantium caput efformant. In parte adversa folii insiticii, cui agglutinatum est hoc musei Bollandiani signum **P** MS 3, inscriptus legitur contentorum index et sequens

EPITAPHIUM DOMNI EUGENII PAPÆ.

Urbis et orbis honor, sed jam dolor urbis et orbis,
Rector in orbe potens, pulvis in Urbe jacet.
Hoc in vase sacro pia pleni gratia fontis
Gratis infundit munera grata polo.
Magne Deus, dare magna potens, per te fuit illi
Lingua docere fidem, rem dare docta manus.
Angelici mores, devotio, finis honestus
Hunc tibi dant famulum, da requiem famulo.

1° Vita sancti Adalardi confessoris Christi, Corbeiensis ecclesiæ abbatis (fol. 1^{r}-22^{v}).

Vita auctore S. Gerardo, edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Jan., tom. I, p. 111-117.

2° Miracula ejusdem venerandi patris (fol. 22^{v}-31^{v}).

Edita ibid., p. 118-121, numm. 1-19.

3° [Alia miracula ejusdem] (fol. 31^{v}-38^{v}).

Edita ibid., p. 121-123, numm. 20-34.

4° Passio sanctorum martyrum Gentiani, Fusciani et Victorici (fol. 38^{v}-46^{r}).

Edita apud Salmon; vid. supra, p. 17, 38°.

6° Vita sancti Alexis confessoris Christi (fol. 46^{r}-51^{r}).

Edita supra, tom. I, p. 223-227.

7° Vita sanctæ Paulæ a beato Hieronymo conscripta (fol. 51^{v}-72^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 26 Jan., tom. II, p. 712-722.

8° Vita sanctæ Mariæ Ægyptiacæ, quæ est V^{to} idus Aprilis (fol. 73^{r}-90^{v}).

Edita apud Rosweydum, p. 382-392.

9° Vita beatissimi Nicholai episcopi et confessoris (fol. 90^v-119^r).

Edita apud Mombritium, tom. II. — Sed inde a fol. 108^v deficiens a lectione Mombritiana cod. refert.: 1° miracula edita apud Carminium num. XIV-XX (p. 122-124); 2° miracula edita in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 151-156; 3° miraculum edit. apud Carminium num. XXI (pp. 124, 125) cum initio num. XXII (p. 125).

10° Vita sancti Silvestri papæ urbis Romæ (fol. 119^r-167^v).

Edita apud Mombritium, tom. II. — In cod. habentur additamenta de quibus supra tom. I, p. 5, 7°; historia draconis qui in monte Tarpeio latitabat, ac narratio de Constantinopoli condita, edita supra, tom. I, p. 119.

11° Vita sancti Ambrosii Mediolanensis episcopi et confessoris (fol. 167^v-168^v).

Initium vitæ auctore Paulino editæ apud Migne, P. L., tom. XIV, p. 27 sqq.

CXXVI. Codex signatus n° 8653.

Foliorum 132, formæ minoris (0^m,243 × 0,154), lineis plenis graphide ductis, exaratus seculo XIII. Titulus rubricatus est; litteræ majores, haud ineleganter ornatæ, rubro viridive colore (semel cæruleo) depictæ. Fol. 1^r inscripta est hæc nota : *Cornelii Duijn Aëmsteldami* ac paulo inferius conspicitur in chartula folio agglutinata musei Bollandiani signum partim erasum ✠ MS 19[7]; fol. 2^v *Soct^is Jesu Ant. D. P.*, fol. 3^r *Gesta Barlaam et Josaphat,* et in medio : *Liber Cornelii Duijn Aëmstelredamensis. Hagæ Comitis Hollandiæ. Anno Domini MDCVII.*

Gesta Barlaam et Josaphat servorum Dei (fol. 3^v-127^v).

Versio latina Actorum de quibus supra, p. 129, 12°.

CXXVII. Codex signatus n° 8675-89.

Foliorum 120, præter insiticia duo, formæ minoris (0^m,235 × 0,161), lineis plenis stylo ferreo ductis, diversis manibus exaratus seculo XII. Tituli ac omnes litteræ majores, una excepta quæ cærulea est, minio depicta sunt.

Codex olim pertinebat ad abbatiam Formesellensem in Flandria. Quod non ex eo tantum deducitur quod in capite codicis reperiuntur annales ex eodem in

Monumentis Germaniæ (Scr. tom.V, p. 34-36) editi, qui cœnobii primordia referunt, sed ex sequenti nota folio 53v inscripta : *Iste liber est beatæ Mariæ Formezellensis.* Deinde factus est Cornelii Duijn. Etenim in recta parte folii insiticii, præter indicem, Cornelii manu descripta legitur hæc nota : *Liber Cornelii Duijn Aëmstelredamensis Hagæ Comitis Hollandiæ, anno Domini MDCVII.* Tandem devenit in museum Bollandianum ubi signatus erat ✠ MS 76. Quod signum invenitur fol. 1v in margine superiori. Tegumento adhærent hæ, quas Rosweydo Cornelius dedit, litteræ : *D. Herebertum Rosweydum vivere et valere ac salutatione mei memorem esse volupe mihi est. Avidus expecto quidnam ille jam peregerit in sanctorum historiis, vereor ne moli succumbat, aut in tanto opere somnus illi obrepat. Habet unum ex meis tomis Vitarum sanctorum manuscriptorum, litera antiqua, in quo etiam de XI millibus virginum. De quibus scripto didici Coloniensem quemdam aliquid meditari. Vale mi reverende Domine, meique ad altare constitutus velis meminisse. Lator harum est nostri ordinis ac priscæ fidei. Hagæ VI martii 1613.*

T. Rᵃᵉ. in Christo filius CORNELIUS DUIJN J[URISCONSULT]US.

D. cognato meo A. Blommaert item D. van Dam salutem ascribo.

1° De uno miraculo a B. Germano patrato in Britannia (fol. 4r-4v).

Desumptum ex *Hist. Britonum*, auctore Nennio cap. xxx-xxxv (*Monum. Hist. Britan.*, tom. I, p. 63-65).

2° De S. Maria Magdalena hymnus (fol. 29v).

Ineffabilis est, Christe, tua larga gratia :
Non sprevisti pœnitentis munus et obsequia;
Ejus non abhorruisti fletus et suspiria.

Sedes illa septiformis fuerat dæmonii :
Te mundante facta nitens aula sanctuarii,
Peccatoribus existit porta refrigerii.

Ex quo vero tuo jungi meruit consortio,
Tanta perstitit illius erga te dilectio
Quantum satis evidenti patuit indicio.

Ad probandum quod hæc esset diligens,
Præ ceteris huic apparuisti rediens ab inferis
Dum ad monumentum fleret causa tui funeris.

Hujus ergo tam beatæ meritis et precibus
Nostris condescende, clemens rex, calamitatibus.
Multis enim subjacemus vitiorum sordibus.

Patri, Nato Flaminique laus et jubilatio,
Qui virtutum illustravit Magdalenam radio,
Cujus nobis incessanter prosit exoratio. Amen.

3° Vita sancti Augustini episcopi conscripta a Possidio episcopo (fol. 30r-49r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 28 Aug., tom. VI, p. 427-440. — In cod. reperitur epistola de qua annot. *i*, ibid., p. 441.

4° Indicio librorum vel epistolarum ejus edita a Possidio Calamensi episcopo (fol. 49r-53r).

Edita ibid., p. 441 seqq.

5° De sancta Maria Magdalena (fol. 53v-58v).

Officium liturgicum neumatibus notatum quod Formesellenses in festivitate beatæ Mariæ recitabant. Lectiones desumptæ sunt ex Vitis editis apud Faillon, tom. II, p. 437 sqq., ac p. 433 sqq. Hymnus ex parte editus est apud Daniel, *Thesaurus hymnologicus*, tom. I, p. 286.

6° [De beato Leonardo] (fol. 58v-67r).

Vita edita apud Arbellot, *Vie de S. Léonard*, p. 277-289. Vitæ annexa sunt miracula edita ibid., pp. 289, 299 § 1; p. 56-63 (gallico sermone) et p. 292-204, § 4, § 6.

7° [De sancta Fide Agenensi] (fol. 67r-70r).

Passio edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Octobr., tom. VIII, p. 823-835. — Prologus om.

8° Passio undecim millium virginum (fol. 70r-76v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Octobr., tom. IX, p. 157-163. — Sed in cod. omm. numm. 20, 21 et initium num. 23 usque ad : *de perpetua salute præsumens.*

9° Vita sancti Egidii abbatis et confessoris (fol. 76v-83r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Septemb., tom. I, p. 299-303. — In cod. prol. om.

10° [Epistolæ tres Sulpicii Severi de sancto Martino] (fol. 83r-89v).

Editæ apud Migne, P. L., tom. XX, p. 175 sqq.

11° Sulpicii Severi dialogi tres (fol. 89v-120v).

Editi ibid., p. 183 sqq.

CXXVIII. Codex signatus n° 8690-8702.

Foliorum 136, præter insiticium unum in capite codicis, formæ minoris (0^m,22 × 0,135), lineis plenis stylo ferreo ductis, diversis manibus seculo XII exaratus, nisi quod foll. 135v, 136 et aliquot foliorum partes, prius vacuæ relictæ, pertinent ad sec. XV. Tituli, ut plurimum rubricati, subinde constant vocibus alternis vicibus rubro viridique colore depictis. Uterque prædictus color cum cæruleo (sed rarissime) adhibitus fuit ad litteras majores describendas; quæ et ita exornatæ sunt ut jure statui possit non unum fuisse codicis vermiculatorem. Nam in primis

Passionibus litteræ initiales flexibus suis miras animantium formas effingunt; postea ornatus est mediocris. In recta parte folii insiticii Cornelius Duijn, cujus codex erat, indicem contentorum descripsit hac subjecta nota : *Liber Cornelii Duijn Aëmstelredamensis, Hagæ anno Domini MDCVII.* Signum musei Bollandiani ✠ MS 84 reperitur in folio insiticio verso, fol. 1r, et in chartula tegumento interiori agglutinata.

1° Vita sancti Juliani Cenomanensis episcopi (fol. 1r-12v).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 27 Jan., tom. II, p. 762-767.

2° Passio beatissimæ virginis et martyris Caterinæ (fol. 13r-41v).

Edita in *Act. SS. Hiberniæ* ex *codice Salmanticensi* (cfr. supra pp. 126-7), p. 681, sqq.

3° Vita sancti Vulfranni archiepiscopi quod est XIII Kl. Aprilis (fol. 42r-45v).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 20 Martii, tom. III, pp. 145, 146.

4° Passio sancti Vincentii martyris (fol. 46v-54v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 22 Jan., tom. II, p. 394-397.

5° Vita sancti Vulfranni, archiepiscopi Senonicæ urbis (fol. 55r-65v).

Vita auctore Jona, edita apud Mabillon, *Act. SS. O. S. B.*, sec. III, part. I, p. 357-365.

6° Passio sancti Demetrii martyris (fol. 65v-77v).

Passio, quæ explicit fol. 68r, edita est ope hujus cod. in *Act. SS.*. ad d. 8 Octobr., tom. IV, p. 87-89. Subsequuntur miracula quædam edita ibid., p. 104 sqq.; scilicet ex lib. I, capp. I, VI, IX, XI, XIV; ex lib. II, cap. VI. — In cod. narratio est valde contracta.

7° Passio sancti Georgii martyris (fol. 78r-86v).

Hæc Passio, res narratas quod spectat, aliquam affinitatem habet cum Passione edita in *Act. SS.*, ad d. 23 Aprilis, tom. III, p. 117. — In textu codicis tormentorum ordo inversus est ac sævitiæ auctor fuisse dicitur Datianus. Insuper ipsius martyrii narrationi præpositus est prologus sat diffusus in quo tractatur de statu rerum publicarum ac rabie persecutionis in christianos sub Diocletiano imperatore. Incipit : *Tempore quo Diocletianus romani orbis gubernandum suscepit imperium, cum undique res publica multis ac diversis quateretur incommodis, Carausio videlicet per id tempus in Britanniis sumpta purpura rebellante, Achilleo quoque Ægyptum invadente...*

8° Inventio corporis beatissimi protomartyris Stephani ac sociorum ejus (fol. 86^{v}-93^{r}).

Epistola Luciani presbyteri edita apud Surium, ad d. 3 Augusti. — In cod. multæ occurrunt lectiones variantes. In margine adscripsit Papebrochius lectiones variantes codicis cujusdam Metensis antiquissimi.

9° Passio sancti Petri apostoli (fol. 93^{r}-94^{v}).

Fragmentum lib. I *Historiæ apostolicæ* editæ apud Fabricium, scilicet prologus Africani (ibid., part. II, p. 390-392) et num. XVI cum initio num. XVII (p. 430-433).

10° Vita sancti ac beatissimi Machuti episcopi, qui et Maclovus dicitur (fol. 95^{r}-112^{r}).

Edita ab Arthuro de La Borderie in opusculo *Deux vies inédites de saint Malo* (*Rennes,* 1884), p. 131-157. — Sed in cod. multæ notari possunt lectiones variantes, et nonnulla additamenta.

11° Passio sancti Thomæ Cantuariensis episcopi (fol. 112^{v}-120^{v}).

Passio auctore Erardo, edita apud Martene, *Thes. nov. Anecdotorum,* tom. III, p. 1736-1746. In fine add. miracula de quibus supra, p. 178, 2°.

12° [De sancto Clemente] (fol. 121^{r}).

Ultima pars passionis editæ apud Mombritium, tom. II.

13° Vita sancti Taurini Ebroicæ civitatis episcopi (fol. 121^{r}-126^{r}).

Vita auctore Deodato, edita ex hoc cod. in *Act. SS.*, ad d. 12 Aug., tom. II, p. 639-643.

14° Inventio corporis ejusdem sancti (fol. 126^{r}-128^{r}).

Edita ex hoc cod. ibid., pp. 643, 644.

15° Vita sanctæ Crotildis reginæ (fol. 129^{r}-134^{v}).

Edita apud Mabillon, *Act. SS. O. S. B.*, sec. I. Sed foliis excisis desiderantur in codice numm. 5, 6, ac maxima pars numm. 4, 7.

CXXIX. Codex signatus n° 8714-19.

Foliorum 92, formæ minoris (0^{m},237 × 0,156), lineis plenis stylo ferreo ductis diversibus manibus exaratus seculo XI senescente. Ultima folia (88-92), ad sec. XII pertinentia, codici a compactore adjuncta fuerunt. Tituli fere minio descripti sunt, semel præterea ad nonnullas voces adhibitus viridis color. Item minio pictæ sunt litteræ majores, quæ paucis exceptis omni ornatu carent. Ornandi autem modus is est ut litteris animantia repræsententur.

Codex olim erat Marchianensis. Etenim nota sequens : *Liber Sanctæ Rictrudis Marchianensis,* reperitur fol. 1^r, fol. 45^v in margine inferiori et fol. 87^r. Musei Bollandiani signum ✠ MS 56 inscriptum legitur fol. 1^v et in chartula fol. 1^r agglutinata ; sed ibi ex parte deletum est; in eodem fol. 1^r descriptus est contentorum index.

Hæc tantummodo hagiologica in codice leguntur :

1° Vita et miracula sancti patris nostri Basilii archiepiscopi Cappadociæ (fol. 28^r-46^v).

Alia versio Actorum quæ edita sunt in *Act. SS.*, ad d. 14 Junii, tom. II, p. 938 sqq.

2° [Miracula SS. Gregorii et Sebastiani Suessione in monasterio S. Medardi] (fol. 89^r-92^v).

Relatio diversa ab ea quæ edita est in *Act. SS.*, tom. II Martii, p. 749 sqq. Vide Append.

Appendix ad cod. 8714-19.

DE MIRACULIS SS. GREGORII ET SEBASTIANI. (Cfr. hac ipsa pag., 2°.)

1. Inter multa præclara acta, quæ Dominus dignatus est fieri pro servis suis in cœnobio sanctorum Sebastiani, Gregorii et Medardi sub tempore Karoli regis, [* *cod.* menta.] quoddam accidit præclarum miraculum. Cum ipse rex mente * devota ad prædictum locum gratia oraminis accederet suis cum doctissimis capellanis in die exaltationis sanctæ et victoriosissimæ Crucis Domini nostri Jesu Christi, cum cœpissent cum fratribus sermocinari ac diligenter de reliquiis illius abbatiæ per singula perscrutari, responsum est illis a quodam fratre in quadam unum Christi dentulum contineri phylacteria, quem ipse in infantia sua secundum humanitatem mutaverat. [* *prius* nostris *sed erasum.*] Quo audito, ilico pro maximo duxere ludibrio asserentes * nihil in terris post resurrectionem remansisse de Christo. Unde in tantum monachus commotus atque [* *cod.* quo.] derisus est, quod * suum officium irato animo prætermitteret, videlicet alleluia quod succinere debuerat. Quapropter imperator ad eum accedens illius iram et indignationem sedare cupiens, rogabat eum ut gradum ascenderet ac ibi causa sui [* *cod.* abortis.] alleluia caneret. Cui frater obortis * lacrimis est affatus : *Nisi pro sua pietate meritisque sanctorum suorum Sebastiani, Gregorii atque Medardi Deus dignetur nobis hodie revelare utrum vere credo an false, tuis præceptis non obediam, imperator.* Tunc illis Deum deprecantibus, cum maximo splendore stetit phylacteria supra aram sanctæ Mariæ quæ subtus signorum campanarium erat constructa in aere, cunctis astantibus et videntibus et vere Dei Filii dentem confitentibus. Ob quam rem prædictus imperator præcepit singulis annis ab ipso die et deinceps eandem ab omni populo venerari ad laudem et honorem Domini nostri Jesu Christi.

2. Hoc quoque dignum duximus relatu. Karolo imperatore civitatem Lingonum properante cum maximo archiepiscoporum Francigenarum ac Theutonorum comitatu, obviam occurrunt sancti Medardi monachi subnixis precibus imperatorem deprecantes, ut corpora sanctorum martyrum confessorum ac virginum in crypta requiescentia omni veneratione digna ad excelsiora monasterii loca, quod piæ memoriæ Ludovicus imperator suus pater jam ex parte ædificaverat, deveheret. Quorum precibus pius rex inclinatus invitat archiepiscopos et episcopos, quo se ad locum dedicandum cryptæ præpararent. Quo peracto imprimis detulerunt Ebbo Remorum archiepiscopus (1), Rothardus Suessionensium episcopus, Robertus Treverorum archiepiscopus, Henricus Virdunensium episcopus corpora sanctorum Medardi et Gildardi. Postea rex Karolus et Aldricus ecclesiæ Senonicæ metropolitanus, Jonas Aurelianensis episcopus, Rengarius Noviomensis episcopus sanctorum Sebastiani et papæ Gregorii corpora detulere. Quibus advenientibus, prædictorum corpora sanctorum Medardi et Gildardi cunctis videntibus cesserunt partibus, et in societate eos receperunt propria, ubi divina cotidie exhibentur mysteria ad laudem Domini nostri Jesu Christi. Quo viso rex miraculo, laudans Deum in sanctis suis dixit (2) :

Gloriose rex sanctorum,
Tu plasmator seculorum,
Te decent præconia
Odarum magnifica ;

Qui sanctos sic mirificas
Atque virtutibus donas,
Te verbis glorifico
Et in te firmiter credo.

Quis non timebit tuam inedicibilem majestatem? Cœlum turbine versas, universaque gubernans viventes in corpore servans requiescentes in te tuo munere ditatos in promptu assidue miraculis demonstras. Et sicut prædiximus, beatorum corpora propriis humeris serenissimus imperator cum omni veneratione transtulit et insuper villas quæ nuncupantur Carisiacus, Tomacus, Archas in pago Tellao * (3) cum omnibus appendiciis et Bernacam (4) rebus ejusdem ecclesiæ per edictum addidit sub anathemate et astipulamine LX episcoporum qui dedicationi cryptæ affuerant. His ita peractis Remensem urbem petiit. Est et illud miraculum memoriæ commendandum, quod Christi sancta pietas perpetravit in Gallia pro sanctorum meritis Sebastiani et Gregorii papæ in Suessonica valle. Clotharius rex Domino construxit monasterium omni opere ditissimum. Sed non erat fructifera tellus illa,

* *cod.* Te^h^uao.

(1) De hac erronea chronologia cfr. *Act. SS.*, Mart. tom. II, p. 751. annot. *d.* — (2) Frequentia locorum in hoc documento rythmum poeticum exhibentium, quorum nonnisi præcipuos quosque et magis evidentes typis distinximus, satis ostendit hujus chronici scriptorem vel fuisse animo præter modum ad hos lusus propenso, vel ante oculos habuisse primitivum aliquod exemplar saltem magna ex parte rythmice conscriptum. — (3) De Tellao pago (gall. le Talou) in partibus Caletorum vid. Valesium, *Notitia Galliarum*, p. 517. — (4) De istis quatuor locis nulla fit mentio neque in diplomate Caroli Calvi dato anno 870 pro monasterio S. Medardi (*Rec. des hist. de la France*, tom. VIII, p. 628), neque in bulla Johannis VIII pro eodem monasterio data 2ª Januarii 876 (Mabillon, *Ann. O. S. B.* tom. III, p. 631. — Cfr. Jaffé, *Regesta Pont. Rom.* ed. altera p. 387).

sentibus et serpentibus plena. Ibi scirporum maxima abundantia; pro frumento et trimense cardi erant.

Audite vos miraculum,
Sancti patres eximium.

In adventu sanctissimi
Sebastiani martyris
Atque papæ Gregorii
Fugam ceperunt colubri.

Efficitur fructifera
Vallis illa Suessonica;
Efficitur vivifica
Et arborum copiosa *.

* *cod.* copia.

Unde adhuc promiscua
Christo gens refert cantica,
Et cordis in tripudio
Laudes sonant cum organo.

3. Quidam sancti Medardi monachus libidinis igne ardens, famulamine amœnæ vitæ deserto, meretricale opus exercebat noctu. Qui cœnobita vagus et profugus, contagio infandi operis succensus, fratribus intempesta nocte sopitis dimissis, in margine ripæ vestimenta relinquens flumen festinando transnatabat. Postquam carnis voluptatem peregit, ad horas matutinas iter repedavit fratrumque laudibus interfuit. Contigit ergo quod quadam nocte signum pulsabatur antequam rediret. Quo audito, aquæ iter cœpit carpere; et interim præ timore ac nimio oppressus labore, ab hoste antiquo velociter propria est privatus vita. Mane vero facto, venit abbas et fratres cum illo illum fratrem huc illucque perquirentes; et non invenientes mirabantur dicentes: *Quid de nostro fratre est factum?* Interea ejus exuvias erga aquam reppererunt solas absque illius corpore. Tunc requirentes illum per aquam eum statim invenerunt exanimatum; quem ilico in cloaca sepelire fecerunt. Post paululum vero temporis venit angelus Domini in somnis ad abbatem et simul cum eo Sebastianus et papa Gregorius, quos comitabantur sanctus Medardus atque Gildardus cum multitudine sanctorum, qui una ei inquiunt: *Tolle fratrem tuum de cloaca, et in cimiterio colloca inter alios fratres. Nam obedientia tui mortuus fuit.* Bis et ter hoc ei dixerunt, sed illis obedire noluit. Tunc eum fere ad necem verberaverunt, quia illis obedire respuit. Abbas autem perterritus hæc omnia fratribus adnunciavit, confestimque fratrem illum de cloaca eripi * jussit, et summa cum reverentia et hymnis deposuit infra alios.

* *cod.* eriperi.

4. Anno dominicæ Incarnationis DCCCCLIIII (1) Fulchoinus decanus monasterii sanctorum Sebastiani, Gregorii papæ et Medardi, rege Lothario regnante, Remis ordinatur episcopus. Qui sanctorum prædictorum destruens monasterii structuram auream et argenteam, sancti prævaricator juris, prædicto regi ad instar

(1) De hoc Fulchoino seu potius Fulcherio sive Fulchario ita Flodoardus in *Annal.* ad ann. 954 : Fulcharius decanus monasterii S. Medardi Noviomensium Remis ordinatur episcopus (Migne, P. L. tom. CXXXV, p. 481). Cfr. Herimannum, *de Restauratione abbatiæ S. Martini Tornac.* (Migne, P. L. tom. CLXXX, p. 110 num. 94).

suæ effigiei episcopatus causa imaginem dedit. Quare monachi prædicti loci, ira commoti, organum jubilationis in vocem flectunt tristitiæ et mæroris. Prædictus etenim monachus summi et incomparabilis viri Gildardi Rothomagensis ecclesiæ archiepiscopi scrinium miro opere sculptum, quod divæ memoriæ antiquorum dux Northmannorum, Richardus nomine, sancto dederat Gildardo ob remedium animæ suæ, destruxit. Cui beatus Gildardus in somnis apparens ait : *O episcope destructor et non reparator ecclesiæ Dei sanctæ, utquid nostrum destruxisti loculum?* Ille vero expergefactus a somno et tandem ultimo præventus fine termini sui spiritum exhalavit post V menses suæ ordinationis, et sepultus est indignus sancto loco sanctæ Ecclesiæ. O mira res ! dum decantatur capitulum " Abyssus abyssum invocat ", et cetera, ut testatur veridicus et ecclesiasticus ordo sanctæ Mariæ et beati Medardi, terra aperiens os suum degluttivit corpus ejus. Audiant, qui sanctorum res injuste auferunt et eas pro libitu quibus volunt tribuunt. Talibus miraculis divina bonitas sanctos suos glorificare dignatur, ut qui mundo adhuc viventes gloriosi apparuerunt, gloriosiores conjuncti angelicis civibus appareant.

5. Genere nobili natus quidam comes nomine Heribertus, Heriberti comitis magni tyranni filius, divitiarum multitudine pollens atque militibus vallatus, prudentibus omnibus præibat. Ludovico itaque rege Francorum et Aquitanorum communi morte defuncto, Egivam reginam (1) Heribertus comes postea in conjugem accepit pro summa dote. Qui ei tradidit domos, rura, oppida, villas et alia beneficia de monasterio sanctorum Sebastiani, Gregorii atque Medardi. Accidit ergo quod in infirmitatem lecti decidit. Abbas vero sancti Medardi (2), audiens illum appropinquantem ad extremum suæ mortis diem, quantocius ad eum venit. Quo deprecatus est eum, ut redderet quicquid de jure sancti Medardi teneret. Ille malitia plenus, cordis duritia septus, principis sui diaboli ligamine vinctus, hæc omnia denegavit audire. Abbas posthæc, quamquam valde mæstus, ad monasterium est reversus orans Deum ut sua sibi redderet. Nocte adveniente, custodibus adhuc vigilantibus, dæmonum sonitus audiebatur ab eis superius et inferius circa mortuorum sepulchra et per gyrum monasterii, veluti caterva equitum foret, paulisper antequam comes ille Heribertus ministris Satanæ tradidit spiritum. Igitur postquam amisit auram spiraminis vitæ, ad monasterium sancti Medardi a suis militibus plorando simulque tristando corpus ejus allatum est et ibi humatum retro sancti Tiburtii oratorium, ubi dæmonum cuneus de ejus adventu antea lætabatur. In noctis vero caligine venit angelus Domini sanctique Sebastianus, Gregorius et Medardus in somnis ad abbatem una inquientes : *Cur illum omnium hominum sceleratissimum inter alios honestos collocasti mortales? Hic a pueritia mala omnium vitiorum dilexit, scilicet furtum, homicidium, adulterium, rapinas et alia mala. Ob quam rem corpus ejus nocte dæmones abstulerunt et ad Tartareas*

(1) Eodem etiam nomine designatur in *Act. SS.* (Mart. tom. II, p. 750) hæc Eduardi regis Anglorum filia, quæ et Ethgiwa, Ottogeba, Ogiva, etc. dicitur. Est autem tertia Caroli Simplicis uxor, mater Ludovici IV, qui quidem erronee hoc loco mortuus refertur. (Vide Flodoardi *Annal.* ad ann. 951. — Migne, l. c., p. 478). — (2) Odoleus sive Odolenus (*Gall. Christ.*, tom. IX, p. 413).

pœnas deportaverunt, ibique usque ad consummationem seculi cruciabunt. Custodes vero discursum et sonitum dæmonum audientes perterriti atque pavefacti fuerunt quasi mortui. * Diliculo vero surgentes omnibus hæc intimaverunt; abbasque hoc mane haud tradens oblivioni, cum fratribus multa populorum turba vallatus sepulchrum illius adiit, illudque aperientes minime corpus illius invenerunt. Audiant et pertremiscant. qui oblata Domino inique auferunt et quasi sui juris possident.

* abbas vero hoc mane *in rasura.*

6. Anno MXXV, rege Rotberto regnante, contra Fulchoisum (1) Suessionis episcopum Richardus abbas magnum discidium habuit propter abbatiam sanctorum Sebastiani, Gregorii et Medardi, quam episcopus nimio ardore in suo dominio obtinere cupiebat. Cui abbas totis viribus renitens ac prohibens negabat, se vivo, hoc episcopum perficere posse. Sed episcopus tanta mole impressus bona ecclesiæ violenter auferebat, suisque militibus tribuit in beneficio, destruens quæ beatus papa Gregorius constituerat. Interea, dum episcopus in stratu suo quiescebat ac dormiendo spiramina trahebat, sanctus Gregorius apparuit ei et increpans eum his verbis dicebat : *Cur mea meorumque antecessorum confundis decreta? Cur meam inquietas abbatiam? Rogo ut a talibus desistas, ne periculum incurras.* Episcopus statim a somno evigilans cœpit volvere tacitus, unde sibi ista essent somnia; ad ultimum putabat esse vana et acrius cœpit impugnare abbatiam et diabolico instinctu quæque poterat pessundare. Post spatium vero temporis episcopus in infirmitatem decidit corporis ; qui quadam die, dum ad secessum ivit, ibi omnia intestina fudit, ut Ario heresiarchæ contigit.

7. Hoc etiam miraculum temporibus Rotberti regis divina gratia conjugi suæ revelatum est, videlicet Constantiæ. Hæc cum membra sopori dedisset in loco qui dicitur Asinarias (2), beatus Gregorius in somnis ei apparuit, ita eam admonens : *O regina, quousque patieris me nudum ac membra mea vestibus carentia inter meos fratres requiescentia Sebastianum et Medardum, purpureis stragulis decoratos, in loco beatæ Mariæ conditos?* Quo audito Constantia putabat * phantasma sibi fieri per somnium. Tunc secundo accedens vir prædictus et eam increpans dixit : *Cur, regina, meis es incredula verbis?* Adhuc Constantia dubitans atque diu secum volvens unde ista sibi accideret visio, Deum summissis precibus toto flagitare cœpit corde, quo illi revelaret tertio. Hoc pacto tertia vice beatus Gregorius ei apparuit, multum illam increpans atque corrigens ita eam alloquitur : *Quia non credidisti verbis meis, febricitabis usque dum hoc peragas.* Statim regina ad locum accessit cum festinatione, secum tollens pallia et candida vestimenta, ac locum ubi Gregorius papa jacebat ornavit, et statim liberata est a diutino typo morbi meritis ipsius sancti.

* *cod.* putasma.

8. In pago Aquitanico, morbo maximo gravata quædam erat patriota, contracta atque clinica; cui beatus miles Sebastianus et papa Gregorius apparuerunt in

(1) Errat sane hic etiam scriptor noster; siquidem Fulchoisi episcopi (qui et Fulchosius et Fulco) mors referenda videtur ad annum 1018 sive 1019. (Vide Pécheur, *Annales du diocèse de Soissons*, tom. II, pag. 15; Gams, *Series episcoporum*, p. 633). — (2) In *Act. SS.*, l. c., p. 749 vocatur hic locus Lesinarias.

somnis, monentes eam sermone tali : *Quid hic dormitas? Nescis dolens quod jacemus * in Francia penes beati Medardi membra ?*

* penes *in ras.*

Ibi fiunt miracula,
Nescis quanta et qualia.
Vade fidens et propera
Suessionis ad nostra patrocinia.

Mox ut in nostram fueris
Ingressa domum, corporis
tui pristinam recipies sanitatem.

Tunc se a somno excitat,
Et ad Sanctorum properat
limina.
Quæ ut intravit ostium,
Canebat chorus congruum
Salutis ejus canticum :

Salus populi ego sum, dicit Dominus : de quacumque tribulatione clamaverint ad me, exaudiam eos.

Quo dicto hymno, mulier
Erecta surgit ovanter,
laudans Deum et clamans : *Laudate Dominum in sanctis ejus et in firmamento virtutis ejus.*

9. Quendam clericum de contubernio sanctorum Gervasii et Protasii martyrum, ardentem igne maximo, taliter divina Clementia meritis sanctorum suorum liberavit.

Audite, Christi famuli,
Magnum salutis pretium
Atque cunctorum speculum.

Clamat clericus : *graviter*
Ardeo, Christi milites.
Clamant clerici [fortiter] *:
Magno fetore jam fetes.

* *add. ex conj.*

Tolle grabatum tuum et nostrum evacua domicilium. Ad hanc vocem mittit nuntium ad abbatem monasterii beati Medardi, mandans ut sibi subveniat. Tunc abbas convocat monachos. *Eamus,* inquit, *et succurramus clerico, qui tanto torquetur incendio.* Parent dictis et cum crucibus et reliquiis veniunt ad languidum. Deferunt primo brachium beati Laurentii martyris seu dentem Filii Dei. Ad quarum reliquiarum adventum sanus factus surrexit clericus laudans Deum et dicens: *Benedictus Deus, qui facit mirabilia solus.*

10. Et quia se mentio de dente Filii Dei intulit, quid audierimus et viderimus super miracula quæ per eum facta sunt, notitiæ posterorum tradimus. Consuetudinis est ut, quotiescumque ostenditur vel in processionibus defertur, sacerdos alba vel cappa indutus deferat cum lumine vel incenso. Quodam igitur tempore,

feria tertia Rogationum, ut tunc moris erat, in processione delatus est dens. Missa peracta, in redeundo maxima aquæ inundatio facta est. Sed, ut Dominus Jesus demonstraret quid magni deferretur, cunctis aqua madentibus, nec gutta aquæ ferentem attigit. Quo viso, omnes in laudem Dei tantum ac tale miraculum extulit.

11. Accidit etiam ut feria IIII[a] Rogationum dens deferretur, ut diximus, in processione. Quo die apud sanctos martyres Crispinum et Crispinianum (1) statio fit et tunc, ut moris erat, per pontem et per urbem iter nobis erat illuc. In reditu vero ob compendium viæ navis parabatur. Igitur, omnibus expletis, fratres redeunt, navim ascendunt. Dum enim in medio fluminis validi consisterent, et jam ripæ ulteriori appropinquarent (navis enim non remigio gubernabatur, sed fune trahebatur), funis rumpitur, navis pene mersura in gyro rotatur ; fratres acclamant ; fit pro cantu letaniarum vox confusa clamantium et mortis discrimen timentium. Sed statim divina pietas desperatis adest. Sacerdos etenim phylacterium, quo dens Filii Dei continetur, a collo subtractum tenens catenam auream in flumen deponit, statimque navis a gyro quievit, et dentis remigio salva ad litus pervenit, non ligneo adjuta remige nec fune tracta ab homine. Sic desperatis et trepidis spes vitæ reddita est. Sic Deus terret et refovet. Sic sani et incolumes navi egressi, laudantes Deum in operibus suis propria repetunt ; vere dentem Filii Dei confitentur, cujus auxilio a mortis periculo se ereptos gaudebant.

12. Aliquando etiam sanctimonialium quædam salutis remedium per dentem Filii Dei adepta est. Cum enim aperto ore hiaret et auram hiando attraheret, fauces a faucibus exeunt et os apertum quasi patens baratrum relinquitur. Cumque vano conatu et frustra laboratur, ut fauces ad fauces redeant, multaque carminibus apponuntur, nec in aliquo salus provenit, tandem superum auxilii juvamen imploratur, ut ubi vis humana deficit, virtus divina proficiat. Mittunt igitur ad ecclesiam beati Medardi, et ut sibi auxilietur Sanctorum patrociniis, quibus ipsa ecclesia præ ceteris pollet, obnixius efflagitant. Fratres vero prædicti loci infirmitati alienæ compatientes, dentem cum honore ad cœnobium sanctæ Mariæ deferunt, honorificeque suscipitur, indeque ad locum ubi infirma erat, venitur. Cumque limen domus intrant, statim infirma cæleste remedium adesse experta est. Nam subito magno fragore fauces ad fauces redeunt, dentes dentibus consociantur, et os aperiendi facultas et claudendi datur. Stupent omnes et mirantur in his quæ viderant, tam citam et inopinatam medicinam adesse per dentem Filii Dei ; et deinde ad locum suum fratres cum dente redeunt.

13. Alio quoque tempore quidam dæmoniacus, notus omnibus, multa vi suorum adductus est et ante corpora Sanctorum expositus. Qui quo spiritu agebatur, palam erat. Nam dentibus frendens, clamores confusos et stridores emittebat, et quoscumque poterat dentibus discerpere paratus erat. Parentes vero et noti ejus misericordiam Dei et sanctorum ejus obnixe exorabant, et ut dente Filii Dei

(1) De ecclesiis Suessione sanctorum Crispini et Crispiniani nomine dicatis, vide *Act. SS.*, tom. XI Oct., p. 504 sqq.

signaretur fratres loci orabant. Casu missa matutinalis agebatur. Qua peracta, phylacterio allato, sacerdos idem qui missam celebraverat, eum in os insani deponit, et statim a vesania mentis purgatus est. Hostis etenim, tantæ majestatis præsentiam ferre non sustinens, et tamquam ferrum candens expavescens, domicilium quod invaserat, dereliquit; statimque in terram decidit, et in somnum resolutus est. Postea ad domum sanus cum suis Deum glorificans reversus est nec postea hostis vas, quod invitus et coactus reliquerat, repetere ausus est. Nec illud reticendum est, quod non tam præsentes quam etiam absentes magnificentiam virtutis ipsius dentis experti sunt. Nam quotiens remedium salutis si cum fide petitur, per ipsum facile obtinetur; aqua intinctus vel vino ablutus si languentibus potui detur, et ea perfundantur vel febricitantes vinum vel aquam biberint, certum est ipsis remedium provenire per intinctionem et potum salubris haustus. Hæc quæ narravimus partim ab antecessoribus nostris audivimus, partim præsentes vidimus, et sicut virtutis ejus magnificentiam audivimus, sic etiam assidue videmus.

14. Quæ etiam nostris diebus ad laudem et gloriam nominis sui Dominus Jesus meritis beatissimi papæ Gregorii operari dignatus est, silentio abscondere futuris indignum duximus. Quorum tot pene testes sunt, quot ab annis XXX (1) superstites sunt. Cum beatus Gregorius in urbe Roma sub Pelagio papa archidiaconatus fungeretur, ut, quanti apud Deum meriti esset, palam fieret, vel ut correctis et emendatis seu justificatis, defuncto papa, eum Dominus præficeret, Romanam urbem peste inguinaria percussit. Quæ in vulgus ita desævit, ut subtractis habitatoribus domus plurimæ vacuæ remanerent. Sed orante eo ad Dominum,

Sanata est plebs Romana
A peste inguinaria.

15. Simile huic Domini providentia contigit in urbe Suessonica, ut quem Dominus in vita glorificaverat, exutum corpore in eodem miraculo mirabilem cunctis faceret, et locum, in quo requiescit corpore, extolleret signorum magnitudine. Ejus enim precibus urbs Suessonica constare videtur, cujus corporis gleba lætatur et miraculorum signis refovetur; et quoniam flagella Dei quibusdam ad correptionem, quibusdam ad condemnationem contingunt, ut alii resipiscant, alii damnentur, juxta * quod scriptum est : " Flagellat Dominus filium quem recipit „; aliquando plebs Suessonica, culpis exigentibus, a Domino misericorditer percutitur. Sed, intervenientibus meritis beati Gregorii, pie a flagello eruitur, ut de eo libeat dicere : " Factus est reconciliatio in tempore iracundiæ. „ Lues etenim inguinaria divinitus adveniens et ultra modum desæviens pene omnibus mortis interitum minabatur, ut unoquoque die non duo vel tres, sed deni vel viceni aut triceni, sed multo plures pariter interirent, nec languor mortem præveniret, sed languoris moras mors ipsa præcurreret. Quid agerent, ignorabant et

* *cod.* justa.

(1) Cum pestis illa annis 1128 et 1129 accidisse feratur, scribendi initium fecit auctor noster anno circiter 1158, non vero circa an. 1150, ut volebat Ildelphonsus Vrayet (*Act. SS.,* tom. II Mart., p. 749).

quia in talibus humana non subveniunt, divina auxilia expetunt. Accedunt ad clerum, ut infirmi ad medicum, quidque suæ saluti opus sit, afflicti requirunt. Respondet clerus in his maxime valere jejunium et cor contritum, et pœnitentia operum Domini expetere clementiam, et eleemosynis peccata redimere, sanctorumque merita assidue bonis operibus impetrare, et sic de misericordia Dei sperare; et quia maxime lues ipsa mense aprili instabat, quo mense letania major agitur, quo die beatus Gregorius populum Romanum ab ipsa peste precibus liberaverat, incidit cordi ut eo die pro simili peste beatum Gregorium adirent et per eum Domini misericordiam implorarent. Quod omnibus in commune placuit.

16. Mittit igitur episcopus et clerus nobiliores et devotiores cleri ad cenobium beati Medardi, cui præerat vir sagax et providus et fere nulli adæquandus in hoc tempore religione, liberalitate; qui omnes sui habitus gratia collatæ divinitus industriæ excellebat, qui Gaufridus (1) dicebatur, postea Catalaunensis episcopus. Venientes igitur, petitionem cleri, attritionem populi flebiliter abbati depromunt, et ut beatum Gregorium prædicto die ad urbem et per urbem ad repellendam pestem deferant, satis humiliter insistunt; quod fratribus retulit, omnibusque id fieri placuit. Revertentes, vero abbatis et fratrum pium affectum in id agendum pontifici et clero referunt. Inde per decanos ecclesiæ populum omnium ecclesiæ parœchiarum prædicto die adesse commonent, ut precibus et jejuniis seu eleemosynis insistant hortantur, ne simile aliquando patiantur. Prædicto igitur die omnes ad ecclesiam conveniunt, cleroque præeunte cum sanctorum pigneribus ad locum jam dictum conveniunt; fratres autem beatum Gregorium a loco suæ pausationis cum singultu cordis deponunt altarique beatæ Mariæ imponitur, loculoque gestatorio coaptatur. A clero itaque responsorio " Vere felicem „ cum collatione decantato, fratres loci corpus pontificis humeris imponunt; sed statim a clero et nobilioribus populi cum gemitu et rugitu cordis excipitur. Plebs vero undecumque collecta tanta, tam infinita confluxerat, ut nulli pedem movere a loco quo stabat liceret, et ni anterior præcederet, subsequens quasi fixus maneret.

17. In hoc tanto spectaculo cujus cor non compungeretur et ad pietatem non flecteretur, cum nobiles mediocres, milites vulgus promiscuum videres nudis pedibus incedentes, humida facie, expansis manibus, sanctum Gregorium invocantes? Præeunte vero beato Gregorio, subsequitur clerus, deinde monachorum caterva, post universa plebs promiscui sexus et ætatis; deinde ponte fluminis Axonæ transito, adest sanctimonialium religiosa concio, honorificeque ab eis in jubilo vocis invehitur in cœnobium sanctæ Mariæ matris Domini, ibique imprecatur clementia matris, ut pia mater piissimi famuli sui Gregorii meritis et precibus preces fundat pro populo in conspectu pii Filii sui. Inde deductus, ad ecclesiam martyrum Gervasii et Protasii perducitur et ante martyrum * honorifice deponitur. Postea missa in honore ipsius pontificis inchoatur : " Statuit ei Dominus. „ Procedit ad altare episcopus festivis vestibus decoratus; lecto evangelio, jussu episcopi abbas sancti

* *supple* altare.

(1) Sedem Catalaunensem tenuit ab anno 1131 ad annum 1142 (Gams, op. cit., p. 534).

Medardi pulpitum ascendit; sermonem ad populum exorsus est, satis suavi facundia verborum ad pœnitentiam plebem exhortans, ut hòc holocausto Dominum ad misericordiam provocarent, et beatum Gregorium sibi placabilem facerent; nec posse servum domino reconciliari, nec gratiam amici domini, ni a peccato resipuerit, promereri. Quo finito, cetera missæ episcopus prosequitur. Qua percelebrata, cum ingenti tripudio sanctum corpus suscipitur, et per occidentalem portam ecclesiæ exitur; et sic per urbis mœnia circumfertur, divinoque numine, per quæcumque transiit, pestis morbifera propellitur, nec ulterius inibi vim suam exercuit ubi vis divina remedium per dilectum suum exhibuit.

18. Mirum etenim dictu, dum multi in extremis positi soloque, ut moris est morientium, substrati spiritum ultimum traherent, divina virtute meritis beati Gregorii papæ, audito transeuntium strepitu et quasi dolentium fragore, resumpto paulisper flatu vitali, ut poterant, requirunt quisnam ille tantus esset strepitus. Cumque ab astantibus diceretur quod beatus et dilectus Domini Gregorius transiret, quasi de gravi somno expergefacti præ gaudio exclamant : *O Deus, et tu dilecte Domini sancte Gregori, consolator miserorum, adjuva nos;* statimque levamen sentiunt : nam veste reinduti et velut a fauce mortis erepti a lecto surgunt et suo ereptori innumeras gratias referunt. Erectis ad feretrum luminibus, junctis vero genu flexo manibus, sicque ceteris admixti feretrum prosequuntur. Deinde cum omni populo ad locum pausationis suæ cum gaudio spirituali usque deducitur. In atrio itaque templi sedes lignea coaptatur, supra quam collocatur feretrum, ut subtus feretrum populus pertransiens benedictionem tanti pontificis promereatur *, et tanta gratia insignitus ad propria tutus et liber ab hoste revertatur. Quibus transactis, feretrum resumitur, intro refertur et supra aram beatæ Mariæ ponitur ; ubi omnis populus confluxit, ut muneribus et donis ereptorem et protectorem suum honorarent. Veritus autem vir providus jam dictus abbas nomine Gaufridus, ne id avaritiæ et cupiditati posset ascribi, sublato citius feretro, cum honore digno suo restituitur loco, sicque omnes læti ad propria redeunt Deum glorificantes in operibus suis et beatum Gregorium magnificantes per * donum cælestis muneris. Sic deinceps usque nunc meritis beati Gregorii pestis illa in urbe Suessonica quievit, et eodem die, quo a populo Romano vivens in corpore orando pestem inguinariam expulit, ipso die a populo Suessonico eamdem pestem, defunctus corpore, vivens meritis, propulsavit. Unde apud nos præ ceteris sanctis ab omnibus admiratus dulcius nomen ejus recolitur et propensius etiam muneribus et luminaribus honoratur et devotius assidue exoratur. Est et apud nos ejus scyphus *, in quo in festo ejus ab omni populo bibitur; ad quod undique plus quam XX milia hominum sæpe confluunt. De quo scypho expertum est pæne assidue infirmantibus et febricitantibus remedium salutis provenire.

* *cod.* promereantur.

* *lege* propter.

* *cod.* cifus.

19. Prædicta itaque peste in villa episcopali, quæ dicitur Septemmontium, exardescente, iterum per beatum Gregorium divinam opem experti sunt ejus incolæ. Mœnia igitur prædictæ urbis verens attingere prædicta pestis extra ipsius mœnia temptat villarum incolas attaminare. Quæ cotidie magis ac magis accrescens interitum omnibus pæne minabatur. Qui, necessitate mortis urgente, presbyterum

suum adeunt et, quid eis sit agendum, requirunt. Ille vero misericordiam Dei plurimum valere in talibus respondit, sanctorumque auxilium expetendum; et quia beatum Gregorium in his efficacem audierant, eum adeundum præmonet. Illi vero cum irrisione respondent presbyterum magis gaudere de morte quam de vita superstitum ob lucri commodum. Peste igitur nimium exardescente, iterum et iterum a presbytero suo super hoc admoniti, tandem acquiescunt et, ut die certa beatum Gregorium adeant, statuunt. Igitur cum devotione ment[is], presbytero duce, statuta die milites villæ cum matronis et ceteris * promiscui sexus monasterium adeunt. Præmissa oratione, fratres loci convocant; qua peste urgeantur, exponunt. Fratres ergo eos in misericordia Dei sperare admonent et beatum Gregorium in talibus invocandum. Postea scypho beati allato et super altare posito, vinum in scypho ponitur. Ad quem cum oblationibus et devotione cordis accedunt, bibunt, Deo sanctoque Gregorio commendantes se, in misericordia Dei sperantes, secum ex scypho allata aqua redeunt, atque aquam per domos et rura spargunt ac deinceps pestis quievit. Hoc notum omnibus.

* *cod.* ceterum.

CXXX. Codex signatus nº 8721-28.

Foliorum nunc 127, nam mutilus est, formæ minoris (0^m,224 × 0,134), lineis plenis stylo ferreo ductis maxima cura una manu exaratus seculo XII. Tituli ac litteræ majores minio descripta sunt. Sæpe tamen in titulorum vocibus minium ac viridis color vices variant. Subinde littera Vitarum initialis, vario colore et auro insignis, phantastica animantia repræsentat. — Folio 21ʳ sic legitur : *Sequuntur paginæ duæ in specie sanctæ Crucis editæ ad gloriosum regem Karolum.*

In prima pagina (nempe fol. 21ᵛ) *principales versus sunt hi.*

I **a**ccipe, Karle, precor c**a**rmen pietate seren**a** :
II **a**eterno commissa lev**a**s moderamine sceptr**a**,
III **a**urea secla novans t**a**m sacra ornare coron**a**.
IIII **a**ccipe, Karle, precor l**a**udem currente camen**a**,
V **a**rma tenens et signa p**a**rans bonitate seren**a** ;
VI **a**mplius auge operis l**a**udem, poscente Thali**a** *.

* *cod.* talia.

In secunda pagina (nempe fol. 22ʳ) *versus scripti sunt hi.*

I **s**alve, rector ovans, a**e**terno munere fretu**s** ; II
III **s**alve, carus amor, æt**e**rna laude coruscan**s**, IIII
V **s**umito, rex, laudes et **m**etrica vota Miloni**s** ; VI
VII **e**xcipe clementer fa**m**ulum pietatis, amic**e**,
VIII **e**t dextram miserans **m**iloni porrige, Carl**e**.

Fol. 21ᵛ et 22ʳ iidem versus et alii arte scriptoris ita disponuntur ut litteræ crassiores efforment " speciem sanctæ Crucis. "

Signum musei Bollandiani ✠ MS 85 reperitur fol. 3ʳ, in margine superiori.

1° [Argumentum quo tempore natus vel defunctus sit sanctus Amandus] (fol. 1r-2r).

Fragmentum argumenti editi in *Act. SS.*, ad d. 6 Febr., tom. I, pp. 838, 839, num. 110-112. In cod. inc. *imperatores revolvas* (initio num. 111).

2° Sermo (1) legendus in transitu sive depositione ter beati atque gloriosi pontificis Christi Amandi. Celebratur ipsa solemnitas depositionis præfati patris VIII idus Februarii (fol. 2r-8r).

De hoc sermone vid. *Anal. Boll.*, tom. III, p. 169, 6°.

3° Qualiter corpus beati Amandi in loco quo nunc requiescit fuerit translatum et de dedicatione basilicæ ac de ordinatione episcopatus. Celebratur VII Kl. Novembris. Sermo in refectorio legendus in ordinatione sancti Amandi (fol. 8r-13r).

Editus in *Act. SS.*, tom. cit., p. 889-891.

4° Sermo de elevatione corporis beati Amandi, quæ facta est a Hlothario custode anno ab incarnatione Domini octingentesimo nono, a transitu vero prædicti patris centesimo quinquagesimo, die vicesimo mensis Septembris (fol. 13r-17r).

Editus ibid., p. 891-893, cap. I.

5° De igne celesti in memoriam beati Amandi divina virtute mirabiliter accenso (fol. 17r-19r).

Edit. ibid., p. 893, cap. II.

6° Testamentum sancti Amandi (fol. 19v-20v).

Vide *Anal. Boll.*, tom. III, p. 170, 10°.

7° Epistola Milonis levitæ postea presbyteri ad venerabilem patrem Haiminum Christi sacerdotem directam (fol. 23r-23v).

Edita in *Act. SS.*, tom. cit., p. 873.

8° Rescriptum Haimini ad eumdem (fol. 23v-24r).

Editum ibid., p. 873.

9° Vita sancti Amandi confessoris Christi de prosa oratione in heroicum carmen metrico stylo transfusa

(1) *In margine manu recenti scriptum :* Sermo in refectorio legendus in Ordinatione S. Amandi.

habens libellos IIII^{or}, edita a Milone monacho cœnobii ipsius (fol. 24^{r}-55^{v}).

Edita ibid., p. 873-888.

10° Versiculi Wlfai in confirmatione operis (fol. 56^{r}-56^{v}).

Editi ibid., p. 888.

11° Hymnus in laude beati Amandi iambico tetrametro editus (fol. 56^{v}).

Editus ibid., p. 903, primo loco.

12° Hymnus in laude beati Amandi canendus (fol. 56^{v}-57^{v}).

Editus ibid., secundo loco.

13° Miraculum in ecclesia sancti Amandi infra urbem Rotomagensem ejus intercessionibus factum de muliere, quæ se laqueo interemit et Christi subveniente gratia iterum vitam recepit (fol. 59^{r}-62^{r}).

Editum ibid., pp. 902, 903.

14° Vita sancti ac beatissimi patroni nostri Martini episcopi et confessoris (fol. 63^{r}-79^{v}).

Vita auctore Sulpicio Severo edita apud Migne, P. L., tom. XX, p. 159 sqq.

15° [Sulpicii Severi epistolæ tres] (fol. 79^{v}-86^{r}).

Editæ ibid., p. 175 sqq.

16° [Sulpicii Severi dialogi] (fol. 86^{r}-121^{v}).

Editi ibid., p. 183 sqq.

17° [Lectiones de S. Martino] (fol. 121^{v}-123^{v}).

Constant cap. XLIII lib. I *Hist. Franc.*, capp. IV, V lib. I *De miraculis s. Martini.*

18° Sermo de translatione ejusdem sanctissimi patris (fol. 123^{v}-124^{r}).

Vid. supra, p. 202, 7°.

19° Homilia in festivitate sancti Martini episcopi et confessoris (fol. 124^{r}-127^{r}).

Vita S. Martini auctore Alcuino, edita ap. Migne, P. L., tom. CI, p. 657-662.

20° Vita S. Briccii episcopi et confessoris (fol. 127^{r}-127^{v}).

Edita apud Surium ad d. 13 Novembris ; in cod. mutila est.

CXXXI. Codex signatus n° 8729-31.

Foliorum 135, formæ minoris ($0^{m},282 \times 0,133$), lineis plenis graphide ductis exaratus seculo XV. Tituli rubricati. Majores litteræ, variis coloribus venustoque ornatu decoræ, ut plurimum alternis vicibus rubro cæruleoque depictæ sunt. At initio Vitarum præstantior est ornandi modus, ibi et auro splendescunt litteræ et sertis circumcirca ductis margines decorantur. Tabulæ quoque tres haud ineleganter delineatæ inveniuntur in codice; quarum prima et tertia totum folium complent, secunda est dimidio minor. Tres repræsentant partem ecclesiæ sub cujus arcubus stat virgo quædam nimbo aureo redimita virginumque agmine circumdata; coram qua flexis genibus junctisque manibus preces fundunt fratres Carthusiani, pone quos astat S. Joannes Baptista. In prima tabula, requirenda initio in parte adversa alterius folii signo numerico carentis, virgo quæ in vota vocatur; esse videtur beata Ursula, ut conjici potest ex cœtu virginali quem pallii sui fimbriis involvit; in secunda, requirenda folio 42^{v}, ex gladio et rota dinoscitur S. Catharina; in tertia, requirenda fol. 76^{v}, ex turri S. Barbara.

In recta parte folii prioris nullo numero signati manu seculi XVII descriptus est index contentorum, quem jam pridem et ampliorem ipse codicis scriba conscripserat in recta parte folii subsequentis. Signum musei Bollandiani ✠ MS 93, invenitur in folio chartaceo membraneis insiticii instar præposito, ac sequens nota : *Pertinet ad Carthusienses prope Trajectum inferius,* in margine folii 1^{r}.

1° Revelatio nova itineris et passionis XI milium virginum (fol. 1^{v}-29^{v}).

Liber I Revelationum B. Hermanni Josephi editus in *Act. SS.,* ad d. 21 Octobr., tom. IX, p. 173 sqq.

2° Legenda et passio sanctarum virginum undecim milium (fol. 29^{v}-42^{v}).

Edita ibid., p. 157 sqq.

3° De sancta (1) Katherina (fol. 43^{r}-75^{v}).

In cod. referuntur sequentia documenta : 1° Prologus in Passionem beatæ virginis editus in *Act. SS. Hiberniæ,* pp. 681, 682; 2° Historia ortus ac conversionis ejusdem licet stylo contractior, rebus tamen similis narrationi de qua supra, p. 162 sqq.; 3° ipsa Passio edita in *Act. SS. Hiberniæ,* p. 682 sqq.

4° Historia beatæ Barbaræ virginis (fol. 76^{v}-108^{r}).

Historia de qua supra, tom. I, p. 382, 2°.

(1) *Ibi fol. 75^{v} add. :* sumptum ex libro gestorum nobilium quem Petrus Ravennas asseritur edidisse.

5° De translatione beatissimæ virginis et martyris Christi Barbaræ (fol. 108r-113v).

Relatio duplicis translationis de qua ibid., p. 382, lin. 8 a fin.; cfr. pp. 392, 393.

6° Sequitur ex innumerabilibus quædam miracula de beatissima virgine et martyre Christi Barbara Domini præelecta sponsa (fol. 114v-131v).

Ea miracula de quibus ibid.

7° Miraculum pulchrum post Passionem gloriosæ virginis Katherinæ legendum (fol. 131v-133v).

Primum miraculum de quo actum est supra, p. 156, 3°.

CXXXII. Codex signatus n° 8751-60.

Foliorum 208, formæ minoris (0m,204 × 0,14), lineis plenis, titulis ac litteris majoribus rubricatis, anno ut videtur 1442 exaratus. Hic enim annus ter in codice signatus videlicet: 1° fol. 137v: *Finita in octava Sacramenti anno 1442 quæ erat tunc VII Junii;* 2° fol. 154v: *Finita in Divisione apostolorum anno Domini 1442 per manus fratris cujus nomen scribitur in cœlis per merita sanctissimæ Dei genitricis et Margaretæ virginis hujus;* 3° fol. 179v: *Finita ipso die Magni martyris anno Domini 1442.* Ad hunc tamen annum totus codex referri nequit. Nam inter fol. 182 et fol. 195 (erronee notatum 186) ponuntur folia 12 binis columnis lineis graphide ductis descripta seculo XIV; nec semel numerus foliis inscriptus cum vera serie non convenit, nam præterquam quod initio codicis folia duo numeris carent, numeri 68, 106, 121 bis scribendi sunt, immo ter 137. Animadvertatur etiam inde a fol. 122 membraneis chartacea immixta esse.

Initio codicis in parte adversa prioris folii nullo numero signati cum indice contentorum ac musei Bollandiani signo ✠ MS 50, invenitur hæc nota: *Scriptus est hic codex a° 1442, uti notatur pag. 179v. Sed fortasse de solius Stæ Amelbergæ V. vita ejusque compositione intelligi debet.*

In recta alterius parte descriptum est stemma genealogicum a Karlomanno, " principe illustri Brabantiæ „ ad filios Ludovici Pii imperatoris. In verso notæ quædam chronologicæ ex *Speculo historiali* desumptæ, quæ fere omnes spectant ad S. Gertrudem ejusque familiam.

Tandem fol. 203v hoc scriptum est: *Liber monasterii S. Pauli in Zonia.*

1° Vita Stæ Gertrudis (fol. 1r-43v).

Vita de qua actum est supra, tom. I, p. 595.

2° Conversio Othgeri ordinis S. Benedicti (fol. 43v-45v).

Contracta ex narratione edita in *Act. SS.*, tom. XII Octobr., p. 620 sqq.

3° Epistola sancti Ambrosii episcopi de inventione corporum beatorum martyrum Gervasii et Prothasii (fol. 45^{v}-49^{v}).

Edita apud Migne, P. L., tom. XVI, p. 1019 sqq.

4° Vita beatæ Katherinæ virginis (fol. 50^{r}-67^{v}).

Edita in *Act. SS. Hiberniæ*, p. 681 sqq.

5° Conversio sanctissimæ virginis et martyris Christi Katherinæ (fol. 68^{r}-70^{r}).

Narratio stylo tantum diversa ab ea, quæ edita est supra, tom. I, p. 105. — Incipit *Benedictus Deus ... apparet in virgine Katherina* (supra, p. 164, lin. 21-24).

6° Vita sanctissimæ virginis et martyris Christi Barbaræ (fol. 71^{r}-89^{r}).

Vita de qua in cod. præc., 4°. — Finito prologo, sequens nota in cod. add.: *Hanc historiam sequentem beatissimæ Barbaræ fertur collegisse vel compilasse quidam, cujus portio sit in terra viventium, nominatus Johannes de Wackerzele, sacræ Theologiæ professor, ordinis Fratrum Heremitarum sancti Augustini, sicut etiam clare patet ex prologo præcedenti.*

7° De corporis sacratissimi translatione beatissimæ virginis et martyris Christi Barbaræ (fol. 89^{r}-91^{r} et 92^{r}-92^{v}).

Duplex translatio de qua supra 5°.

8° Sequuntur ex innumerabilibus quædam miracula de beatissima virgine et martyre Christi Barbara (fol. 91^{r}-91^{v} et 93^{r}-106^{v}).

Referuntur eodem ordine ea miracula quæ leguntur in cod. præc., 5°; add. insuper quinque prodigia, quæ stylo mutato edita sunt apud Muller.

9° Vita S^{tæ} Aldegundis virginis (fol. 107^{r}-111^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 30 Jan., tom. II, p. 1035-1040.

10° De vita et conversatione S^{tæ} Rayneldis virginis (fol. 112^{r}-114^{r}).

Edita ex hoc cod. in *Act. SS.*, ad d. 16 Julii, tom. IV, p. 176 sqq.

11° Passio sanctarum undecim milium virginum (fol. 115^{r}-121^{v}).

Edita ibid., ad d. 29 Octobr., tom. IX, p. 157 sqq.

12° Relatio nova itineris et passionis XI milium virginum (fol. 122^{r}-137^{v}).

Liber I Revelationum B. Hermanni Josephi edit. ibid., p. 173 sqq.

13° Vita et conversatio sancta ac devota præclaræ virginis Margaretæ de Ypris (fol. 138r-154v).

Vita de qua supra, tom. I, p. 389, 32°.

14° Passio Stæ Eulaliæ virginis (fol. 155r-156r).

Edita supra, tom. I, p. 261-263.

15° Passio Stæ Domitillæ virginis (fol. 156v-160r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 12 Maii, tom. III, p. 6-13.

16° Vita Stæ virginis Christi Amelbergæ (fol. 161r-175r).

Edita ex hoc cod. in *Act. SS.*, ad d. 10 Julii, tom. III, p. 90 sqq.

17° De translatione sacratissimi corporis almæ virginis Christi Amelbergæ (fol. 175r-177v).

Edita ex hoc cod. ibid., pp. 103, 104, num. 48-55.

18° Sermo * domini Radbodi, sanctæ Trajectensis ecclesiæ episcopi, de vita ac meritis paradoxæ virginis Christi Amelbergæ (fol. 177v-179v).

* *in marg.* thomellus.

Editus ibid. ex hoc cod., p. 88 sqq.

19° Legenda Stæ Waldetrudis electæ (fol. 195r-203v).

Legenda de qua supra, tom. I, p. 386, 24°.

CXXXIII. Codex signatus n° 8794-99.

Foliorum 71 præter chartacea quatuor tam in initio quam in fine codicis, formæ minoris (0m,124 × 0,175), lineis plenis stylo ferreo ductis nitide descriptus seculo XII. Tituli rubricati sunt; litteræ majores nonnihil ornatæ rubro viridique colore depictæ sunt. Folio 1r in margine superiori reperitur hæc nota : *Soctis Jesu Ant. D. P.* et signum musei Bollandiani ✠ MS 38, quod repetitur in chartula tegumento agglutinata et in parte adversa folii papyracei quarti ; ubi cum indice contentorum hæc leguntur : *Ex domo G. Camdeni.*

Probatio Gisleberti abbatis Westmonasterii de illa peccatrice quæ unxit pedes Domini (fol. 37r-43r).

Hæc disputatio, quæ statuit non tres sed unam tantum esse Mariam, videtur inedita. Inc. *Dilecto atque diligenti sanctæ Sagiensis ecclesiæ monacho et cantori R. frater G[islebertus] abbas Westmonasterii, quæ præparavit Deus diligentibus se. — Ad ea quæ per litteras me interrogasti jussus tuoque jussu coactus respondi, etsi non sufficienter, non tamen omnino extra rem aut inconvenienter. Libellus in*

manus tuas incidit in quo libelli auctor approbare satagit quia tres sint feminæ, non una.

CXXXIV. Codex signatus n° 8860-67.

Foliorum 77, formæ minoris (0^m,15 × 0,118), lineis plenis stylo ferreo ductis exaratus ineunte seculo XI. Tituli ac litteræ majores minio descripta. Signum musei Bollandiani ✠ MS 22 inscriptum est fol. 1r ac fol. 2r in chartula membranæ agglutinata.

Inter varia carmina in cod. contenta hæc notanda videntur :

1° De sancto Johanne (fol. 30r-31v).

Inc. Amicus sponsi magno gaudens gaudio,
Sponsam habentis castam in conjugio,
Sanctus Johannes Baptista ad Dominum
Deum pro nobis exoret altissimum.

Des. Zachariana proles primum Dominum
Roget pro nobis regnantem in seculum.

2° De obitu Karoli (fol. 39r-40r).

Editum in *Recueil des Hist. de France,* tom. V, pp. 407, 408; cfr. Édélestand du Méril, *Poésies latines antérieures au douzième siècle,* p. 245.

3° Hymnum Eulogii diaconi (fol. 52v-53r).

Fragmentum hymni Aurelii Prudentii editi apud Migne, P. L., tom. LX, p. 422, inde a versu 142.

4° Hymnus in sanctorum XVIII martyrum Cesar Augustarum (fol. 53r-56r).

Hymnus auctore eodem Aurelio editus ibid., pp. 357 sqq.

5° Hymnus in honore beatissimorum martyrum Fructuosi episcopi ecclesiæ Terraconensis et Augusti et Eulogii diaconi (fol. 56r-56v).

Hymnus fere similis hymno de quo sub 3°.

6° De sancto Quintino martyre (fol. 65r).

Militem Christi pariter canemus
Quintinum sacris meritis coruscum,
Hymnidicas Deo resonando laudes
Carminis Almi.

Adsto nuntius oculis cruentis,
Sed manu Christi moderante cuncta,
Victor in pœnis penetravit terras
Sorte reorum.

Roma quem dudum genuit, triumphis
Pressa jam Christi meritisque docta
Martyrem sed nunc coronante Christo
Gallia tenet.

7° De sancto Stephano martyre (fol. 69v-70r).

Inc. Christus est vita veniens in orbem,
Mortis occasum patiens acerbæ
Mortuis actu pietatis usu
Vivere donat.

Des. Gaudia psallat chorus et resultet :
Gloria Dei canat et revolvat,
Nomine trino Deitati soli
Sidera clament.

8° De sancto Martino episcopo (fol. 70v-71r).

Inc. Christus rex noster, via lux salusque,
Qui piis dignam tribuis coronam
Da tuum vatem famulis sonora
Pangere laudem.

Des. Solve nunc amplis meritis precamur
Criminum nexos bone dux revinctos
Quo tibi lucis sociemur arce
Semper in ævum.

9° Item de sancto Martino episcopo (fol. 71r-71v).

Inc. Venerabilem virum et cunctis per orbem decorem videte quam charitatem exhibet cunctis ; more fraterno nos diligit omnes ; diligat et amet eum Deus in regno cœlesti.

Des. Martine quæso gloriose Domini confessor deprecare Deum ut pro delictis veniam percipere queat.

10° De sancto Petro apostolo (fol. 73v-75r) (1).

Inc. Beatus Christi famulus
Petrus quoque apostolus
Insignis ac præcipuus
Christi amore agnitus.

Des. Discipulorum singuli
Arietesque * (2) optimi, (* *cod.* arietisque.)
Victa * mundi superbia, (* *cod.* vita.)
Nunc fruunt magna gaudia.

Sequitur doxologia.

(1) In marginibus foliorum 74v-76v scriptæ sunt nonnullæ antiphonæ ac versiculi neumatibus notata dicenda in festivitate sancti Othmari abbatis. — (2) Cfr. Cassiod. Expositio in Psalm. XXVIII, 1. (Migne, P. L., tom. LXX, p. 198.)

CXXXV. Codex signatus n° 8873-78.

Foliorum 86 formæ minoris (0^m,155 × 0,11), lineis plenis stylo ferreo ductis diversa manu exaratus seculo XII. In titulis minio aliquando admixtus est viridis color ; uterque etiam color adhibitus fuit ad litteras majores depingendas. Musei Bollandiani signum ✠ MS 35 reperitur fol. 1^r in margine superiori ac fol. 2^r in chartula membranæ agglutinata ; tandem fol. 86^v in margine inferiori hæc scripsit Henschenius : *Hic libellus videtur missus a Camdeno ad Heribertum. Vid. III Febr. ad Vitam Werburgæ.*

1° Passio sancti Eadmundi regis et martyris, quæ est XII Kl. Decembris (fol. 1^v-22^v).

Passio auctore Abbone abbate Floriacensi edita apud Migne, P. L., tom. CXXXIX, p. 507 sqq.

2° Vita S. Alexii confessoris, quæ celebratur XVII Kl. Julii (fol. 23^r-33^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 17 Julii, tom. IV, pp. 251-253.

3° Vita S. Silvini episcopi et confessoris (fol. 33^v-40^v).

Edita ibid. ad d. 17 Febr., tom. III, p. 29. — In cod. mutila desinit : *in frontibus eorum* (num. 12, init.).

4° Vita S^tæ^ Werburgæ virginis (fol. 43^r-58^v).

Vita auctore Goscelino edita ex hoc cod. in *Act. SS.*, ad d. 3 Febr., tom. I, p. 386 sqq.

5° Illatio S. Benedicti abbatis, pridie nonas Decembris (fol. 59^r-72^r).

Relatio Diederici monachi, qualis legitur apud Joannem a Bosco in *Floriacensi Bibliotheca,* parte I, omissa præfatione et cap. I. Incipit cod. a cap. II *Temporibus Carlomanni,* desinit autem paulo ante finem libri, medio nempe cap. X, ultimis verbis aliquantum mutatis.

Sequitur narratio satis prolixa tentaminis monachorum Cassinensium, ut corpus sancti Benedicti recuperarent ; eadem est quoad substantiam, quæ narratur ab Hugone Floriacensi, Matthæo Parisiensi cet., nisi quod non Karlomannum, sed *Sigebertum Pipinni regis filium* hujus conaminis auctorem fuisse perhibet. — Vide Append., num. 1.

Inde referuntur duo miracula a beato Benedicto in gratiam monachi cujusdam Christiani patrata (Append., numm. 2 et 4), inter quæ inseritur miraculum ab Aldrevaldo Floriacensi cap. XXII lib. II *de miraculis Sancti Benedicti* prolatum, initio tamen diverso, fine mutilo.

Tandem leguntur duo miracula, quæ in crypta beati Benedicti Adebaldus et Aldegarus monachi sunt experti (Append., numm. 5 et 6).

6° Passio x milia martyrum (fol. 73^r-86^r).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 22 Junii tom. IV, p. 182 sqq. Cfr. num. 6, p. 176. — Passioni subjuncta est in cod. Missa dicenda in vigilia et in festo die eorumdem martyrum.

Appendix ad cod. 8873-78.

DE S. BENEDICTO. (Cfr. supra, pag. 257, 5°.)

1. His vero tam pio labori insistentibus, contigit eodem anno Sigebertum Pipinni regis filium quatuor regnorum participatione privatum, videlicet Italiæ, Germaniæ, Galliæ atque Burgundiæ, in Cassini castri monasterio ob intuitum retributionis vitæ æternæ sanctæ conversationis habitum accipere, et sese monasticæ disciplinæ more regulari devotissime substernere. Cumque jam in provectu piæ conversationis haberetur, comperit beatissimum patrem Benedictum in Gallia translatum seque tam beata spe defraudatum, pro qua cetera parvi pendens cœnobia, eidem cœnobio se specialiter contulit. Quod nimio animi angore ferens epistolam lacrimabili querimonia plenam memorato regi germano suo Karlomanno direxit, quatinus factor justitiæ existeret et absque refragatione aliqua beatissimum monarchem Benedictum, quem Floriacenses monachi, uti sibi finxit, furtim vendicaverant, publica veritate per præsentes suos conviolos cum digno honore transmitteret. Quibus rex auditis, nimium cœpit animo æstuanti perturbari et captus utrinque hæsit, quid mallet. Nam et fratris petitionem implere et tamen Floriacum conatus est tanta dote non destituere. Cumque morosius legatos secum detinuisset, convocatis ad se episcopis et primatibus regni, jussit præfatam epistolam in totius concilii auribus recitari, quatinus prudenti consilio uteretur ita, ut nec fratrem, ut dictum est, contristaret, nec tamen regnum tanto honore privaret. Quo soluto consultu, tres episcopos Floriacum potestative direxit, qui maxima cura partem non modicam sanctorum pignerum Cassinensibus monachis propter compassionem fratris transmitterent, et cetera loci solatio remanerent. Sed quoniam non est sapientia, non est consilium contra Dominum, biduo statutum adventus illorum diem Floriacensibus innotuit fratribus. Jam quippe annus fluxerat, quod sanctum Domini de Aurelianensibus laribus asportaverant, et annuum expectabant diem, qui est pridie nonas decembris, ut recollocarent eum in loco debito. Et ecce cum innumera multitudine episcopi [et] * Cassinenses legati supervenere, ut quantocius jussa regis complerent.

* *hic verbulum erasum erat.*

Tunc fratres, peracto jam jejunio triduano, incluserunt se in beati Petri ecclesia, et prosternentes se cum suspiriis et lacrimis beatissimum Benedictum his verbis compellant : *O unica spes nostra post Deum, ne derelinquas nos orphanos. O pater egregie, o pater monachorum et dux Benedicte, quid in nobis displicet*

paternitati tuæ? Crederes namque super pavimentum vi maxima pluere præ nimia lacrimarum inundatione. *Non,* inquiunt, *nostris vel patrum nostrorum meritis huc venire voluisti, sed divina credimus actitatum dispensatione pro multarum animarum salvatione. Scimus quippe et omnino fatemur nos indignos existere tua gloriosa præsentia, quia inutiles operarii sumus et non strenue hactenus ambulavimus in viis Domini juxta * magisterium tuum et professionem nostram; sed emendare negligentias nostras prompti sumus, et flagellis tuæ nos paternitatis ultro substernimus; insuper et omni severitate regularis censuræ parati sumus subire afflictionem. Tantum ne dimittas clientulos tuos, quia propter te huc ad laudem Christi ex multis provinciis congregati sumus. Suscipe, quæsumus, lacrimas nostras et singultus tibi ex intimo cordium nostrorum rugitu prolatos, et commane nobiscum in loco isto, quem dudum elegisti. Si autem excessuum nostrorum enormitate exacerbatus manere renueris, notum sit tibi, pater optime, quia, quocumque ire decreveris, devotissimos conviatores habebis, quia neque mors, neque vita poterunt nos separare a caritate tua. Quod si Cassinum remeare elegeris, certe irremotos comites nos sortieris, ut saltem sic cognoscas, quam fidos habeas servulos. Nos itaque secundum magisterii tui traditionem nihil omnino de rebus possidemus, sed sufficientiam omnium bonorum nobis esse censemus, si in tua præsentia conversari merebimur. Certe prædones, quamvis insolitis plantis, peregrinas non differimus plagas terere; non nos Alpium juga terrebunt, non violentia tempestatum, non pericula fluminum, non latebræ ferarum; neque creatura aliqua poterit impedire nos a sancta paternitate tua.*

* *cod.* justa.

His tandem miserabiliter peroratis, intrare episcopi audacter cœperunt, et ejicientes monachos sui patris discipulos incluserunt se intus diligentius cum legatis Cassinensibus, quatinus regis jussioni satisfacerent. Fratres autem vehementissimo lacrimarum imbre madefacti contulerunt se in monasterium semper Virginis Mariæ, in quo deliberaverant die eodem sacratissima lipsana recollocare, quatinus ibi suspensi præstolarentur exitum sancti Patris Benedicti, parati quoquo cum illo terrarum ire. Episcopi vero cum, oratione facta, sacram temerare ascenderent tumbam, subito omnes, qui in eadem ecclesia convenerant, tanta sunt cæcitate multati, ut nemo fratrem suum videre quivisset. Cum autem divina se ultione obcæcatos persentiscerent, cœperunt palpando per ecclesiam errabundi pergere, quousque ad restes campanarum impegissent. Quas magna vi trahentes et signa pulsantes — neque enim aliter poterant infortunium imminens innotescere — processerunt fratres de monasterio in procinctu pergendi positi, Patrem et Dominum suum relinquere incomitatum nolentes. Quisnam ibi sine lacrimis erat? Tam triste vero spectaculum se visuros æstimantes, sed, quænam causa ecclesiam egressuris tardandi esset, ignorantes, explorandi gratia quidam de fratribus intraverunt. Quos pansis oculis nil cernere deprehendentes, egressi sunt dicentes quia *sanctus Pater exaudivit nos et suscepit lacrimas nostras. Nam invasores loci sui subita cæcitate percussit, nec injuriam suam inultam abire permisit. Venite et videte opera Domini.* Fratres interim Deo laudes et grates persolventes ingressi sunt monasterium et invenerunt episcopos “ Væ „ clamantes nihilque

videntes. Quibus cum dicerent : *O boni barones,* illi respondentes dixerunt : *Væ nobis quia peccavimus; inique egimus et sancti Patris requiem inconsultius temeravimus. Ideo tanta animadversione percussionis pœnas luimus cæcitatis. Nunc, servi Domini, mitius agite nobiscum et nolite inertiæ nostræ talionem reddere; sed orate pro nobis intentius ad Deum omnipotentem, et invocate ad auxilium nostrum sanctissimum Patrem Benedictum, ut aperiat oculos nostros. Et sic cum gravi pœnitudine satisfacientes sub voto jusjurandi promittimus nos nunquam talia præsumpturos. Testamur Regem omnium seculorum, quia pœnitet nos factorum.*

Ad hæc verba fratres in commune solotenus fusi enixius rogare clementiam Christi cœperunt, quatinus illorum suscipere dignaretur preces, et lumen perditum illis restituere non negaret. Completa oratione, recordatus est misericordiæ suæ et aperuit illorum oculos, qui in tenebris versabantur. Et illi quidem, secundum quod spoponderant, ilico super sacra pignera digitos ponentes jurabant per mysterium crucis Christi et patrocinium sancti Benedicti se ulterius nunquam talia conari et ut propria mancipia amodo fideles existerent Benedicto Patri. Peracto juramine facti sunt versa vice amici, qui paulo ante videbantur inimici. Utebatur autem sanctissimus Pater ministerio episcoporum mirum in modum. Nam quos habuit prius invasores, tunc cœpit habere devotissimos proprii sommatis illatores. Infulati quippe episcopali more rogatu abbatis et fratrum levaverunt tantum Patrem et imposuerunt cervicibus suis sine pondere pondus, sicque cum omni hilaritate cordis quamquam pleni lacrimis portaverunt piissimum patronum et importaverunt in proprium mausoleum, quod jam per biennium sui mansoris caruit præsentia viduatum. Vere mirabilis Deus in sanctis suis. Illi, qui venerant sancti Patris raptores, subito effecti sunt ejus latores et jucundissimi reconditores et inclusores. Eodemque voto promiserunt quatinus annis successuris, quoad viverent, die eodem episcopalibus officiis tanto Patri in ipso loco deservirent; sicque omni gratulatione divino percelebrato mysterio, statuerunt singulis annis omni tempore futuri ævi illum diem solemniter per totam Galliam celebrari. Vocaverunt autem festivitatem eandem Illationem sancti Benedicti. Cur dicitur illatio? eo quod ipsa die illatus est in monasterium sanctæ Virginis Mariæ, latus de monasterio sancti Petri apostoli. Dicitur autem illatio — nam simplicioribus dico — quasi inductio vel importatio; vocabulum autem rei est ab eo quod est infero. Nam illam causam dicimus inferri quæ procul a nobis sita est; illam autem dicimus transferri — unde et translationem trahimus — quæ nobis ex longinquo et remoto invehitur. Hoc modo illatione peracta, episcopi simulque omnes adventicii, qui tale spectaculum cernere meruerunt, magno perfusi gaudio ad propria sunt regressi per omnia benedicentes Deum.

2. Nuper quoque nostris propemodum temporibus quiddam memorabile ibi eadem * festivitate crepitante accidit. Quod quia memoratu dignum monasticis auribus approbo, themate quo valeo silentio non supprimo. Cum eidem festivitati, de qua hactenus egimus, enormis fidelium multitudo quadam die operam daret occurrere, et maximus monachorum exercitus, uti solet, in loco eodem conflueret, quatinus Patri Benedicto attentius solemnizarent, et episcoporum et abbatum

* *cod.* eandem.

numerositas interesset, persoluta festivius vigiliarum sonora synaxi, atque matutinorum odoriferis finitis hymnis, juxta morem regularis ordinis cymbalo a decano percusso, lassis * fratribus, quia aliquid adhuc de nocte superfuit, quiescendum significavit, quatinus illucescente die sacris missarum solemniis validiores redderentur. Cumque se fratres in pausatorium ad quiescendum recollacarent et vulgus jam ex toto effluxisset de monasterio, senex quidam nomine Christianus, qui ejusdem loci æedituus erat, solus in oratorio remansit.

* *cod.* lapsis.

Quiescentibus autem cunctis, Christianus se beato Patri Benedicto more solito ad orationem prostravit. Diutius vero orationi incumbens subito, lassitudine cogente, obdormivit. O felix somnium! cum ecce subito vir veneranda canitie, vultu decoratus angelico, habitu monachico trabeatus, et puer quasi duodennis, cambutæ ejus bajulus, sequens eum lento pede accessit, et interrogavit eum dicens : *Quid tu hic, frater Christiane? Ubi sunt fratres nostri?* Qui respondit : *Vere in dormitorio, Pater, repausant, quia nox longissima est et lassati valde sunt.* Ac deinde : *Cognoscisne me*, ait, *frater mi?* At ille : *Minime*, inquit. *Ego sum*, ait, *frater Benedictus, hujus loci provisor et custos, et puer pedissequus, quem vides, filius meus est in Christo, Placidus puerulus. Surge ergo vivacius, et dic omnibus fratribus nostris ex mea parte salutem et veram caritatem. Nam ad nocturnas vigilias hac nocte non affui, quia in aliis * occupatus extiti. Ut autem se diligentius caveant pro certo scientes quia hodie oportet me missarum solemniis interesse. Quare autem vigiliis matutinis minime interfuerim, hæc causa est. Nam noveris hac nocte fratrem tuum Reginarium in Britannia Oceani, ubi obedientiæ gratia tanto tempore substitit, ex hac vita migrasse; me autem necessario funeri ejus interesse. Ibi autem remoratus, quia antiquus generis humani inimicus multa sibi objiciens, in suum jus animam ejus transferre omni malignitate molitus est. Et quia, quamvis negligens in multis extitisset, tamen quia obedientiam fine tenus in peregrinatione custodivit, non sum passus illum perire sed clementer de manu inimici eripui et eum excelsis sedibus collocavi.*

* *cod.* alliis.

His dictis, cum beati Patris vellet advolvi pedibus, evigilat senex. Quid plura? Fratribus in capitulo pro Prima residentibus, surgit senex Christianus; quæ sibi injuncta fuerant, coram cunctis retexuit. Quo accepto nuntio, omnes pariter terræ se prosternunt, et lacrimosis suspiriis gratias agunt. Tunc domnus abbas fratres ad confessionem vocans, ut emendarent conscientias suas vehementer admonuit, ne conspectibus tanti Patris aliquod offensionis obstaculum occurrere potuisset. Qui, peracto capituli conventu, omnes in vestiarium pariter proruunt; et sic decenter albis induti et cappis procedunt; missarum solemniis corde simul et corpore ornati insistunt. Evangelio vero pronuntiato, satis superque eminere cœpit quia pater Benedictus secundum sponsionem sacris mysteriis interfuit; nam sexaginta et quinque infirmi omnimodæ infirmitatis retinaculis tamdiu nexi in ipsa missarum celebratione ab omni incommoditate liberati ad propria sunt regressi, laudantes et benedicentes Deum, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

3. Cum quodam tempore multorum religiosorum virorum conventus in

hoc festo solemni ob tanti memoriam Patris monasterio conflueret, diversarumque apparatus copiarum ... *(reliqua ut apud Aldrevaldum Floriacensem).*

4. Supra memorato Christiano, monacho hujus loci, ut dictum est, ædituo solitum erat summa fiducia sacrum adire tumulum atque vulgari more mortalium, si quid adversi huic loco accideret, sanctum causari Benedictum, ea utique utens confidentia, qua sciebat se haudquaquam ab illo velle contemni. Quod et in hoc, quod scribimus, satis liquebit opere. In eadem basilica ob honorem simulque utilitatem opere cælatorio ex ære deformatæ armillæ atque apprime deauratæ funibus dependebant, quibus campanæ secundum morem statutis horis celebrandi officii pulsabantur. Quadam vero die mixti populo ecclesiam ingressi latrones conspiciunt armillas funibus pendere, putantesque auri optimi pondus, cupiditate sibi familiari pessimum facinus meditantes, communi decreto suffossionem parietis moliuntur. Quod nocturno tempore, ut decreverant, explentes, ecclesiam ingressi, armillas cum calamis æreis fabrefactas exportantes eodem foramine egrediuntur, oppilantes humo aditum fossæ; tantoque silentio id a furibus est patratum *, ut nemo excubantium persentiscere quiverit, quonam pacto tale completum fuerit facinus. Hora præterea surgendi adveniente, cum tantum scelus peractum venerando custodi Christiano innotuisset, quis dolor pectori ejus irrepserit, quæ oculis lacrimæ profluxerint, fateor non facile dictu. Cumque hujusmodi lamentis solito pervenisset ad tumulum sanctissimi Patris, acriter causari ac conqueri cœpit, cur latronibus se spoliandum tradiderit. Et quia fiduciam sese a beato Benedicto habebat audiendi, quod cum nimia simplicitate cœperat, etiam peregrino sermone rusticiter exsequebatur — nam natura Germanus erat — ita inquiens: *O sancte Benedicte, utquid pigrescendo dormitas? Quam ob rem domum tuam tam negligenter provides, ut quod tibi in honorem operando confero, tu latronibus furto subducere permittas? Certe non est mihi curæ, si etiam tibi bracas auferant, qui armillas non defendisti. Crede mihi, si armillas tuas non restitueris, nec unam candelam tibi accendam.* Hæc et alia multa in hunc comminans modum simulque baculo terram ante sepulchrum positam percutiens tristis abcessit.

* *cod.* paratum.

Sed omnipotens Deus nequaquam diutius contristari passus est servum suum, quin potius meritis et interventu beati Patris, cum quo fiducialiter conqueri solitus erat, celerrime mæstitia relevatum gaudio competenti replevit. Siquidem præfati latrones scelus semel attemptatum iterato repetentes foramen suffossi parietis, quod pridem tellure oppleverant, paucis diebus interjectis expetunt, egestaque humo ingressum moliuntur. Confestim vero a custodibus capti quæstioni subduntur; fatentur facinus, seque ob id ecclesiam ea hora ingressos, ut omne aurum atque argentum cum gemmis a sancti Patris Benedicti lecto extrahentes auferrent. Requisiti autem quomodo tantum scelus nudis patrarent manibus, præsertim cum neque subulas majores neque malleos marculos nec aliquid officinæ fabrilis secum haberent, quo tam fabrefactum destruerent opus, cultros ex manicis protulerunt, quibus se actutum * omnia perpetrare confessi sunt. Servati igitur usque ad tempus diurnæ lucis venerabili præsentantur Christiano. Qui sciscitatus ab eis, quid ex armillis, quas furto abstulerant, egissent, responsum accepit eas

* *cod.* actu||um.

reconditas haberi. Graviter itaque redarguens acriter in eos invectus est, quare tantum nefas aggredi fuissent ausi, quod Deo hominibusque exsecrabile foret. Porro leges humanæ absque ullo misericordiæ respectu vita eos carere suspendio juberent. Postremo Helisei prophetæ exemplo, qui regis Syriæ latrunculos, quos ad se interficiendum direxerat, captos oculis in medium deduxit Samariæ atque, rege Israel requirente a propheta, utrumne eos gladio percuteret, prohibuit; quin potius pane refocillatos et aqua suis remisit. Misertus igitur latronum labori, cibo potuque eos refici jussit atque incolumes ad propria remeare, interdicens ne quando ad talia audenda prorumperent.

5. Cryptam, in qua idem sanctissimus Pater quondam corpore quievisse refertur, in qua etiam altare sub nomine ipsius et beati Martini præsulis Deo dicatum erat, crebris Christus Dominus miraculis meritis dilecti sui Benedicti illustrare consuevit. Nam, ut de febricitantibus taceam, qui si fide plena inibi decubuerant, repente convalescunt, duo quæ a veracibus personis didici miracula, referre curabo. Monachus quidam Bellilocensis * cœnobii, quod est situm in pago Lemovicensi super fluvium Dordoniam *, sepulchrum hujus sancti sæpius gratia devotionis adire consueverat. Huic nomen Adebaldus, eratque genere Aquitanus. Quique Hugonem, cui Candidus prænomen fuit, inter viros Aquitanos haud contemnendæ nobilitatis seu potentiæ, suasionibus compulit aliquos de filiis suis Deo Patrique sancto Benedicto servituros in hoc sacro conferre Floriacensi cœnobio. Quod memoratus vir libens effecit, ac deinde tam ipse quam filii ejus semper devoti munificique circa hunc fuere locum. Sed memoratus Dei servus Adebaldus, dum frequenter Floriacense inviseret cœnobium, una dierum memoratæ cryptæ adiit penetral, ut omnipotenti Deo immaculati sacrificii offerret libamina. Assumensque unum e pauperibus, qui ob duodenarium apostolorum numerum duodeni stipe aluntur monasterii, desiderata studuit inchoare. Cum ecce inter primæ secretæ mysteria tantus terror pauperem invasit, ut nullatenus inibi consistere audens foras egrederetur, tam secrete tamen, ut præfatus sacerdos Domini nequaquam id persentisceret. Qui supernis intentus theoriis, cum in fine orationis “ per omnia secula seculorum „ dixisset, angelica ei vox respondit “ Amen „. Sicque per consequentia divini sacramenti officia cælesti usu[s] ministerio ea quæ Dei sunt peregit. Latuisset sane hoc memorabile signum, ni pauper veritus accusari, terrorem prodidisset suum. Itaque venerabilis monachus interrogatus a fratribus, cur solus missam celebrare præsumpsisset, quod acciderat compulsus est enarrare.

* *cod.* Bellibocensis. * *cod.* Dornoma.

6. Aliud quoque signum in eadem crypta visum venerabili viro nomine Adelgaro, actu et ordine monacho, narrante cognovi. Hic fuit ex discipulis sanctissimi Dunstani archiepiscopi, qui Anglis Saxonibus Londoniam incolentibus pastorali præfuit sollicitudine; quique contemporalis ac individuus in sancta religione socius fuit sancto ac venerabili Oswoldo archiepiscopo Eboriacensium, et hujus Floriacensis cœnobii monacho. Ex quorum frequenti colloquio memoratus monachus ad amorem sancti Patris accensus Benedicti annum * post eorum transitum ad Dominum hoc Floriacense expetiit cœnobium. Is ergo retulit mihi quia quadam die in infirmitate laborans corporea eandem cryptam adiit, missarum solem-

* *cod.* aĩum.

nia inibi auditurus. Cum igitur quidam e fratribus ad altare supra memoratum accessisset, consueti officii vota redditurus, ille in ea cryptula, quæ ad sinistram sacerdotis missam canentis est, resedit. Et ecce post recitationem angelici hymni, in quo gloria* Domini cæli et terra pleni esse dicuntur, respiciens ad eam cryptam, quæ presbytero a dextris est, vidit formam quasi panis candidissimi terræ decumbentem; quæ in majus augmentata in tantum excrevit, ut pæne tectum cryptæ tangere videretur. Sed jam dictus monachus, cum a sacerdote pace accepta, iterum illuc obtutus obvertisset, aspexit memoratum candorem paulatim minui, donec pariter cum missa et ipse finiretur.

** add. in marg.*

CXXXVI. Codex signatus nº 8883-94.

Foliorum 100 formæ minoris (0^{m},148 × 0,091), lineis plenis graphide ductis exaratus seculo XII. Tituli ac litteræ majores ut plurimum rubricata. Aliquando viridi colore majores litteræ depictæ sunt. Signum musei Bollandiani ✠ MS 33 in chartula scriptum agglutinatum est fol. 1^{r}; idem signum inscriptum in margine superiori fol. 1^{v}, ac sequentia fol. 2^{r}: *Mss. Societatis Jesu Antverpiæ Dom. Prof.* Tandem hæc fol. 100^{v}: *Hunc librum emit Nonnus Philippus de Othey anno Domini* MCCCCXXII.

Inter carmina quæ continentur in codice sequentia ad res hagiologicas pertinent :

1º De S. Laurentio (fol. 1^{v}).

Hymnus editus a de Reiffenberg, *Annuaire de la Bibliothèque royale de Belgique*, ann. 1851, p. 225-228.

2º Passio S. Laurentii martyris (fol. 2^{r}-7^{v}).

Passio metrica auctore Marbodo Redonensi edita apud Migne, P. L., tom. CLXXI, p. 1607-1614.

3º De sancto Alexio (fol. 9^{r}-14^{v}).

Vita metrica edita ex hoc cod. in *Act. SS.,* ad d. 17 Julii, tom. IV, p. 254 sqq.

4º De quodam vicedomino per genitricem Domini mirabiliter salvato (fol. 14^{v}-25^{v}).

Vita auctore Marbodo edita apud Migne, tom. cit., p. 1593 sqq.

5º De sancto Godehardo (fol. 27^{r}-27^{v}).

Cuncta suis donis refovens qui cuncta creavit
Christus dilectos sibi sanctos glorificavit.
Saxoniæ decus Godehardum mirificavit,
Huncque sacerdotem statuendo beatificavit,

Hunc in plebe sua dans crescere magnificavit,
Sublatumque dehinc terris super astra locavit,
Ipse perornavit tempus quo pontificavit,
Ipse suam terram vel sedem nobilitavit,
Ipseque moribus ore vel actibus amplificavit,
Ecclesiam renovans propriam quam semper amavit
Et pausantibus hanc sacer ossibus inde dicavit.
Gentibus ergo petentibus hic medicatur,
A regionibus advenientibus auxiliatur,
Plurima maxima signa benigna ferens operatur,
Divite paupere milite rege simul veneratur,
Pestis et hostis terror et error ibi superatur,
Pernicies tumor et rabies sedata fugatur,
Cæcus lumine, mutus famine quo reparatur,
Indiga confuga naufraga plebs vaga lætificatur,
Frigida torrida morbida lurida salvificatur,
Surdaque claudaque curvaque mancaque siqua gravatur,
Auditu pedibus gestu manibus reparatur,
Namque bonum firmum quia nomine teste vocatur,
Jure quod infirmum fuerit per eum solidatur,
O Godeharde pater, non tarde juvare precatur
Gens tibi subdita, plebs tibi credita ne patiatur
Ulla pericula, tam tibi sedula quæ famulatur;
Hæc sit ut extera quam tua dextera ferre putatur,
Porta conforta rege protege, ne noceatur,
Corpora pectora tempora læta sed experiatur;
Erige corrige labile flebile ne moriatur;
Effice sed prece vita petita sibi tribuatur,
Sicque beata soloque poloque Deoque fruatur.

6° Passio SS. Thebeorum martyrum (fol. 27v-30r).

Edita apud Migne, tom. cit., p. 1625 sqq.; et ex hoc cod. in *Act. SS.,* ad d. 22 Septembr., tom. VI, p. 896-898. Sed utrobique sequens oratio om.

ORATIO SUB MERITIS EORUMDEM.

Ornatu morum nos indue, Christe, virorum
Quorum tu placidas tibi sedes corda parabas,
Et quibus indueras vitæ pro morte coronam.
Vita beatorum via vera salutis eorum
Te vitæ portam dans his intrare per artam;
Atria nos patrii per eos induc paradysi;
Da vigil æternæ vigilemus mentis in arce.
Et vigilaverunt qui te multum sitierunt,

Et per te tuti transibant invia mundi,
Ignis aquæ varium per quem vicere periclum.
Mundi nos undas faciat transire profundas,
Quos mentis luctus perturbant carnis et æstus;
Obtineant meritis quod nos non possumus ullis
Psallentes Christo, quos nos laudamus in ipso,
Ut sicut prima, nos solvat morte secunda.
Pneuma, pater, natus, rex omnipotens Deus unus,
Te pro te passi sunt verum vivere nacti;
Nunc fac nos omnes tibi tales solvere laudes,
Laudis ut in fine mereamur gaudia vitæ.

CXXXVII. Codex signatus n° 8895-96.

Foliorum 44 præter papyracea duo in initio, formæ minoris (0^m,128 × 0,095), binis columnis lineis graphide ductis exaratus seculo XIII. Folia 29 et 30 adustionis vestigia servant. Tituli ac litteræ majores rubricata. Signum musei Bollandiani ✠ MS 32 reperitur in folio papyraceo 1^v, ac 2^v; ad calcem hæc scripta sunt: *Liber Sanctæ Mariæ de Rameya in Brabantia.*

1° Vita venerabilis Idæ sanctimonialis de Rameya (p. 1-58).

Vita de qua supra p. 221, 11°.

2° Vita domnæ Idæ dictæ de Lewes sanctimonialis in Rameya (fol. 29^r-44^r).

Edita ex hoc cod. in *Act. SS.*, ad d. 29 Octobr., tom. XIII, p. 107 sqq.

CXXXVIII. Codex signatus n° 9070-77.

Foliorum nunc 364, quæ olim ad duos codices bene distinctos pertinebant. Prior foliorum 353 formæ mediæ (0^m,32 × 0,22), lineis plenis graphide ductis exaratus seculo XIV continet opera historica, ut Chronicon Eusebii, Prosperi, Sigeberti etc., adhibitusque fuit ad editionem ejusdem Sigeberti in *Mon. Germ.,* scr. tom. VI (vid. p. 288, B4*). Tituli rubricati; litteræ majores rubro viridi cæruleoque depictæ. Litteræ initiales iisdem coloribus adhibitis venusta arte exornatæ sunt.

Alter codex foliorum 11, formæ mediæ (0^m,31 × 0,21), lineis plenis graphide

ductis exaratus est ineunte seculo XIV ut patet ex serie episcoporum Cameracensium de qua infra 4°. Tituli rubricati, litteræ majores alternis vicibus rubro cæruleoque depictæ. At vermiculator in capite documentorum primam litteram haud ineleganter decoravit. Folio 1r hæc scripta sunt : *Coll. Societatis Jesu Brugis* ac paulo inferius : *Hic ms. codex, altero ejusdem argumenti a Pamelio similiter dato recentior, multa habet adjecta a monacho, ut apparet Blandiniensi vel Afflige-mensi ab anno Christi 1093 aut circiter, quæ in editione Miræi desiderantur.* A. Miræus scribebat an. 1633.

Fol. 3r in margine superiori sequentia : *Collegii Soctis Jesu Brugis.*

1° Vita S. Gaugerici episcopi et confessoris (fol. 354r-359r).

Vita edita in *Act. SS.,* ad d. 11 Augusti, tom. II, p. 672-675. Adduntur in codice ex vita altera ed. ibid. numeri 55-61 (p. 686-688).

2° Infra octavas lectiones (fol. 359r-360r).

Miracula post mortem edita ibid., p. 689-690, numm. 65-71.

3° Elevatio S. Gaugerici episcopi et confessoris (fol. 360r-362r).

Hunc sermonem aliquando edemus in *Anal. Boll.* cum vita de qua supra, tom. I, p. 38, 75°.

4° Hæc sunt quædam miracula B. Gaugerici (fol. 362r-364v).

Ed. in *Act. SS.*, tom. cit., p. 691-692, numm. 72-83. At in codice ad finem num. 83 hæc adduntur :

(Roberto successit Rogerus); Rogero successit Johannes; Johanni successit Nicolaus electus; Nicolao successit Hugo electus ; Hugoni successit Petrus de Corboloio episcopus ; Petro successit Johannes de Bethunia; Johanni successit Godefridus de Codato in Hanonia ; Godefrido successit Guiardus ; Guiardo successit Nicolaus de Fontanis; Nicolao successit Ingherrannus de Kreki; Ingeranno successit Guillermus de Hannonia; Guillermo successit Guido de Collomedio ; Guidoni de Collomedio successit Philippus de Marigni; Phylippo successit Petrus de Mirepois *(el. 1309; † 1324).*

Manus posterior add.: *Huic Guido de Bolonia, et huic Guidoni successit Guido de Burgundia.*

CXXXIX. Codex signatus nº 9119.

Foliorum 153 formæ maximæ (0^m,517 × 0,345), binis columnis lineis graphide ductis, nitidissime seculo XII exaratus. Tituli rubricati sunt ; litteræ majores rubro, viridi, cæruleo ac subinde flavo colore depictæ et non raro binis ternisve coloribus commixtis haud ineleganter exornatæ ; sed et multa ac varia artis suæ specimina dedit vermiculator in depingendo primam singularum Vitarum Passionumve litteram, non uno sed multiplici ornandi modo usus.

1° Passio Stæ Martinæ virginis et martyris (fol. 1^r-3^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Jan., tom. I, p. 11-17.

2° Vita beatissimi Basilii confessoris et episcopi Cesariensis (fol. 3^v-9^r).

Translatio Vitæ quæ tribuitur Amphilochio episcopo Iconiensi, alia tamen ac quæ edita habetur in *Act. SS.*, ad d. 14 Junii tom. II, p. 938-956.

3° Vita S. Fulgentii, Carthaginiensis episcopi (fol. 9^r-15^r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Jan., tom. I, p. 32-45.

4° Passio sancti Petri qui et Belsamus dictus est (fol. 15^v).

Translatio fere ad verbum eadem est ac ea quæ edita est in *Act. SS.*, ad d. 3 Jan., tom. I, p. 129, quæque tribuitur Anastasio Bibliothecario.

5° Vita sancti Symeonis, confessoris et monachi (fol. 15^v-18^v).

Fere similis illi Vitæ quæ edita est in *Act. SS.*, ad d. 5 Jan., tom. I, p. 269-274.

6° De inventione S. Firmini episcopi et martyris (fol. 19^r).

Narratio aliquantulo brevior ea de qua actum in *Anal. Boll.*, tom. III, p. 175, 12°. *In cod. incipit :* Sollerti indagatione intuendum valde est, ut memoriam anteriorum et patrum nostrorum, quorum nomina vel mysteria veneramur in terris; dubium non est quod ipsorum opera vel merita fulgescant in cælis, ut per illorum suffragia quibus desideramus explanare, opitulante divina misericordia, consequamur declarare mysteria. In illo tempore quo Theudericus gloriosissimus princeps Francorum cum gente inclyta et robustissima universa regna Francorum fortissimo brachio bajulat...

7° Vita S. Hilarii episcopi (fol. 19^v-20^v).

Vita auctore Fortunato edita in *Act. SS.*, ad d. 13 Jan., p. 790-793.

8° Epistola Hilarii ad Abram filiam suam (fol. 20^v-21^v).

Edita apud Migne, P. L., tom. X, p. 549-552.

9° Quoddam miraculum de sancto Hilario (fol. 21v).

Editum supra, tom. I, pp. 157, 158.

10° Vita S. Remigii episcopi (fol. 21v-30r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Oct., tom. I, p. 131-166. — In cod. non pauca omm.

11° Epistola Marcelli presbyteri ad Leonem Nolanensem episcopum (fol. 30v-31r).

Edita ibid., ad d. 14 Jan., tom. I, p. 946, ut prologus ad Vitam sancti Felicis confessoris ab eodem auctore conscriptam, quæque continuo datur in eodem codice Bruxellensi.

12° Vita S. Felicis confessoris (fol. 31r-32r).

Edita ibid., ad d. 14 Jan., p. 946-948.

13° Vita S. Mauri abbatis et confessoris (fol. 32r-40r).

Edita ibid., ad d. 15 Jan., p. 1039-1050.

14° Vita S. Fursei abbatis (fol. 40r-43r).

Vita edita ibid., ad d. 15 Jan., tom. II, p. 36-41. — At in cod. num. 12 om. præter ultimam phrasim. Deinde num. 38 *in loco Maceria nominato XVII Kal. Februarii* om.; num. 39 pro *viginti septem*, in cod. *triginta ; die VI Februarii.* Hæc autem verba *et a Foillano et Emiano abbatibus* omm.

15° Passio SS. martyrum Speusippi, Seusipi, Meleusippi (fol. 43r-45v).

Passio auctore Warnahario edita ibid., ad d. 17 Jan., tom. II, p. 76-80. In cod. Prologus deest.

16° Passio S. Sebastiani martyris (fol. 45v-55r).

Passio auctore S. Ambrosio edita ibid., ad d. 20 Jan., tom. II, p. 265-278.

17° Passio Stæ Agnetis virginis et martyris (fol. 55r-57r).

Passio auctore S. Ambrosio, edita ibid., ad d. 21 Jan., tom. II, p. 351-353.

18° Passio S. Vincentii levitæ et martyris (fol. 57r-59v).

Edita ibid., ad d. 22 Jan., p. 394-397; cfr. *Anal. Boll.*, tom. II, p. 243-246, ubi editæ sunt litteræ ad calcem hujus Passionis in cod. positæ.

19° Passio S. Babillæ episcopi, et trium puerorum Urbani, Parilidani et Epolonii (fol. 58v-61v).

Edita ibid., ad d. 24 Jan., p. 573-576.

20° Passio S. Prejecti martyris et episcopi (fol. 61v-63v).

Edita ibid., ad d. 25 Jan., p. 633-636. Cfr. *Anal. Boll.*, tom. II, pp. 239, 240.

21° Miraculum ab eo Romæ patratum (fol. 63v-64r).

Editum in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 240-242.

22° Passio S. Valerii episcopi (fol. 64^r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 28 Jan., tom. II, p. 835, numm. 11, 12.

23° [Passio S. Arnulphi martyris in Belgio] (fol. 64^r-64^v).

Passio metrica auctore canonico Cysoniensi edita ibid., ad d. 29 Jan., p. 972-974. Cod. refert stropham de qua ibid., p. 974, annot. *a*.

24° Passio S. Ignatii martyris (fol. 65^r-66^v).

Edita ibid., ad d. 1 Febr., tom. I, p. 29-33. In cod. altera pars numeri 21 om. Cfr. ibid., p. 33, annot. *m*.

25° Passio S. Blasii episcopi et martyris (fol. 66^v-68^r).

Edita ibid., ad d. 3 Febr., p. 336-339.

26° Passio S^{tæ} Agathæ virginis (fol. 68^r-69^r).

Edita ibid., ad d. 5 Febr., p. 615-618.

27° Vita S. Amandi confessoris Christi (fol. 69^r-71^r).

Vita auctore Baudemundo edita ibid., ad d. 6 Febr., p. 848-854. — In cod. prologus deest.

28° Vita S. Vedasti confessoris et pontificis (fol. 71^r-73^v).

Vita ab Alcuino emendata edita ibid., ad d. 6 Febr., p. 794-799. — At in cod. prologus deest; deinde desinit Vita eo modo, qui notatur ibid., p. 799, annot. *d.*; tandem ultima pars num. 24 (*Felix equidem Atrebatum...*) om.

29° Passio S. Valentini martyris (fol. 73^v-74^v).

Edita ibid., ad d. 15 Febr., tom. II, p. 756-757.

30° Passio SS. martyrum Marii et Marthæ (fol. 74^v-75^v).

Edita ibid., ad d. 19 Jan., tom. II, p. 216-219. Sed num. 4 pro *VIII Kal. Aprilis*, cod. *tertia decima Kal. Feb.*; deinde num. 12-14 om.

31° Passio S^{tæ} Julianæ Virginis (fol. 75^v-77^r).

Edita ibid., ad d. 16 Febr., tom. II, p. 873-877.

32° Passio S. Policarpi martyris et episcopi (fol. 77^r-78^v).

Passio desumpta ex epistola ecclesiæ Smyrnensis, qualis refertur ab Eusebio, *Hist. Eccles.*, lib. IV, capp. XIV, XV, juxta interpretationem Rufini.

33° Passio SS. martyrum Satyri sociorumque ejus (fol. 79^r-80^r).

Edit. supra tom. I, p. 158-161, sub hoc titulo : *Passio sanctarum Perpetuæ et Felicitatis.*

34° Vita S. Gregorii papæ (fol. 80r-83v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 12 Martii, tom. II, p. 138-137.

35° Vita S. Gregorii papæ edita a Johanne levita (fol. 83v-96r).

Edita ibid., p. 137-210. — In cod. alia passim omm., alia sunt contracta.

36° Vita Stæ Gertrudis Virginis (fol. 96r-98r).

In initio Vitæ (fol. 96r-96v col. 1) aliis verbis referuntur quæ apud a Ryckel edita sunt p. 35-40; inde (fol. 96v-97v) cap. II-VIII Vitæ primæ editæ apud a Ryckel (p. 5-18). Tandem apparitio S. Gertrudis ad B. Modestam abbatissam Trevirensem narratur secundum versionem quæ proxime accedit ad eam, quæ edita est apud eumdem a Ryckel, p. 147 sqq.

37° Vita Stæ Eusebiæ virginis (fol. 98r-100r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Martii, tom. II, p. 452-455.

38° Passio SS. martyrum Nerii et Achillei, Euticetis, Victorini et Maronis (fol. 100r-102v).

Edita ibid., ad d. 12 Maii, tom. III, p. 6-12. Sed num. 15-17 excepta tamen prima phrasi numeri 15 om., item num. 21-65.

39° Passio S. Pancratii (fol. 102v-103r).

Edita ibid., ad d. 12 Maii, p. 21.

40° Passio SS. Victoris et Coronæ (fol. 103r-104r).

Contracta ex Passione edita in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 291 sqq.

41° Vita S. Pachomii (fol. 104r-115r).

Edita apud Migne, P. L., tom. LXXIII, p. 227-272.

42° Passio S. Peregrini (fol. 115r-115v) (1).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Maii, tom. III, pp. 563, 564. — Sed in cod. incipit : *Tempore Antonini imperatoris cum pestifera...*; deinde num. 1 pro *Jovinianum etiam lectorem*, cod. *Alexandrum etiam lectorem.*

43° Vita S. Ambrosii Mediolanensis episcopi (fol. 116r-119v).

Vita auctore Paulino edita apud Migne, P. L., tom. XIV, p. 27-46.

44° Passio innumerabilium sanctorum martyrum (fol. 119v-120v).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 3 Novemb., tom. I, p. 643 sqq.

45° Passio S. Georgii martyris (fol. 120v-121v).

Magnam affinitatem habet cum Passione de qua supra tom. I, p. 204, 9°.

(1) Annexa est fol. 115v pagella referens finem Passionis.

46° Passio SS. martyrum Vitalis, Gervasii et Prothasii (fol. 121v-122r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 19 Junii, tom. III, p. 821-822, num. 17-23. — Sed in cod. ad num. 21 post hæc verba *: positum violaret* add. : *Sed illa in intentione perdurante, evidentius ei apparuit Sanctus Vitalis dicens ad eam : " Noli mihi molesta esse, mulier, quia nunquam mihi tam gloriosum poteris parare sepulcrum quale mihi dominus Jesus Christus fieri jussit. "*

47° Passio S. Philippi apostoli (fol. 122r-122v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Maii, tom. I, pp. 11, 12. — Sed om. numero 1, incipit : *Post ascensionem Domini et Salvatoris per annos viginti.*

48° Passio S. Quiriaci martyris et episcopi (fol. 122v-123v).

Edita ibid,, ad d. 4 Maii, tom. I, 449-450. Prologum requiras p. 445.

49° Vita domni Anselmi Cantuariensis archiepiscopi (fol. 123v-141r).

Vita auctore Eadmero edita ibid., ad d. 21 Aprilis, tom. II, p. 866-893.

Ad finem hi versus annexi :

Exstitit Anselmus vir laude per omnia dignus,
Claruit in clero, fuit illi fortior ordo ;
Monacus egregius, fuit abbas postea summus,
Anglorum præsul sapiens et religiosus.

50° Passio S. Judæ a quo crux Domini inventa est, quem Helena cognominari Quiriacum jussit (fol. 141v-142v).

Edita ibid., ad d. 4 Maii, tom. I, p. 449-450.

51° Vita S. Athanasii Alexandriæ urbis episcopi (fol. 142v-144r).

Desumitur ex Rufini Aquileiensis *Hist. Eccles.*, lib. I, (Migne, P. L., tom. XXI, p. 465), mutata interdum narratarum rerum serie, ac nonnullis, licet paucissimis, hinc inde insertis.

52° Relatio de inventione sanctæ Crucis (fol. 144r-145v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 4 Maii, tom. I, p. 445-448, num. 1-14.

53° Passio SS. martyrum Alexandri, Eventii et Theoduli (fol. 145v-146v).

Edita ibid., ad d. 3 Maii, p. 371 sqq.

54° Passio SS. martyrum Sulpicii et Serviliani (fol. 147r).

Edita ibid., ad d. 12 Maii, tom. III, pp. 12, 13, num. 21-25.

55° Vita Stæ Rictrudis (fol. 147r-152r).

Vita auctore Hucbaldo, monacho Elnonensi, edita ibid., ad d. 12 Maii, p. 81-89. — Sed in cod. num. 3 om.; ac numero 26 leguntur ea quæ referuntur ad annotatum *b*, p. 89.

56° Vita S. Jonathi (fol. 152r-153r).

Vid. Append.

Appendix ad cod. 9119.

DE S. JONATO. (Cfr. hac ipsa pag., 56°.)

Incipit prologus.

Materia non apparente, si quid ad honorem beati diximus, nihil, ut vera fatear, extra fidem catholicam fecimus : quia quicquid ex sancti Amandi discipulorumque ejus gestis et laude mutuati sumus, totum hoc ad exigendas laudes pro merito sancti Jonati contulimus. Quoniam non decurrit in isto dictatu rhetoricæ facundia, fiat rusticitati et inscientiæ nostræ benevola legentium indulgentia. Melius est enim ut merita sanctorum quoquomodo legentibus refulgeant, quam ignorantiæ nubilo denigrata delitescant. Si quis igitur ista legendo transcurrere dignatus fuerit, præsumptionis elogio scriptorem non denotet, quem magis pro effectu obedientiæ, quæ caritati est debitrix, simplici corde atque ore quieto in omnibus amplexari debet. Sed obloquentium detractionem sicut et quorumdam insipientium adulationem dum quis oculatus æqua lance * perpendit, iter regium absque decipientium subintroductione componit.

* *cod.* lanceęę.

Incipit Vita sancti Jonathi.

1. Venerabilem hujus * diei celebritatem ad honorem beati Jonati sollemniter recolentes, gratiam divinæ majestatis, quæ in eo magnifice ad multorum salutem et exemplum mirabilis effloruit, considerando collaudemus et collaudando suppliciter adoremus, ut qui prægravante peccatorum gravedine divinis monitis per multa negligimus obedire, hujus sancti Patris aliorumque sanctorum suffragante nobis intercessione, per obsequium famulatus nostri, licet indigni, Deo Domino possimus complacere. Larga denique et ad cuncta salutis humanæ Christi semper abundans miseratio infirmis quibusque et, ut dixi, peccatorum gravedine prægravatis electorum suorum, qui jam secum sunt in occulto cubili, ad subveniendum in opportunitate atque etiam imitandum pro posse merita et orationem attribuit, sicque reatibus nostris suæ propitiationis * indulgentiam clementer impendit. Unde juxta apostolum qui dicit : " Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt „, tam sancti et egregii confessoris intentionem et instantiam

* *cod.* huuus.

* *cod.* propicionis.

sagaci mente recolamus, qui munere gratuito electus a Domino in timore sancto illi servire studuit, atque jugi divinæ legis instructus, in militia, quam spontaneus assumpserat, fidelis admodum perstitit, ideoque præmia sanctis omnibus repromissa percipere dignus fuit. Evangelica narrat lectio cuidam juveni aditum æternæ vitæ perquirenti Jesum salutis nostræ auctorem et dominum ita reddidisse sententiam sui mandati : " Si vis, inquiens, perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo, et veni, sequere me. „ Cujus præcepti... (*Vide* Act. SS., *tom. I Aug., p. 73, num. 16*).

2. Ubi post legitimam functionis suæ administrationem a Domino principes quorumdam constituti gaudio gaudent pro stola immortalitatis suæ adeptæ et ante conspectum æternæ majestatis " Amen „ canentes dulcisonum, ipsum Dominum Deum submissis vultibus adorant in perpetuum.

3. Amandus itaque confessor et episcopus a beato Petro in visu ad prædicandum permotus, comitante se gratia Dei, in signis et miraculis emicuit, caritatisque geminæ calore succensus ad gentes varias cognitione legis divinæ imbuendas, scilicet Gallos, Sclavos atque Vascones, simul et ad alias nationes properavit, ut eas fidelis dispensator baptismate innovaret, et benedictione consecraret. Unde factum est, ut multi postposito mundi amore et abrenuntiata diaboli pompa, sancti baptismatis unda perfusi Domino fideliter deservirent.

4. Quidam autem speciali gratia doni cælestis attracti ei familiarius adhærentes, velut Maria secus pedes Domini sedendo, verbum ex ore illius attentius audiebant, necnon prædicatione et exemplis illius animati justitiæ merito ad excelsum * sanctitatis culmen sunt elevati : Bavo scilicet sanctus cum Gertrude virgine sacra, beatus Humbertus cum aliorum sancta frequentia, quorum hic ex parte scribuntur nomina : Andreas, Florebertus, Johannes atque Jonatus abbates et viri sancti, necnon etiam Londoaldus archipresbyter, Maurontus levita præelectus et multi alii patres sanctissimi; quorum gesta qui benivole legerit et fidelis ad credendum fuerit scripturæ magistri, ipsorum merita ex operibus eorumdem perpendere poterit; dum alios eorum mortuorum resuscitatione claros, alios angelica visione, alios signorum cælestium exhibitione, alios divina admonitione ad venerandum hominibus manifestos, scriptura testante, invenerit. Horum ergo omnium beatus Amandus pastor exstitit et doctor atque ad cælestia promovit, fidelis et potens in omnibus intercessor.

* *cod.* excessum.

5. Cum igitur gentibus et populis, ut supra dictum est, vir Dei Amandus verbum Domini instanter annuntiaret, atque per eum divina potentia multa signa faceret, fiebat concursus multorum, qui baptismatis sacramenta humiliter percipiebant, et divina mandata devotæ mentis obsequio ad obtemperandum suscipiebant. Fana etiam vel idola, quæ prius a diabolo delusi venerantes adorabant, propriis destruentes manibus post susceptam fidei christianæ gratiam; quicquid habere poterant, ad ædificandas in honorem Dei et sanctorum ipsius ecclesias vel eleemosinas pauperibus erogandas facta collatione ad eundem virum Dei humiliter afferebant. Quæ beatus vir offerentium dona suscipiens universa in pauperibus recreandis atque etiam ecclesiarum ædificiis expendit.

6. Nam ubi gentium * destruebantur, statim monasteria aut ecclesias construebat, verbique sacri pabulo populum reficiens omnium corda mandatis cælestibus illuminabat. In quibus monasteriorum habitaculis sive ecclesiarum cellulis viros sanctos, quos instanter erudierat et in quibus fervorem sanctæ legis conspiciebat, ad regendas animas præposuit; ipse vero sine mora properabat ad alia, et sibi credita cunctis ministrabat verbi divini semina. In Marcianas vero monasterio sanctum virum... (*Vide* Act. SS., *l. c. num. 17*). *At in codice post verba* a conventu seculari remotus *add. seq.:* Ubi tam ipsa Rictrudis electa a Deo quam ejus casta generatio, Maurontus utique levita sanctus, necnon Adalsendis sanctaque Clothsendis, filiæ matri non dissimiles, atque sorori suæ, Eusebiæ videlicet virgini sanctæ, moribus et vita coæquales, simulque post eos multi Deo fideles exercitium sanctæ confessionis laudabiliter et absque impedimento usque ad sanctum finem vitæ innocentis protraxerunt. Erat enim eis una et firma fides, spes indubitabilis et caritas indefessa, humilitas, patientia, misericordia, modestia atque sancta in præceptis evangelicæ descriptionis meditatio. Unanimes ergo sancti isti habitantes in domo Domini morigeratione condigna et operibus justis Deum glorificantes, ad promissa præmiorum habitacula sunt translati gaudentes.

* *supple* fana.

7. *Pergit deinde* Fervor itaque dominicæ dilectionis (*vide* Act. SS., *l. c., numm. 17 et 18*). *In fine autem post verba* omnipotens et mirabilis Deus *additur initium aliarum lectionum Hucbaldi, nempe de elevatione corporis B. Jonati* (*v.* Act. SS., *l. c., numm. 19 et 20*).

CXL. Codex signatus n° 9120.

Foliorum 186, ceterum præcedenti similis, quocum constituit Passionale majus totum anni circulum complectens.

1° Vita S. Hieronymi (fol. 1^{r}-2^{v}).

Edita apud Migne, P. L., tom. XXII, p. 202. In cod. omm. quæ in editis narrantur de castigatione quam subiit Hieronymus ob nimium studium quo ferebatur in Tullium aliosque gentilitatis scriptores ; desinit vero secundum quod notatur ap. Migne, l. c., p. 213, annot. *c*.

2° Passio S. Piati martyris (fol. 2^{v}-4^{r}).

Hæc Passio continet Acta S. Piati sed interpolata : edita est in *Act. SS.*, ad d. 1 Octobr., tom. I, p. 22-24; interpolationes vero in annot., p. 24-26.

3° Vita S. Bavonis (fol. 4^{r}-6^{r}).

Edita ibid., tom. I, p. 229-235. In cod. num. 1-3 omm.; item num. 7 et num. 8 omittuntur ea quæ uncinis in editis inclusa sunt.

4° Vita S. Trudonis (fol. 6r-9r).

Vita auctore Donato edita in *Act. SS. Belgii,* tom. V, p. 29 sqq.; scilicet cap. I-XX, om. tamen prologo.

5° Vita S. Autberti episcopi et confessoris (fol. 9r-12v).

Vita auctore Fulberto edita ibid., tom. III, p. 538 sqq.; scilicet, om. prologo, num. 1-28.

6° Translatio S. Autberti episcopi (fol. 12v-13r).

Edita ibid., p. 561 sqq.; scilicet num. 29-33.

7° Passio S. Leodegarii episcopi et martyris (fol. 13r-15r).

Passio auctore Ursino edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Octobr., tom. I, p. 485-490. Prologus deest.

8° Passio Stæ Fidis virginis (fol. 15r-16r).

Edita ibid., ad d. 20 Octobr., tom. VIII, p. 823-825, om. num. 1.

9° [Passio SS. Dyonisii et sociorum ejus] (fol. 16r-21r).

Edita apud Surium, ad d. 9 Octobr.

10° Passio S. Gereonis cum ccctis x et VIII martyribus et passio Maurorum militum (fol. 21r-22r).

Passio auctore Helinando edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Octobr., tom. V, p. 36-40.

11° Vita et Passio S. Gengulfi militis martyrisque Christi (fol. 22v-24v).

Edita ibid., ad d. 11 Maii, tom. II, p. 644-648. — At inter num. 12 ac num. 13 hæc in cod. leguntur :

Quæ per ordinem sicut gesta sunt fideliter transcurrentes, nec illud remur præterea omittendum, quatinus ad posteritatis memoriam spectabilis eximii viri ac beatissimi Gengulfi sanctitas gloriosius scripturæ licet incompositæ tradita admiretur, quod cum quadam coram rege pro more solito idem requiesceret nocte, accidit ei propius, ubi senior quietum abierit, protinus lucernam extinguere, quam denuo haud quolibet accedente, luminis sui obsequio a somno expergefactus, dum rex subito inspiceret, reparatam obstupuit, sensitque metu riguisse capillos. Qui quantocius a lecto consurgens præstolaturus quid rursus accideret, lucernam amissi luminis reparatione clarescentem propria manu restinxit et sic sese tandem quieti reddidit. Quam ubi iterum ac tertio extinctam divinitatis nutu videret reclarescere, perniciter se in laudem Dei cum gratiarum actione erigens, sanctum ac prospicuæ sanctitatis virum devotissime excitavit, sibique justissime præferens ait : *Oportet profecto me virorum inclite utpote sancto Dei tibi potius deservire et famulatu congruo tuis simpliciter interesse.* O veridica simul et evangelica Salvatoris nostri præconia quibus ipso testante legitur : " Nemo accendit lucernam et ponit sub modio, sed supra candelabrum ut luceat omnibus qui in domo sunt. „ Hic itaque beatissimus de quo loquimur Gengulfus erat lucerna ardens et lucens. Nec mirum plane

si lucerna hæc quæ in Christo spiritualiter amore flagrabat, ob humanitus experiendæ divinæ virtutis miracula, extincto sæpius lumini, alterius absque adminiculo mutuati, igneum mirabiliter vaporem adhibens fomenta divinitus recidiva præbebat. Rex denique gratia, quæ sibi ab omnipotentis Dei divino munere fulsit, hujus sancti viri, quam pro modulo nostræ tantillitatis breviter exposuimus, præcluæ * virtutis indagator et factor egregius, idem beatissimo et a Deo cælitus militi laureato omnium quæ hactenus possederat absque militari obsequio liberam exhibens facultatem, præter quod sponte sua dumtaxat fecerit pro inhibendo videlicet stabiliendæ pacis decreto ac reliquæ * sanctitatis colloquio, interdum ad * feliciter veniendo reverenter eum admodo vidit, ac reverentius excipiens præcordialiter ipsumque dilexit. Ita non solum debemus diligere quos meritis simul ac virtutibus affatim novimus coruscare, sed etiam fidelibus obsequiis honorificentius prævenire, et qui est in sanctis suis mirabilis, dignis Deo jubilare præconiis ac mysticis honorare muneribus, qui est benedictus in seculum seculi.

* *corr.* præclusæ.

* *cod.* reliquiæ.

* *supple* eum.

12° Vita vel Passio S. Kalixti episcopi et martyris (fol. 24v-25v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Octob., tom. VI, p. 439-441.

13° In hoc libello habetur qualiter Eurardus Forojuliensis dux corpus beati Kalixti martyris impetraverit et de virtutibus quas per eum in via positum vel eo tempore quo in monasterium allatum est Dominus ostenderit (fol. 25v-27r).

Edita ibid., p. 443 sqq. Hæc num. 4 omisit Buæus :

Hic itaque miles Christi non piger atque frigidus circa fidem ac dilectionem Dei multitudinem gentis Sclavorum aliarumque paganarum gentium, ubi et ipse quasi quidam marginalis miles ac limes ad discernendum filios Dei a filiis diaboli fortiter astabat, valida manu sæpius debellaverat pariterque armis terrendo ac prædicationibus apostolicis instituendo, ex eis paulatim spoliaverat atque imminuerat diaboli regnum et dilataverat atque vestierat ecclesiæ catholicæ domum. Nam sæpe adversum Ismahelitas atque Agarenos, qui se Sarracenos gloriantur, dimicans contraque Numidarum ac Maurorum sævissimos populos resistens fortiter non modicum ex ipsis reportaverat triumphum. Et unde hostibus atque inimicis ecclesiæ tristitiam atque formidinem incusserat, inde fidei domesticis atque ejusdem sanctæ matris Ecclesiæ cunctis fidelibus lætitiam et hilaritatem infuderat, totisque vitæ seu administrationis suæ diebus, quæ Dei Deo, et quæ Cæsaris Cæsari reddens immunem se a cunctis, quæ secularis potentiæ fastus requirit, custodiens Deo soli quod fuerat et quod fecerat sollicitus consecrabat. Erat enim ejus vita et actus regi suo cælesti pariterque temporali amabilis, sociis et contubernalibus prædicabilis ac venerabilis, subjectis omnibus obedibilis atque imitabilis, hostibus ac peccatoribus formidabilis. Illis etiam, quos diabolicæ perfidiæ armis fidei substraxerat, ecclesias ac monasteria per diversa eorumdem terræ loca fabricaverat, et

eas ministris atque divinis cultibus studiosissime perornarat, unde et nonnulli ipsorum non jam armis conterriti sed alleluia cantatione compuncti, relictis dæmonicis incantationibus ad Christum toto corde conversi in sinum sanctæ matris Ecclesiæ suscepti in Domino quieverunt. Insuper quoque vir Dei memorabilis Evrardus per diversa loca regni Francorum subjecta, quæ sibi vel patrimonio cesserant, vel donationibus regum provenerant, basilicas Christi fundaverat, reliquiisque sanctorum Dei, quas ubicunque invenire poterat, sollertissime decorarat, bonisque suis temporalibus abundantissime cumularat.

14° Vita S. Lucæ evangelistæ (fol. 27r-28r).

Homilia quædam legenda in festivitate S. Lucæ. Incipit : *Lucas juxta traditionem veterum Ecclesiæ tractatorum...*

15° Vita S. Amati episcopi (fol. 28r-28v).

Edita supra, p. 44 sqq.; scilicet num. 6-16 omissis tamen num. 7, numm. 8 et 11 præter primam phrasim utriusque num., ac ultima phrasi num. 12.

16° Passio undecim millium Virginum (fol. 28v-29r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Octobr., tom. IX, p. 157 sqq. — In cod. passim phrases nonnullæ omm.

17° De sancta Cordula (fol. 29v).

Editum ibid., p. 162 num. 19-22. — Sed iterum passim phrases nonnullæ omm.

18° Passio SS. martyrum Crispini et Crispiniani (fol. 29v-30v).

Edita ibid., ad d. 25 Octob., tom. XI, p. 535-537.

19° Translatio S. Amandi episcopi et confessoris (fol. 30v-31v).

Edita ibid., ad d. 6 Febr., tom. I, p. 894-895. At in cod. num. 8 om. præter primam phrasim. Cfr. ibid., p. 895, annot. *i*.

20° Quoddam miraculum de eodem (fol. 31v-32r).

Editum ibid., p. 902-903. Sed in cod. litteræ Marsiliæ abbatissæ non præ sed postponuntur enarrationi ipsius miraculi.

21° Passio SS. apostolorum Symonis et Judæ (fol. 32v-34v).

Edita apud Mombritium, tom. II.

22° Passio S. Quintini martyris (fol. 34v-36r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 31 Octob. tom. XIII, p. 781-786. At in cod. habetur prologus de quo ibid., p. 783, annot. *b*; num. 2 prima phrasis om.; num. 12 pro *Honorato*, in cod. *Severo Honorato;* num. 15 *sic omnes qui aderamus* cfr. p. 787, annot. *m.*; tandem semper in cod. *Augusta Virmandorum.*

23° Passio S. Benigni martyris (fol. 36r-37r).

Edita ibid., ad d. 1 Novemb., tom. I, p. 155 sqq.

24° Passio S. Cesarii martyris (fol. 37^{r}-38^{r}).

Edita ope hujus cod. ibid., ad d. 1 Novemb., tom. I, p. 106 sqq.

25° Vita S. Lauteni (fol. 38^{r}-39^{r}).

Edita ibid., ope hujus codicis ad d. 1 Novemb., p. 284-287.

26° Passio S. Eustachii martyris sociorumque ejus (fol. 39^{r}-41^{v}).

Edita ibid., ad d. 21 Septemb., tom. VI, p. 123 sqq.; omisso prologo, et generatim iis quæ uncinis inclusa sunt omissis vel contractis.

27° Vita beatissimi Malachiæ archiepiscopi Ardmacæ civitatis Hiberniæ edita a venerabili viro Bernardo Clarevallis abbate (fol. 41^{v}-51^{r}).

Vita auctore S. Bernardo edita apud Migne, P. L., tom. CLXXXII, p. 1073 sqq. Additur fol. 51^{r}-52^{r} sermo ejusdem S. Bernardi *in transitu S. Malachiæ* edit. ibid., tom. CLXXXIII, p. 486-490.

28° Vita S. Leonardi (fol. 52^{r}-54^{r}).

Vita de qua supra p. 13, 3°; iisdem omnino additis miraculis.

29° Vita S. Winnoci abbatis (fol. 54^{r}-62^{r}).

Edita apud Mabillon, *Act. SS. O. S. B.* sec. III, p. I, pp. 301-314; sequuntur miracula ejusdem sancti edita ibid., p. 315-327; omisso quidem prologo, at rescriptis tum miraculis, tum paræneticis locis a Mabillonio prætermissis.

30° Passio IIII^{or} Coronatorum (fol. 62^{r}-64^{r}).

Edita a Wattenbach, in *Untersuchungen zur römische Kaisergeschichte*, tom. III, p. 324-338.

31° Vita S. Martini (fol. 64^{r}-71^{r}).

Vita auctore Sulpicio Severo ed. apud Migne, P. L., tom. XX, p. 159-176, adjunctis tribus epistolis ed. ibid., p. 175-184.

32° Dialogus Severi (fol. 71^{r}-82^{r}).

Ejusdem Sulpicii Severi *Dialogi tres*, ed. apud Migne, tom. cit., p. 183-222.

33° De transitu ejusdem sancti viri (fol. 82^{r}).

Ex Gregorii Turonensis *Hist. Franc.*, lib. I, cap. XLIII.

34° De transitu ipsius (fol. 82^{r}-82^{v}).

Ex eodem Gregorio, *de mirac. S. Martini*, lib. I, cap. IV, V.

35° Vita S. Brictii episcopi (fol. 82^{v}-83^{r}).

Vita auctore Gregorio Turonensi, *Hist. Franc.*, lib. II, cap. I.

36° Vita S. Aniani episcopi et confessoris (fol. 83^{r}-84^{v}).

Vita de qua supra p. 14, 13°, addita eadem parte *sermonis de adventu S. Aniani*.

37° Passio S^{tæ} Ceciliæ virginis et martyris (fol. 84^{v}-89^{r}).

Edita apud Mombritium, tom. I.

38° Passio S. Longini martyris (fol. 89^{r}-90^{r}).

Edita in *Act. SS.* ad d. 15 Martii, tom. II, p. 384 sqq.

39° Passio S. Clementis episcopi et martyris (fol. 90^{r}-92^{r}).

Edita apud Mombritium, tom. I. In cod. om. finis passionis et prologus primi miraculi annexi apud Mombritium Passioni sancti Martyris.

40° Passio S. Petri episcopi et martyris (fol. 92^{r}-92^{v}).

Desumpta ex Martyrologio Adonis ad d. 25 novembris.

41° Passio S^{tæ} Caterinæ virginis (fol. 92^{v}-100^{r}).

Edita in *Act. SS. Hiberniæ,* p. 681 sqq. — In cod. omm. numm. 1, 42.

42° Passio S. Andreæ apostoli (fol. 100^{r}-101^{v}).

Epistola presbyterorum Achaiæ edita apud Mombritium, tom. I, et alibi.

43° Miracula sancti Andreæ Apostoli (fol. 101^{v}-108^{r}).

Relatio de qua in *Anal. Boll.*, tom. III, p. 186, 1°; sed in codice non inveniuntur quæ ibid., p. 187 sub rubrica : *de virtute sepulchri ejus* leguntur.

44° Vita S. Eligii episcopi et confessoris (fol. 108^{r}-140^{v}).

Vita auctore S. Audoeno, edita apud Migne, P. L., tom. LXXXVII, p. 479 sqq.; sed om. prologus et in fine epistolæ Audoeni et Rodoberti.

45° Passio SS. martyrum Crisantis et Dariæ (fol. 140^{v}-144^{r}).

Edita in *Act. SS.* ad d. 25 Oct., tom. XI, p. 469 sqq. Omittitur præfatio.

46° Passio S^{tæ} Barbaræ (fol. 144^{r}-145^{r}).

Edita apud Zaccaria, tom. sæpe citato. In cod. multæ sunt lect. var.

47° Vita sanctissimi Nicholai archiepiscopi (fol. 145^{r}-153^{r}).

Edita apud Carminium Falconium, loc. sæpe citato. — Num. 1 om.; numm. 12, 13 referuntur secundum lectionem Mombritianam. Post num. 20 referuntur miracula duo edita in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 151-156. Tandem ex Carminio num. 21 cum prima parte num. 22, scilicet usque : *non illustraverint.*

48° Translatio ejusdem (fol. 153^{r}-153^{v}).

Narratio contracta ex ea quæ edita est in *Anal. Boll.*, tom. IV, p. 169 sqq.

49° Passio S. Sabini martyris (fol. 153^{v}-155^{r}).

Passio de qua supra p. 17, 34°.

50° Passio S^{tæ} Leocadiæ virginis (fol. 155^{r}-155^{v}).

Passio de qua supra p. 17, 36°.

51° Passio S^{tæ} Eulaliæ virginis (fol. 155^{v}-157^{v}).

Edita apud Florez, *España sagrada,* tom. XIII, p. 398-406.

52° Passio SS. martyrum Fusciani, Victorici, Gentiani (fol. 157^{v}-159^{v}).

Passio quæ incipit : *Cum cursus mundi,* edita apud Salmon, tom. sæpe cit.

53° Passio S^{tæ} Luciæ virginis 159^{v}-161^{r}).

Edita apud Surium ad d. 13 Novemb. In cod. multæ occurrunt lect. variantes.

54° Passio S. Nicasii episcopi et martyris (fol. 161^{r}-163^{r}).

Eadem de qua supra pag. 18, 42°; in codice plures etiam occurrunt lectiones variantes.

55° Passio S. Thomæ apostoli (fol. 163^{r}-167^{v}).

Edita apud Mombritium, tom. II.

56° Passio S^{tæ} Anastasiæ virginis (fol. 167^{v}-173^{r}).

Passio de qua supra p. 18, 49°.

57° Vita S. Johannis apostoli (fol. 173^{r}-176^{r}).

Epistola Melliti edita apud Florentinium, op. cit., p. 130 sqq.

58° Narratio de eodem sancto apostolo (fol. 176^{r}-177^{r}).

Fragmenta sunt inter se consuta, nempe : initium abbreviatum Actorum quæ apud Mombrit., tom. II, edita sunt ; deinde excerpta ex Hieronymo, *De viris illustribus,* capp. 9 et 18. (Migne, P. L., tom. XXIII, pp. 623, 637). — Cfr. Zahn, *Acta Joannis* (Erlangen. 1880), Einleitung, p. XVII sqq., et *Biblioth. Casin.,* tom. II, Floril. p. 66 sqq.

59° Vita S. Silvestri papæ (fol. 177^{r}-186^{v}).

Vita edita apud Mombritium, tom. II. Sed in codice multæ prorsus occurrunt lectiones variantes, atque reperiuntur additamenta de quibus supra tom. I, p. 5, 7°; vita autem mutila est, cum ultima codicis folia exciderint.

CXLI. Codex signatus n° 9121-23.

Foliorum 190, formæ maximæ (0^{m},502 × 0,342), columnis binis, lineis graphide ductis, una manu exaratus seculo XV ad finem vergente. Hic codex cum sequenti n° 9124 unum opus conficiunt quod frater quidam ordinis Carthusiani e cœnobio Vallis Regalis prope Gandam, nuncupatus Nicolaus Crayverwe de Beyernvliet (1),

(1) Vide tom. II, i. e. cod. 9124, fol. 181^{r}.

compilavit ex operibus S. Augustini atque descripsit intra annos 1481 et 1484 (1), referens ad certam vocabulorum seriem ordine alphabetico dispositam quidquid eximius Ecclesiæ doctor de rebus istis nominibus designatis statuerit ac disputaverit. Huic lucubrationi præposuit Nicolaus Vitam episcopi Hipponensis. Uterque codex jure computatur inter præstantissimos Regiæ Bruxellensis, utpote inprimis conspicuus et majoribus litteris quæ vario colore substrato venuste depictæ sunt, et sertis quæ manus artis suæ perita subinde foliis circumdedit, et scutis gentiliciis (2) saltem septem numero, et tandem tabellis haud paucis, a quibus describendis abstinemus, una tantum excepta quæ in capite Vitæ sancti doctoris signata est. Repræsentatur per eam sanctus episcopus veste pontificali indutus sedensque in faldistorio, a dextris habens monialem ordinis Carthusiani cui librum porrigit. Post hanc Deo dicatam virginem stat cum monachis aliquot nigri ordinis vir prolixiori barba decorus ac toga viridante vestitus. A sinistris autem depictum est pulpitum cum libro aperto itemque monachus ordinis Carthusiani qui multa cum reverentia ad episcopum conversus, pro tendit ipsi librum quem manibus gestat. Hunc subsequuntur fratres aliquot habitum monachalem nigri coloris deferentes.

Narratio ejusdem compilatoris in vita beatissimi almique pontificis Augustini (fol. 1r-8v).

Vita de qua actum est in *Act. SS.*, ad d. 28 Aug., tom. VI, p. 215, num. 15. Inc. *Archadii et Honorii temporibus, anno scilicet trecentesimo nonagesimo octavo, mundi vero quinque milibus quingentis nonaginta novem, virum hunc, quem describere intendimus, nobis tradidere nostri priores philosophatum in sancta orthodoxa ecclesia, administrante vero rempublicam Theodosio gloriosissimo ac victoriosissimo imperatore, Archadii Honoriique patre, in Thagastensi oppido Affricanæ provinciæ patre Patricio, matre Monica in hac luce ortum, educatum nihilominus accepimus.*

CXLII. Codex signatus n° 9289 (3).

Foliorum 195, formæ mediæ (0m,383 × 0,287), columnis binis, lineis graphide ductis una manu nitide seculo XII exaratus, excepto tamen folio primo. Etenim quum temporum injuria initium codicis dilaceratum fuisset, seculo XV librarius quidam initium Vitæ S. Justi rescripsit ac indicem contentorum in recta ejusdem

(1) Ita enim fol. 67v: *Explicit præfatio operis sequentis quod Catholicon beatissimi Augustini nuncupatur. Incœptum anno 1481.* Fol. 188v : *Anno Domini hæc compilavi 1484 et finivi opitulante Domino 18 die novembris, id est altera Hugonis Linconiensis episcopi patris, in domo Vallis Regalis ordinis Carthusiensis juxta Gandavum.* — (2) Vid. tom. I, fol. 9r, 25r, 44v, 115v, etc. — (3) Prætermittendum censuimus codicem signatum n° 9178-87, quamvis in Indice Generali bibliothecæ regiæ notatum reperiamus sub n° 9186 : *Liber de gestis gloriosissimi Karoli*

folii parte apposuit. Tituli ac litteræ majores rubricata sunt. Initio Passionum litteræ ut plurimum haud ineleganter exornatæ subinde phantasticas animantium species exhibent, subinde etiam bestiolarum immo et humanam formam induunt. Sed quum vermiculator opus suum imperfectum reliquisset, manus posterior aliquas minio depinxit. In margine superiori folii 1r conspiciuntur hæ litteræ : L L quæ testantur codicem fuisse S. Laurentii Leodiensis, quod etiam manifestat sequens notula fol. 194v adscripta : *Liber sancti Laurentii in Leodio.*

1° Vita S. Justi Lugdunensis episcopi et confessoris (fol. 1v-2r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Sept., tom. I, p. 373-375. In cod. constat num. 3-5 Vitæ prolixioris, deinde numm. 3, 4 Vitæ prioris, postea numm. 8, 9 Vitæ prol., ac tandem num. 10 prioris.

2° Passio SS. Aniceti et Fotini martyrum (fol. 2v-4v).

Acta auctore anonymo, latine ex græco reddita, quorum apographa in museo Bollandiano servantur et quæ majores nostri edere neglexerunt, utpote fide non digna. — Cfr. *Act. SS.*, ad d. 12 Aug., tom. II, p. 707, num. 12.

3° Passio S. Antonini (fol. 4v-5r).

Passio de qua supra tom. I, p. 141, 30°.

4° Passio S. Justi martyris (fol. 5r-6r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 18 Oct., tom. VIII, pp. 338, 339; sed in cod. stylus magis excultus.

5° Vita S. Evortii episcopi et confessoris (fol. 6r-9r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 7 Septembr., tom. III, p. 52-58. Sed hæc clausula : *Ego Lucifer...* (ad fin. num. 20) in cod. om.

6° Passio SS. Gorgonii et Dorothei (fol. 9r-12r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 9 Sept., tom. III, p. 340-342. In cod. Passioni non pauca annectuntur de Diocletiano, desumpta ex *Historia Miscella*, lib. x et xi (Migne, P. L., tom. XCV, p. 900 sqq.).

7° Passio SS. Proti et Jacincti (fol. 12r-13r).

Desumpta ex gestis sanctæ Eugeniæ, ut patet ex prologo quem Passionalis compilator narrationi præfixit in hunc modum :

Passio beatorum Christi martyrum Proti et Jacinti necnon et sanctæ Basillæ

Magni. In codice siquidem seculo XIII exarato et perpulchre exornato legimus fol. 206v :

Incipit liber in gestis gloriosissimi Karlomanni (sic) *Romani imperatoris et Francorum regis* (fol. 206v-211v).

Ast nihil aliud hic traditur nisi pars *libri in gestis Francorum* (in codice a fol. 189bis,r), qui tribuendus videtur Hugoni monacho Floriacensi (Vide G. Waitz, *Mon. Germ.*, scr. tom. IX, pp. 340-2). Continet autem hæc pars nonnulla de Karolo Magno fere ex diversis auctoribus, præsertim ex Einhardo desumpta.

virginis, quæ eadem die, qua et ipsi, martyrio creditur fuisse coronata, non per se singillatim, sed in libro Gestorum beatæ Eugeniæ conscripta est; atque ita gesta illorum gestis beatæ virginis permixta sunt, ut vix aliquid de his quæ per eos divina clementia fieri concessit commemorari possit, quod non æque ad actus atque singula negotia beatæ Eugeniæ valeat referri; utpote qui semper una constituti, bona quæ potuerunt, simul facere studuerunt. Quamobrem cum propter discretas temporibus passiones ac festivitatum separata sollemnia aliquid habere voluissemus, quod proprie ad eosdem martyres pertineret, atque in eorum natalicio die congrue legi potuisset, placuit nobis ea quibus eorumdem martyrum mentio continetur de prædicta historia, velut quosdam flosculos de prati cujusdam latitudine decerpere, atque ex his quoddam opusculum componendo contexere, quo sacer passionis eorum dies velut quodam serto redimitus atque ornatus videri potuisset. Passi sunt autem iidem beatissimi martyres sub Valeriano et Gallieno imperatoribus, quorum dies natalicius III idus septembris celebratur.

8° Passio SS. Felicis et Regulæ (fol. 13r-14v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 11 Sept., tom. III, p. 772 sqq. Discrimina notanda in Append. quæras.

9° Passio S. Cornelii papæ (fol. 14v-15r).

Edita apud Mombritium, tom. I; interpositus est in initio Passionis, post *fuisset perpessus* numerus 3 epistolæ XXXVIII S. Cypriani *Presbyteris et plebi universæ* (*Corpus scr. eccles. latin.*, Vindobonæ 1881, tom. III, part. II, p. 583). In fine quædam add. de Decio ac Philippo Romanorum imperatoribus, desumpta fere ad verbum ex *Historia Miscella* (Migne, P. L., tom. cit.).

10° Passio S. Cypriani episcopi et martyris (fol. 15r-16r).

Edita apud Migne, P. L., tom. XCV, p. 725 sqq.; in cod. multæ sunt lect. variantes. — Quæ de translatione in cod. post ipsam Passionem referuntur edita sunt in *Act. SS.*, ad d. 14 Sept., tom. IV, p. 340, num. 29-31, ac p. 341, num. 36.

11° Vita Heraclii imperatoris (fol. 16r-22v).

Desumpta ex *Historia Miscella*, edita apud Muratori, *scr. rerum Italic.*, tom. I, scilicet nonnullis omissis lib. XVIII cum parte lib. XIX, p. 124-139.

12° Passio S. Ferreoli martyris (fol. 22v-23v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 18 Sept., tom. V, pp. 764, 765. — Sed ad fin. num. 4 post *frequentibus approbantur*, in cod. add.: *Hic itaque sanctus martyr, completo quemadmodum prædiximus martyrii certamine, Viennæ sepultus est et cum eo caput Juliani martyris, qui Alvernis passus est, in unius tumuli receptaculo collocatum est. Quod ne cuiquam videatur fortassis incredula esse narratio, Gregorius Turonensis episcopus quæ audivit gesta, fideliter hoc modo prodit.* Ac referuntur quæ edita sunt ibid., pp. 761, 762, num. 7-9.

13° Passio S. Januarii episcopi et martyris (fol. 23v-25r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 19 Sept., tom. VI, p. 866-868. In cod. passim nonnullæ lectiones variantes.

14° Passio SS. Sergii et Bachi martyrum (fol. 25r-28r).

Edita ibid., ad d. 7 Oct., tom. III, p. 863 sqq. — In cod. multæ lect. variantes.

15° Passio SS. Tharaci, Probi et Andronici martyrum (fol. 28r-31v).

Versio latina nonnihil diversa ab ea, quæ edita est ibid., ad d. 11 Oct., tom. V, p. 566 sqq.

16° Vita et passio S. Lamberti episcopi et martyris (fol. 32r-37v).

Vita auctore Sigeberto edita in *Act. SS.*, ad d. 17 Sept., tom. V, p. 589-601. At num. 3 ultima pars a *Requievit olim.* om.; num. 5 om. inde a *Renovatur hic;* num. 6 *Jussus aliquando-materialem superaverit* om.; num. 7 inde a *Hic videor mihi videre* om.; num. 9 om.; num. 11 inde a *Talis apparuit pietas* om.; num. 12 inde a *Quam unanimis olim* om.; num. 16 *Hi aliique-Deo debellans* om.; num. 19 inde a *Habebat sane vir* om.; num. 22 ... *statuta ut respectu ipsius crucis, hi qui erant Christi ... suam devotius crucifigerent ... concupiscentiis et si quando gravius-culis delinquerent excessibus ad hanc addicti regulariter pœniterent.;* num. 23 *Lantbertus-pernoctabat immobilis.* om.; num. 25 *Punito divinitus-David in regnum.* om.; num. 26 *Et ut David-extendebat.* om.; num. 27 ... *requiesceret, nunc verbi dulcedine eos mulcebat, ut ad viam veritatis errantes adduceret, nunc ultro se ingerens ... destruebat, ut quavis occasione fremitus eorum compesceret. Illi freme-bant ut barbari, et eum ut bestiæ ferocissimæ discerpere cupiebant;* cet. omm.; num. 28-31 om.; num. 32 *Aliquando tamen humanitatis ... confirmari. Ita bellige-rator Christi paulatim ... odorem. Nec ante destitit.;* num. 37 *Et quid mirum-fidem fecisse* om.; num. 39 *et quorum imitabatur-vendidisset.* om.; num. 40 *Joannem Herodes ... timebat rabiem.* om.; num. 48 *Helias in cælum-calicem Domini.* om.

17° Passio duorum Ewaldorum presbyterorum v nonas Octobris (fol. 37v).

Ea de qua in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 496, num. 8. Cfr. pp. 621, 622.

18° In nomine Stæ Trinitatis incipit vita vel passio sancti martyris Christi Wencezlavi ducis Boemiæ. Quod est IIII Kl. Octobris (fol. 38r-42r).

Edita ope hujus codicis in *Monum. Germ.*, scr. tom. IV, p. 213 sqq.; cfr. p. 212, num. 2.

19° Passio S. Domnini martyris, VII idus Octobris (fol. 42r-43r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 9 Oct., tom. IV, pp. 991, 992. Num. 3 in verbis, quæ sanctus ad christianos habuisse fertur, post verbum *malitia* ita pergit : *operationes diaboli in corde suo conceptas, cum fideles Dei conatur evertere, fraudulenter egerit, dolose emittit, si quomodo simulatis blandimentis decipiat filios Dei, ut eos secum faciat filios diaboli. Si autem captiosis suasionibus nequit eos pervertere, furorem, tyrannidem a diabolo conceptam in eos effundit, torquet eos, disrumpit, adurit et beluina feritate crudeliter carnes eorum discerpit. Ita ergo a diabolo pervasore mente et corpore est captivatus, ut quidquid operatur non ab humano corde putes procedere ; sed diabolum eo ministro uti, cum vult in amicos Dei sua malignitate grassari ; et quia inter homines...*

20° Passio SS. Victoris et sociorum ejus CCCXXX, VI idus Octobris (fol. 43r-44r).

Edita in in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 625-628. Sed num. 3 ad fin. add. :

Hi in Oriente pro terreni regis jussione arma captant, ut venturi in Galliam cœlestis regis dilectione ea amittant. Hi veniunt hostes, ut hostes rapiant mactent et perdant, sed ipsi gladio occurrent, genua figent, colla subponent, atque per odium Cæsaris gratiam sibi adquirent summi regis.

Num. 7, p. 628, lin. 7, post *vidua matre* add. :

Præsertim non solum carnales amicos, non solum multi deserunt parentes aut filios, non solum familias vel domos, sed adeo amore supernæ patriæ accenduntur, ut odiendo hanc miseram vitam diversa tyrannorum supplicia incurrant, et Dei Filium confitendo mortem eligant qua vivant. Ecce nobis idem Deus, idem Dominus ; eumdem et nos, quem ipsi electi adorant. Eadem possibilitas est ei servandi et nos, sicut et illos ; eadem pietas misereri et nobis sicut et illis, idem præmium expectat nos sicut et illos. Præterea si Cesar jusserit et hic exercitus cum illo senserit, ad bellum ibit; et si ibi miserum hostem percusserit, aut percussus ab illo ceciderit, eia milites Christi, ubi merces pro tali certamine? Ubi victoriæ palma? Ubi martyrii corona? Heu absit, absit a militibus Christi tam importunum ac nefandum facinus ut adorato idolo sacrilega manus, hostis Deo, dicatum caput obtruncet, sacratum pectus perforet, vel attingat sanguinem sanctorum cruor incrassatus libaminibus dæmoniorum. Ergo si pro fide affligitur, salus adquiritur ; si pro Christo moritur, vita consequitur. Redeant iterum ad mentes sancti martyres quos quanto acrius torquent carnifices, tanto extant fortiores. O dilectissimi, unde hoc? Nisi quia ipsa cœlestia præmia delectant. Accepimus et illud dictum Domini nobis prædicantis " Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam quoniam ipsorum est regnum cœlorum ". Delectent pariter et ipsa præmia vitæ perennis, et ne obtemperemus incommodis edictis Maximiani principis ; sed succumbamus articulo momentaneæ mortis. Gaudeamus igitur in Domino securi de præmio. Festinemus omni intentione tene-

bras perituri seculi fugere. et per gloriosam coronam martyrii ad asylum claritatis æternæ citius pervenire, ubi nullus labor, nec ullus dolor, ubi nullus metus, nec ullus est gemitus. Quidquid illic est, salus probatur et requies. Quanto enim acrior fuerit conflictio tormenti, tanto immensior retributio præmii. O quam beati, qui utuntur præmio tali, quive sustentantur insatiabili visione Dei, qui cum civibus supernis laudes dicunt sanctæ et individuæ Trinitati. Eia fortissimi milites Christi, qui talia dona desiderat, Romanum vexillum cum pestiferis armis despiciat, et crucis vexillo in fronte levato certamen securus ineat, et dulcedo perpetuæ mercedis tergat omnem dolorem momentaneæ passionis.

21° Vita S. Galli confessoris, discipuli S. Columbani abbatis et confessoris, quæ legitur XVII Kl. Novembris (fol. 44r-53r).

Vita auctore Walafrido edita apud Mabillonium, *Act. SS. O. S. B.*, sec. II, p. 228 sqq. Versus quibus in editis clauditur præfatio omm.; item cap. XXXV lib. I; ex lib. II referuntur tantum cap. I-IV, ac cap. VI.

22° Passio SS. Philippi Iherapolitani episcopi, Severi presbyteri, Hermetis diaconi, qui passi sunt Adrianopoli civitate Thraciæ, XI Kal. Novembris (fol. 53r-56v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 22 Oct., tom. IX, p. 545-552. In cod. multæ lect. variantes, præsertim num. 7.

23° Passio S. Theodoriti martyris (fol. 56v-57v).

Edita ex hoc cod. in *Act. SS.*, ad d. 23 Oct., tom. X, p. 40-45; cfr. p. 35, num. 10.

24° De Juliano imperatore et de martyribus sub eo passis (fol. 57v-63r).

Narratio desumpta, saltem quoad substantiam, partim ex Socratis lib. III et Sozomeni lib. V, partim ex *Hist. Miscella;* verba autem quod spectat, sæpe concordat cum Cassiodori *Historia tripartita*, lib. VI.

25° Vita S. Severini episcopi et confessoris (fol. 63r-65r).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 23 Oct., tom. X, p. 56-59; num. 1-14; cfr. p. 59, annot. *a*

26° Relatio corporis ipsius (fol. 65r-66r).

Edita ibid., p. 61-63, num. 15-22.

27° Passio SS. Crispini et Crispiniani martyrum (fol. 66r-67r).

Edita ibid., ad d. 25 Oct., tom. XI, p. 535-537.

28° Passio S. Eusebii martyris (fol. 67^{r}-68^{r}).

Edita ibid., ad d. 14 Aug., tom. III, pp. 150, 151; cfr. tom. XIII Octob., p. 684.

29° Passio S. Cæsarii martyris (fol. 68^{r}-69^{r}).

Edita ibid. ope hujus cod., ad d. 1 Novemb., tom. I, p. 106 sqq.

30° Passio S. Benigni martyris (fol. 69^{r}-71^{r}).

Edita ibid. ope hujus cod., ad d. 1 Novemb., tom. I, p. 159 sqq.

31° Passio S. Eustachii sociorumque ejus (fol. 71^{r}-74^{r}).

Edita ibid., ad d. 20 Sept., tom. VI, p. 123 sqq. In cod. prol. om. ac generatim quæ in edit. uncinis inclusa sunt.

32° Vita S. Amantii episcopi (fol. 74^{r}-75^{r}).

Edita apud Surium ad d. 4 Novemb.

33° Passio S. Mennæ martyris (fol. 75^{r}-76^{r}).

Edita apud Mombritium, tom. II.

34° Vita S. Briccii episcopi et confessoris (fol. 76^{v}-77^{v}).

Edita apud Surium, ad d. 13 Nov.; at in cod. ante ultimam phrasim § 1 (*Adeptus*) insertum est cap. XV dialogi III Sulpicii Severi.

35° Passio S. Eugenii (fol. 77^{v}-79^{v}).

Edita in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 131-139; sed post num. 15 ponitur num. 18. Epitaphium præponitur Passioni cum hoc titulo :

EPITAPHIUM SANCTI EUGENII ARCHIEPISCOPI TOLETANÆ SEDIS ET MARTYRIS QUID IPSE DE SE EDIDIT.

36° Vita S. Maclovi episcopi et confessoris (fol. 79^{v}-84^{v}).

Edita apud Surium ad d. 15 Novemb.

37° Vita S. Aniani episcopi (fol. 84^{v}-86^{v}).

Ea vita de qua actum est in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 500, 43°; cfr. tom. II, pp. 139, 140.

38° Passio SS. Romani, Ysicii et Baralæ (fol. 86^{v}-89^{r}).

Passio, res narratas quod spectat, convenit cum Passione edita apud Mombritium, tom. II, sed stylo ab ea multum differt. — Inc. *Temporibus Diocletiani et Maximiani imperatorum, cum esset persecutio in partibus Orientis, apud Antiochiam Dominus diabolicam jussionem per famulos suos id est Romanum, Ysitium et Baralam puerum parvulum superare dignatus est.*

39° Passio S. Maximi martyris (fol. 89^{r}-89^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 30 Aprilis, tom. III, pp. 732, 733.

40° Passio S. Mauri monachi (fol. 89^{v}-90^{r}).

Vid. Append.

41° Vita S. Columbani abbatis (fol. 90r-97v).

Vita auctore Jona edita in *Act. SS. O. S. B.*, sec. II, p. 5 sqq.; in cod. om. epistola dedicatoria ad Bobolenum et Waldebertum abbates.

42° Vita S. Trudonis confessoris (fol. 98r-103v).

Vita de qua in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 500, 50°.

43° Passio vel vita S. Antidii Crisopolitani episcopi et martyris (fol. 103v-105v).

Vita de qua ibid., 52°.

44° Passio S. Marculi episcopi et martyris (fol. 106r-107v).

Edita apud Mabillon, *Vetera Analecta*, p. 182 sqq. -- Inter §§ 1 ac 2 hæc in cod. add. :

Constans tertius ab Heraclio imperatore qui lignum sanctæ Crucis de Perside Hierosolimam reportavit in Constantinopoli imperavit. Qui seductus a Constantinopolitanis episcopis Paulo et Pyrro et Sergio et aliis quam plurimis qui affirmabant in Christo esse unam naturalem voluntatem et unam operationem, adquievit errori eorum dicens : quia in Christo, in quo una operatio et una voluntas reperitur, in eodem etiam una natura esse cognoscitur. Unde hæc hæresis monothelitarum dogma appellata est. Johannes autem Romanus præsul, collecto episcoporum multorum concilio, monothelitarum hæresim anathematizavit. Similiter et in Affrica penes Numidiam et Mauritaniam diversi episcopi convenientes monothelitas anathemate perculerunt. Johanne autem papa dormiente, succedens Theodorus apostolica auctoritate omnes huic hæresi consentientes anathematizavit. Cui etiam succedens Martinus sanctissimus, synodo centum et decem episcoporum collecta, Sergium et Pyrrum et Paulum et omnes eis communicantes ab ecclesiastica societate exclusit, duasque voluntates et operationes et duas in Christo unitas naturas expressius prædicavit atque firmavit. Quibus agnitis Constans imperator furore repletus sanctum Martinum papam Constantinopolim ductum et cruciatum apud Cerbonam exilio relegavit, multos etiam Hesperiarum episcopos punivit.

Inter quos etiam hic beatissimus Marculus, dum contradicit tam perversæ et exitiali unitati consensum suum inclinare, pro defensione Christi elegit oppetere. Ipse namque olim præelectus et prædestinatus a Domino, mox ut primum beatæ fidei rudimenta suscepit, statim mundanas litteras respuens forense exercitium et falsam secularis scientiæ dignitatem, suspensa ad cælum mente calcavit, et a calumniosis tribunalium septis ad sanctissimam ecclesiæ scolam transiens, dum verum magistrum elegit Christum, sic inter principales Christi discipulos meruit honorari. Quæ vero in eo fuerit probitas conscientiæ, quæ illustrium morum innata verecundia, quæ gratia spiritualis in vultu, non arbitror diu multumque laborandum, cum superiorem

vitam ejus illa res probet, quod meruit sacerdotium, sacerdotium vero qualiter gesserit inde sit clarum, cui pro præmio Dominus dignatus est præstare martyrium.

45° Passio S. Petri Alexandrini episcopi et martyris (fol. 107v-109r).

Passio de qua in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 501, 53°; cfr. tom. II, p. 141.

46° Passio S. Saturnini episcopi (fol. 109r-110r).

Passio de qua ibid., 54°; cfr. tom. II, pp. 141, 142.

47° Passio S. Sabini episcopi et martyris (fol. 110r-111r).

Edita apud Baluzium, *Miscellanea* (ed. J. D. Mansi), tom. I, p. 12-14. In cod. multæ lect. variantes.

48° Vita S. Eucharii primi archiepiscopi Treverorum (fol. 111r-113v).

Vita de qua in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 501, 60°.

49° Passio SS. Gentiani, Fusciani et Victorici (fol. 113v-114r).

Edita in *Act. SS. Belgii,* tom. I, p. 166 sqq. — Subinde phrasis aliqua om., præsertim num. 8.

50° Passio S. Pauli Narbonensis episcopi (fol. 114v-115r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 22 Martii, tom. III, pp. 373, 374, num. 14-17. — In cod. sub finem Passionis scilicet num. 17 post verba : *quod confessori necnon etiam sacerdoti intulerat,* posita sunt quæ edita sunt num. 14 (*Accinctus-confessor existeret*). Deinde in cod. una alterave phrasis om.

51° Inventio SS. Gervasii et Prothasii (fol. 115r-116r).

Narratio de qua in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 513, 45°.

52° Passio S. Nicasii Remorum Archiepiscopi et sororis ejus Eutropiæ (fol. 116r-117r).

Edita in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 609-613, ac tom. II, pp. 156, 157.

53° Passio S. Gregorii Spoletani (fol. 117r-118r).

Edita apud Surium, ad d. 24 Decembr., stylo subinde aliquantulum immutato.

54° Passio S. Concordii (fol. 118r-118v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Jan., tom. I, pp. 9, 10.

55° Passio S. Petri qui et Balsamus dictus est (fol. 118v-119r).

Edita ibid., ad d. 3 Jan., p. 129. — In cod. num. 1 post vocem *persecutionis* hæc add. :

Et satis congrue hoc nomen Petri sortitus est, qui et Petri doctrina institutus, sicut illum nomine, ita ostendebat in effectu suæ doctrinæ. Adhuc etiam illum crediderim Petro conformandum, qui ad Dominum sicut et Petrus per crucis transivit supplicium. Crediderim etiam eum per fraglantiam suæ sanctitatis saluberrimum odorem spirasse mentibus humanis, qui cum Balsamus diceretur, balsamo virtutum suarum infirmitates hominum linivit, et eorum animas peccati fœditate putentes, unctione sui balsami a peccati putredine reddidit insolubiles. Qui cum esset oriundus...

56° Passio S. Luciani martyris Antiocheni VII idus Januarii (fol. 119r-120r).

Desumpta ex Ruffini *Hist. ecclesiast.* lib. IX, capp. II-VI; additis in fine his quæ in *Act. SS.* ad d. 7 Jan., tom. I, p. 363, num. 3 edita sunt: *Illico ministri...*

57° Passio S. Luciani Belvacensis VI idus Januarii (fol. 120r-123r).

Passio auctore Odone episcopo edita in *Act. SS.*, ad d. 8 Jan., tom. I, p. 461 sqq. — Sed lectio codicis convenit cum lectione codicis S. Maximini Trevirensis, ut conjici licet ex additamentis quæ passim in annotatis sunt edita.

58° Passio SS. trium germanorum Speusippi, Eleusippi et Meleusippi (fol. 123r-125r).

Constat elementis quæ manu haud insolerti desumpta videntur partim ex Actis quæ Bollandus edidit juxta codicem Velseri (*Act. SS.*, ad d. 17 Jan., tom. II, p. 74 sqq.), partim ex Actis auctore Warnahario, editis ibid., p. 76 sqq. Nempe cod. incipit : *Gloriosa certamina martyrum studiosius reserare Christo auctore compellimur, utpote cujus fidei amore acta fuisse proculdubio profitemur. Tempore Aureliani imperatoris in civitate Lingonis fuerunt tres fratres gemini Speusippus, Eleusippus et Meleusippus. Qui ex matris unius utero simul nati quasi tres rosæ ex una virga erumpentes et aspectus gratia ... pollebant.* Sequentia concordant cum editis ex Velsero, usque ad finem num. 13; occurrunt quædam variantes lectiones, et leguntur ea quæ edita sunt in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 378. Hinc cod. pergit : *Interrogati autem* (Acta Warnah., num. 16) etc. juxta Warnaharium, cum variantibus nonnullis lectionibus. Hæc tantum juvat hic referre quæ in fine num. 18 post verba *ad cœlos* addita sunt :

Antequam vero consummati essent, conversi ad aviam suam dixerunt : *Collige aliquos fideles zelo Dei ferventes et vade cum eis ad conterendum simulacrum Nemesis. Dulcior enim nobis erit nostra ad Deum transmigratio, si noverimus nos diabolo in hac parte dolorem et confusionem reliquisse. Præterea Turboni fideli viro consigna seriem nativitatis et conversionis nostræ ad Deum et omnem textum passionis nostræ ut annotet omnia quæ nobiscum acta sunt ad laudem et gloriam nominis Christi.* Accepto hoc mandato, Leonilla cum quadam Ionilla mutuæ familiaritatis consecretali ad Nemesim cucurrit et maxima virtute a Deo illis administrata, profano simulacro impingentes, dejecerunt illud et frustatim per minutias subtilissimas dissolverunt, ita ut vix ex reliquiis recognosceretur ali-

quando simulacrum fuisse. Cetera etiam simulacra quæ ad latera ejus quasi ad reverentiam illius fuerant posita, minutatim contriverunt. Quod factum custodes templi nuntiaverunt et sic a mulieribus deos suos dehonestatos querula suggestione proclamaverunt.

59° Passio S. Pontiani (fol. 125r-125v).

Desumpta ex Martyrologio Adonis ad d. 19 Jan.

60° Passio S. Patrocli martyris (fol. 125v-126r).

Contracta ex Passione edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Jan., tom. II, p. 343.

61° Passio S. Asclæ martyris (fol. 126r-127r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 23 Jan., tom. II, pp. 456, 457.

62° Passio S. Timothei apostoli (fol. 127r-127v).

Passio auctore Polycrate episcopo Ephesino edita ibid., ad d. 24 Jan., pp. 566, 567.

63° Passio S. Saviniani (fol. 127v-128r).

Rebus narratis convenit cum Actis S. Sabiniani martyris editis ibid., ad d. 29 Jan., p. 939 sqq., ac in *Anal. Boll.*, tom. IV, p. 139 sqq.

64° Passio SS. Tyrsi et Gallenici (fol. 128r-133v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 28 Jan., tom. II, p. 824 sqq.

65° Passio S. Ignatii episcopi et martyris (fol. 133v-136r).

Edita ibid., ad d. 1 Febr., tom. I, pp. 29 sqq.; in cod. num. 21 ultima verba *sed translatio...* omm.

66° Passio S. Phileæ episcopi et martyris (fol. 136r).

Desumpta ex Martyrologio Adonis ad d. 4 Febr.

67° Passio SS. Philemonis, Apollonii, Arriani, Theotici (fol. 136r-138v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 8 Martii, tom. I, p. 752 sqq.

68° Passio S. Pigmenii presbyteri et martyris, quæ est x Kl. Aprilis (fol. 138v-139v).

Edita supra tom. I, p. 161-164.

69° Passio S. Hyrenei episcopi et martyris (fol. 139v-140r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Martii, tom. III, pp. 556, 557.

70° Vita S. Ursmari episcopi et confessoris (fol. 140r-141r).

Vita auctore Ratherio Veronensi episcopo, edita apud Mabillonium, *Act. SS. O. S. B.*, sec. III, parte I, p. 250-255. — In cod. deest prologus et pars media num. 6 *(Hanc autem confessionem-jubentis imperio coactus).*

71° Passio SS. Felicis presbyteri, Fortunati et Achillei diaconorum (fol. 141r-142v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 23 Aprilis, tom. III, p. 98-100.

72° Passio S. Sigismundi regis (fol. 142v-144r).

Ea de qua actum est in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 506, 2°; cfr. tom. II, p. 280-282.

73° Passio S. Andeoli subdiaconi (fol. 144v-146r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Maii, tom. I, p. 35-39. — At num. 10 altera pars om., scilicet inde ab *Infelicissime hominum, si tu colendo...;* num. 11 refertur secundum annot. *d*, p. 38, ac insuper post *extende manum* add. : *tuam et extingue eum diligenter* (vid. *Anal. Boll.*, tom. I, p. 506, 3°); num. 12 inde a *Suscipiet vero ille te...* om.; num. 13 *Orantibus... cupientibus sanctus Andeolus profusus lacrimis...;* num. 15 inde a *Sed ut veritatem...* om.; num. 16 refertur secundum annot. *a*, p. 39; num. 17 habet lect. var. annot. *b*, p. 39; item num. 18 lec. var. annot. *f*, p. 40; tandem num. 19 desinit ita : *Kalendis maii pro nomine Domini nostri Jesu Christi cui est cum patre ac Spiritu sancto honor et virtus laus et imperium et gloria in secula seculorum. Amen.*

74° Victoria Constantini imperatoris, qua triumphavit de Maxentio tyranno per virtutem sanctæ Crucis (fol. 146r-147v).

Ea relatio de qua in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 505, 6°; cfr. tom II, p. 283-287.

75° Translatio S. Nicholai (fol. 148r-151r).

Narratio de qua ibid., p. 507, 9°.

76° Miracula ejusdem S. Nicholai episcopi (fol. 151r-152v).

Edita in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 151-156.

77° Passio S. Mutii martyris (fol. 152v-154r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 11 Maii, tom. II, p. 622-624.

78° Passio S. Pontii martyris (fol. 154r-156v).

Edita ibid., ad d. 14 Maii, tom. III, p. 274-279.

79° Passio S. Peregrini episcopi (fol. 156v-157v).

Ea de qua in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 510, 22°.

80° Passio S. Urbani papæ (fol. 157v-162v).

Acta de quibus ibid., 26°.

81° Passio S. Charauni martyris (fol. 162v-164r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 28 Maii, tom. VII, p. 749-752. — Prologus ac miracula ibi post Vitam edita in codice desiderantur, nec non et aliquæ hujus tenoris phrases : *Antea enim deficiet copia verborum quam signa tangent littus miraculorum.*

82° Passio S. Cononis martyris (fol. 164r-164v).

Edita ibid., ad d. 29 Maii, tom. VII, p. 5-7.

83° Passio S. Prisci martyris (fol. 165^r-165^v).

Ea de qua actum in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 511, 29°.

84° Passio S. Bonefacii martyris (fol. 165^v-166^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 11 Maii, tom. III, p. 280-283.

85° Passio S. Barnabæ apostoli (166^v-169^r).

Passio de qua in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 512, 41° ; cfr. tom. II, pp. 301, 302.

86° Passio SS. Ferreoli et Ferrutionis (fol. 169^v-170^r).

Ea de qua ibid., pp. 512, 513, 44°.

87° Passio SS. Hermagoræ et Fortunati (fol. 170^r-171^v).

Edita in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 311-316.

88° Passio S. Salvii episcopi (fol. 171^v-173^r).

Edita in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 308-311. Sed quæ ibi necessario sunt omissa ex cod. subjungimus :

sacerdotes itemque alios quamplurimos sacri ordinis ministros, additis et de latere regis palatinorum procerum quam plurimis. Omnes pro tempore et religiose satis apparati, prorsus honestissima erga sanctos devotione usi. Ita cum crucibus et cereis ventum est ad loca sanctorum, summaque reverentia cum ecclesiastico concentu corpora sancta abinde levata sunt. Tum et aromatibus condita mundis linteaminibus involvuntur, et plaustro novo in hoc ipsum parato imponuntur. Adjunctis deinde bobus in eam quæ proxima erat sancti Vedasti confessoris ecclesiam illos inferre parabant. Verum id frustra tentatum est. Nam ex virtute Dei plaustrum tanto pondere fixum stetit, ut nulla hominum vi de loco posset moveri, quo facile per hoc daretur intelligi non eos illuc quo tendebatur velle transferri. Tentatum est transire in alteram, quæ erat sanctæ Farahildis, basilicam et ibi nihilominus stetit immobile pondus.

Tum consilio sacerdotum amotis omnibus instrumentis, duobusque tantum bobus admissis, permissum est Dei et ipsorum voluntati quam in partem vellent deportari. Tum ergo remisso hominum conatu, sine ullo ductore tanta velocitate bobus trahentibus pervolavit plaustrum, ut currentes rotas nulla sequentium æquiperare posset velocitas. Hoc modo ventum est ad basilicam sancti Martini, quæ in sæpe dicto fisco sita, sancto martyri adhuc viventi sæpius frequentata fuerat. Illum plane locum a Deo sibi paratum idem sanctus præviderat, dum ibi vigilias ageret, dum preces Deo quam devotissime offerret. Ante ipsam ergo basilicam plaustrum subsistens populum expectat subsequentem non sine admiratione multorum, qui tantam in martyre Christi Salvio virtutum gratiam conspicerent. Ibidem cum summo honore repositæ sunt reliquiæ beatorum martyrum, multis abinde virtutibus auctore Deo prosequentibus.

At vero rex religiosus sæpe dicti fisci partem tertiam beato Salvio jure perpetuo contradidit, et hac illius ecclesiam prima dote donavit. Sed et ipse Genardus suas illi possessiones cum testamento subscripsit, qui corporeo lumine perdito, conversus ad Deum internæ lucis oculum recipere promeruit. Filius ejus qui sanctis

necem intulerat, longa quidem pœnitudine scelus expiavit. Numquam tamen illi concessum est, ut sanctorum pignoribus vel orationis causa propinquaret. Nam cum inibi die quadam prostratus oraret, subito concussa funditus basilica ipse semivivus exturbatus et propulsus est. Servus vero qui illi in scelere paruerat cum flebiliter inibi peroraret, seque invitum, se coactum peccasse clamaret, ipsosque hoc melius scire commemoraret, clementiam in se martyrum citius persensit. Nam cum oraret, repente unum evulsorum luminum recepit, ipsumque omni vita sua sanctorum obsequiis devovit. Et de virtutibus gloriosi martyris Salvii quibus in initio claruit hæc ad præsens sufficienter dicta sint. Ceterum sunt multa et innumera ipsius miracula, quæ super variis incommodis laborantes acta sunt, sed ea memorare præsentis temporis non est. Per omnia laus et honor Deo qui vivit et regnat in secula. Amen.

89° Passio S. Focæ episcopi et martyris (fol. 173r-175r).

Edita apud Mombritium, tom. II.

90° Passio S. Eusebii Vercellensis (fol. 175r-178r).

Edita apud Ughellum, *Italia sacra*, tom. IV, p. 749 sqq,; sed in cod. passim nonnulla sunt omissa vel contracta.

91° Passio S. Felicis martyris (fol. 178r-180r).

Lectio codicis proxime accedit ad eam de qua supra, tom. I, p. 34, 61°.

92° Passio S. Gratiliani (fol. 180r-181r).

In responsis martyris ac judicis interrogationibus paulo prolixior est Passio ea quæ edita est in *Act. SS.*, ad d. 12 Aug., tom. II, p. 728 sqq.

93° Passio S. Alexandri episcopi et martyris (fol. 181r-183r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Sept., tom. VI, p. 230 sqq. — Sed in cod. stylus subinde immutatur, narrata contrahuntur, ac in refenda visione (num. 14) non prima sed tertia persona usurpatur.

94° Passio S. Firmini episcopi et martyris (fol. 183r-185r).

Edita apud Joseph de Maceda, *Actas sinceras de los santos Saturnino, Honesto y Fermin*, p. 277 sqq. — In cod. subinde quædam omissa sunt. Incipit : *Tempore Maximiani et Diocletiani sceleratorum principum quando tyrannica eorum rabies in christiano populo sæviebat, erat vir præclarus...*

95° Passio SS. Florentini et Hylarii (fol. 185r-186v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 27 Sept., tom. VII, p. 420-422. In cod. num. 1 om.

96° Passio S. Piatonis episcopi et martyris (fol. 186v-187v).

Ea passio de qua in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 495, 1°; cfr. pp. 619, 620.

97° Passio S. Demetrii martyris (fol. 187v-188r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 8 Oct., tom. IV, p. 87-89. Prologus deest.

98° Passio SS. Nicasii Quirini et Scuviculi (fol. 188r-189v).

Edita in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 628-632.

99° Passio Innumerabilium Martyrum (fol. 189v-190r).

Edita ope huj. cod. in *Act. SS.*, ad d. 3 Novemb., tom. I, p. 643 sqq.

100° Passio S. Eadmundi regis (fol. 190r-193v).

Edita apud Surium ad d. 20 Nov. — In cod. omm. prologus, tres primæ phrases num. XI, ac num. XV-XVII.

101° Sermo Rabbodi sanctæ Trajectensis ecclesiæ famuli, de gemina felicitate confessoris et episcopi Christi Servatii (fol. 193v-195r).

Editus ope hujus codicis in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 104-111.

102° Passio S. Mononis martyris (fol. 196r-196v).

Edita ibid., tom. V, p. 196 sqq.

Appendix ad cod. 9289.

DE SANCTIS MARTYRIBUS FELICE ET REGULA (Cfr. supra, pag. 284, 8°.)

Beatissimus Felix et germana sua sancta Regula, qui de comitibus Thebeorum martyrum fuisse affirmantur, et socii eorum... post orationem reficientes, subsequentes se ministros viderunt, qui eorum latebram prævenirent, ne occultati multos filios christianæ fidei generarent et cum numerosa progenie exinde procedentes, contra romanum imperium et contra deorum ritus conspirarent. Sed ...

Num. 2 *post* beatitudinem *add.* Prosequentes ergo ipsi sancti ministros, qui eorum latebram jam præterierant, et labore viæ et curiositate inquisitionis eos expedierunt, dum se esse qui quærebantur publicaverunt, et ultro se manibus eorum comprehendendos injecerunt. Quos illi tenentes vinxerunt; in hoc se fortunatos æstimantes, quod diutino viarum dispendio in eorum investigatione non sunt confecti, et in hoc etiam deos esse magnificos et vere reverendos confidentes, quod eorum inimici in ultionem contemptus sui sponte accederent puniendi. Quos reductos præsentaverunt cuidam Decio tyranno, qui absente Maximiano vices tyrannidis ejus expleret, et cum persona ostenderet eum absentem, crudelitate significaret in sanctorum mortibus semper esse præsentem. Sic enim Maximianus erudierat suos, ut si vultus ejus rabidam similitudinem non possent imaginari, in furore atque crudelitate Maximianum semper ostenderent adesse. Quos videns Decius ...

Num. 6... *Inimice Dei quare non recogitas quis creaverit terram qua portaris? Quis firmaverit cœlum quod supra te attendis? Quis fecerit solem et lunam, quorum altero in die, altera in nocte illuminaris? Et cessa horum creationem asscribere spurcissimis hominibus, qui post longa tempora mundanæ conditionis infausta primordia habuerunt, immundissima rudimenta vitiaverunt, omnes ætates suas corruperunt, ultima vero tempora exigentibus eorum sceleribus infeliciter aut incendio, aut fulmine, aut beluina voracitate, aut aquarum submersione, aut propriæ manus obtruncatione, aut gutturis desectione, aut quolibet ignominiosi exitii genere terminaverunt. Deus meus cælum et terram et ceteras quæ his interjacent creaturas condidit, regit et quousque ad id unde sumptæ sunt refluant gubernabit. Ipse idem semper permanens post illas, sicut semper permansit ante illas. Ipse animarum omnium habens potestatem, quas prædestinavit salvari, custodia continua super eas intendit, quas vero præscivit condemnari, patitur absque providentia sua sic depravari, ut incidant in perniciem prævaricatoris angeli, qui prævaricator angelus deus tuus est; quique hominum quorum simulacra veneraris deus exstitit, et sicut illos secum damnandos assumpsit, ita te eorum seductione irretitum ad suum interitum rapient socium. Nec tu solus ab hac morte, dum minus caves abripieris, sed et imperatores tui huic morti debentur, quorum præceptis ideo obsequeris, ut eorum suppliciis infernalibus, ut fidelis clientulus, non priveris.* Decius dixit: *Adhuc patiens...*

DE SANCTO MAURO MONACHO. (Cfr. supra, pag. 288, 40°.)

Passio sancti Mauri monachi (1).

1. Apud Castella provinciæ Affricæ erat quidam vir timens nomen Domini nostri Jesu Christi, ex parentibus christianis, nomine Maurus, multam et nimiam habens substantiam. Qui quotidie in orationibus Dominum precabatur, jejuniis corpus macerabat, elemosinis viduis, orphanis et egenis frequenter impensis non minuebatur. Cumque hoc omnibus diebus vitæ suæ incessanter perageret, nutu Dei Spiritussanctus immisit in sensum ejus ut monasterium ingrederetur. Cum ergo ibi habitaret, ita cœpit ab universis fratribus diligi, ut veluti patrem eum omnes venerarentur. Cumque complesset annos XVIII agens vitam monachorum, introivit in sensum ejus desiderium, ut sancti Petri apostoli corpus visitaret. Et proficiscens Deo auxiliante Romam pervenit, et cum didicisset omnia mysteria et omnem regulam ecclesiæ, multo magis in urbe Roma cœpit christianis et egenis consueta præbere solatia.

2. Cum vero illic demoraretur annis tribus, eodem tempore quo imperium obtinuit Numerianus impiissimus, cœpit per civitates et provincias sua præcepta

(1) De S. Mauro mentio fit in *Act. SS.*, inter Prætermissos ad d. 5 Junii, tom. I, p. 419.

urgenter dirigere, ut si quis christianus inventus fuisset et non diis immolaret, diversis suppliciis maceratus morti traderetur. Ipso namque in tempore, cum præfecturam Romæ promeruisset Celerinus, et ipse idolis deditus diu requisisset per omnes civitates et loca, ut sicubi christiani reperirentur, diversis generibus tormentorum affecti deficerent, beatissimus Maurus audiens vocem rabidam persequentis, de urbe Roma se subtraxit, et in quadam spelunca cœpit commorari.

3. Cum autem illic demoraretur mensibus tribus, media nocte post orationem soporatus est, et vidit virum splendidissimam virgam ferentem quasi auream in manu sua et dicentem sibi : *Surge, quoniam non te despexit Deus, quem ex toto corde et ex tota anima diligis et ingredere urbem Romam sine aliqua mora.* Mane autem facto surgit vir Dei, et in mente habens visionem somnii, civitatem ingressus est. Et cum cognovissent eum aliquanti qui eum sciebant peregrinum christianum esse, comprehendentes eum perduxerunt eum præfecto Celerino.

4. Quem videns præfectus sic eum interrogavit dicens : *Ex nostra patria vel genere es, aut a Samaritanis partibus huc advenisti?* Beatus Maurus Dei famulus constanter respondit : *Ex Affricanis partibus adveni.* Celerinus præfectus dixit : *Christianus es, an paganus?* Beatissimus Dei famulus respondit : *Christianus sum ab infantia; nec solum ego, sed et omnes parentes mei.* Præfectus dixit : *Et ob quam causam in hanc urbem devolutus es?* Dei famulus respondit : *Ubi mihi præcepit Dominus meus Jesus Christus, ibi devolutus sum.* Celerinus præfectus dixit : *Nunc accede et sacrifica diis, per quos poteris honorem accipere et nostras amicitias promereri.* Sanctus Maurus dixit : *Nunquam tibi bene sit, et omnis utilitas a te avertatur, qui alium honorem, quam Deo servire, dicis esse potiorem, et amicitias tuas amicitiis Dei mei æstimas superiores. Ipsis etiam quibus me sacrificare suades nec honor, nec prosperitas ulla proveniat; sed confusione erubescant, interitu dispereant, oblivione ab hominum memoria delitescant. Ego Deo meo Jesu Christo et omnium seculorum creatori sacrifico sacrificium mundum. Nam diis tuis ego nunquam sacrificabo, qui si ceciderint ex alto, ita comminuuntur, ut non appareat aliquando eos effigiatos fuisse, nec etiam unquam cœpisse, nedum vel parvo tempore substitisse. Quasi enim nunquam fuerint, indicia eorum nulla supererunt.* Hæc audiens Celerinus præfectus jussit eum fustibus nodosis cædi et plumbatis maxillas ejus contundi dicens : *In injuriam deorum noli verba vana profundere.* Dei famulus respondit : *Gratias ago Domino meo Jesu Christo, quia dignatus est me hac gratia glorificare ut pro eo pati mererer, sicut et ipse pro omni populo redimendo passus est.* Celerinus præfectus dixit : *Putas te vivum mortem tuam, quam in manibus meis teneo, evasurum? Vitam qua gloriaris auferam, et mortem qua funditus intereas tibi immittam, si non sacrificaveris diis venerandis. Aut forte hoc putas ut quasi peregrino tibi parcam aut indulgeam?* Sanctus Maurus Dei famulus respondit : *Miserrime, quid mihi est tua indulgentia, aut forte te furente possum pertimescere? Indulgentiam Dei mei habeo, nam minæ tuæ sic sunt apud omnes qui Christum colunt, ut rabidus canis dum vocem suam emiserit.*

5. Iratus autem vehementer præses jussit eum in equuleo suspendi et ungulis radi. Quo facto sanctus Maurus in cœlum intendebat oculis et sic superiora mente

etiam contemplatus obliviscebatur, quod dum torqueretur pendebat in equuleo suspensus. Jussit præterea præfectus lampades ardentes lateribus ejus applicari. Sanctus vero Dei famulus dixit : *Vere dico per nomen Domini mei Jesu Christi, quia nihil horum quæ mihi a te tyrannice inferuntur sentio. Erubesce jam cum patre tuo diabolo qui invasit cor tuum, sicut et omnium ab illo seductorum.* Statim præfectus dictavit eum capitali sententia extinguendum. Et ducto eo a militibus longe ab urbe, accedens spiculator caput ejus amputavit. Et relicto corpore conscientia hujus sceleris comitati redierunt ad suum præfectum, facientes participem sui reatus et non solum participem sed et auctorem.

6. Nocte autem dum essent ibidem nautæ Affricani, cives Hazacini, aliquanti eorum cognoscentes eum ex sua patriam ortum fuisse, rapuerunt corpus ejus, et involventes illud linteaminibus mundis cum aromatibus, invenerunt sarcofagum, et ibi eum reponentes scripserunt ad caput ejus dicentes : “ DEI ET CHRISTI JESU FAMULUS MAURUS, HOC SECULUM PRO CHRISTI FIDE RELINQUENS, VITAM ÆTERNAM PER MARTYRIUM ACQUISIVIT. „ Post aliquantos dies occulte ipsum sarcofagum in suam navim omnes nautæ unanimiter levaverunt. Quod factum ubi pervenit ad præfecti Celerini notitiam, iratus jussit omnes nautas comprehendi. Quo audito omnes fugerunt et nullus eorum inventus est. Videns hæc Celerinus præfectus consilio diaboli armatus, jussit eandem navim, in qua martyris corpus erat, sarmentis impleri et igne subposito in medio mari comburi. Sed gubernante Domino martyrem suum, ubi Christus voluit, ad portum securitatis perduxit : hoc est juxta litus Hystriæ civitatis Pharentinæ, ubi corpus martyris requiescit usque in hodiernum diem, et ejus beneficiis universi salutem consequuntur. Martyrizatus est autem beatissimus Maurus Dei famulus sub Numeriano imperatore et Celerino præfecto urbis Romæ, die undecimo kalendarum decembrium, regnante Domino nostro Jesu Christo cui est gloria et honor in secula seculorum. Amen.

CXLIII. Codex signatus n° 9290.

Foliorum 183, ceterum præcedenti similis, quocum constituit Passionale majus. Quædam etiam manus recentioris vestigia servat; tum in nonnullis litteris initialibus minio depictis, tum in additamentis folii 165ᵛ, ac tandem in folio 1 ; in cujus parte adversa anno 1445 index contentorum descriptus fuit, in parte vero recta seculo XIII varia scripta fuere ut epistola Oliverii scholastici Coloniensis ad comitem Namurcensem edita apud Martene *Amplissima Coll.*, tom. I, pp. 1115, 1116, et elenchus bonorum quæ Otho abbas S. Laurentii ac Lietardus ejusdem cœnobii monachus abbatiæ S. Laurentii dono dederunt. Originem suam manifestam facit litteris L L in summa margine folii 1ʳ ascriptis et hac nota *Liber sancti Laurentii* apposita fol. 183ᵛ.

1° Gesta Petri apostoli cum Symone (fol. 1^r-3^r).

Liber primus *Historiæ Apostolicæ* editæ apud Fabricium, *Codex apocryphus Novi Testamenti*, part. II, p. 402 sqq. In cod. incipit a cap. VI med., ac multæ sunt lect. variantes.

2° Narratio de Petro apostolo et Symone mago excerpta de itinerario Clementis (fol. 3^v-9^r).

Desumpta ex *Libro Recognitionum* edit. apud Migne, P. G., tom. I, p. 1207 sqq.

3° Conflictus apostolorum Petri et Pauli cum Simone mago (fol. 9^r-13^v).

Enarratio adscripta Marcello S. Petri discipulo edita apud Fabricium, tom. cit., part. III, p. 632-653.

4° Passio S. Andreæ apostoli (fol. 13^v-14^v).

Ea de qua in *Anal. Boll.*, tom. III, p. 187, 2°.

5° Virtutes S. Andreæ apostoli (fol. 14^v-22^v).

Narratio de qua ibid., pp. 186, 187, 1°. At in cod. non legitur quod ibi notatum est sub hac rubrica : *De virtute sepulcri ejus*.

6° Translatio S. Bartholomei apostoli (fol. 22^v-24^v).

Oratio encomiastica auctore S. Theodoro Studita edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Aug., tom. V, p. 39-41.

7° Qualiter corpus ejus de insula Liparilitana in Beneventum sit translatum (fol. 24^v).

Editum ibid., p. 43, col. 1.

8° Translatio reliquiarum et capitis Johannis Baptistæ legenda in decollatione ejusdem (fol. 24^v-26^v).

Edita ibid., ad d. 24 Junii, tom. IV, p. 757-759, num. 254 sqq.

9° Virtutes ejusdem (fol. 26^v-28^r).

Ex Gregorio Turonensi *De gloria martyrum (Miracul.* Lib. I), capp. 12, 13, 14, 17-20, 16.

10° Quo modo imago Christi a Judæis illuditur, sed effusione sanguinis et aquæ glorificatur et sicut multorum debilium infirmitates ita vulnus Judaicæ infidelitatis hoc miraculo sanatur (fol. 28^r-29^r).

Edita apud Migne, P. G., tom. XXVIII, p. 819 sqq. — In cod. om. prol. incipit : *Est civitas...*

11° Passio SS. Juliani et Basilissæ, quæ est VIII idus Januarii (fol. 29^r-39^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 9 Jan., tom. I, p. 575-587.

12° Vita beati Hylarii episcopi et confessoris, quæ celebratur idus Januarii (fol. 39ᵛ-42ʳ).

Vita auctore Fortunato edita ibid., ad d. 13 Jan., p. 790-792, num. 1-20, reliquis omm.

13° Epistola S. Hilarii ad filiam suam Apram (fol. 42ʳ-43ʳ).

Edita apud Migne, P. L., tom. X, p. 549-552.

14° Hymnus (fol. 43ʳ).

Editus ibid., p. 551-554; sed in cod. ultima stropha om.; nec paucæ variantes lectiones occurrunt.

15° Passio vel transitus S. Felicis presbyteri, quæ celebratur XVIIII Kl. Februarii (fol. 43ʳ-44ʳ).

Constat Passione SS. Felicis et Adaucti edita ex Adone in *Act. SS.*, ad d. 30 Aug., tom. VI, pp. 546, 547, ac Passione edita ibid., ad d. 14 Jan., tom. I, p. 951.

16° Vita S. Fursei presbiteri, quæ celebratur XVII Kl. Februarii (fol. 44ʳ-48ᵛ).

Edita ibid., ad d. 16 Jan., tom. II, p. 36-41.

17° Vita S. Sulpitii episcopi, quæ est XVI Kl. Februarii (fol. 48ᵛ-54ʳ).

Edita ibid., ad d. 17 Jan., p. 167-174. Prologus deest.

18° Passio SS. Marii, Marthæ cum filiis suis Audifax et Abbacuc. Quod est XIIII Kl. Februarii (fol. 54ʳ-56ʳ).

Edita ibid., ad d. 19 Jan., p. 216-219. — In cod. om. num. 12-14.

19° Passio S. Fructuosi episcopi. Quod est XII Kl. Februarii (fol. 56ʳ-57ᵛ).

Passio paulo fusior ea quæ edita est ibid., ad d. 21 Jan., pp. 340, 341. Insuper in cod. scriptus est prologus sequens:

Dominus noster Jesus Christus cum in principio creaverit hominem per substantiam corporalem, in homine apparens iterum creavit per spiritualem generationem, dum primitivam ecclesiam semine verbi sui generavit, et spiritu doctrinæ suæ vivificavit, et capacem divinæ cognitionis fecit. Præstitit etiam ei ut eo semine verbi Dei, quo generata erat, et ipsa generaret, et eodem modo quo fructificata erat, etiam et ipsa fructificaret. Implevit enim eam Deus semine suo, id est verbo suo, ut sicut scriptum est de primis animantibus, quando creata sunt a Deo, genuerunt juxta genus et species suas, ita ista generaret juxta genus suum, ut scilicet homo generatus verbo Dei ad vitam, generaret et ipse eodem verbo hominem ad vitam, et spiritualis a Deo generatus spiritualem generaret, et fructuosus factus fructuosum faceret. Tali generatione et fructificatione crevit sancta Ecclesia, et multos filios spiritualiter fructuosos appellatos genuit, donec unum protulit spiritualiter et nuncupative Fructuosum nominatum.

Et bene hujus nominis significationem ipsa ejus opera exprimunt, qui quotiens ad spargenda semina verbi Dei, quotiens ad plantaria divinæ sationis mentibus humanis inserenda processit, fructuosus rediit. Et omne studium suum ad hoc negotium convertit, ut semper in propaganda plebis christianæ numerositate laboraret et de labore suo uberrimum fructum reportaret, quatinus concordante labore suo cum nomine, et Fructuosus nuncuparetur vocabulo, et fructuosus esset in laboris sui fructuoso proventu. Qui eo tempore, quo Gallienum romana dignitas habebat principem, agebat et ipse principatum spiritualem apud Terragonam, Hyspaniæ civitatem, et militiam cogebat ad castra summi regis ; neque enim defendebat partes supradicti principis. Illi enim detrahebat, quos Christi militiæ scribebat et exarmabat ferro, quia non ferro pugnatur pro Christo, sed fide et veritatis testimonio.

Quem Gallienus audiens suis legibus non consentire, neque deos venerari, jam de hujusmodi contemptoribus discutiendis vel puniendis propter assiduitatem tædio victus, Æmilianum quemdam præsidem, crudelitatis suæ ministerium subire fecit, et sanctum Dei Fructuosum comprehendere præcepit, et eum vel obedientem sibi et deorum venerationi summis honoribus extollere, vel contradicentem sine ullo respectu senilis reverentiæ in mortis exitiale judicium præcipitare.

20° Passio S. Babylæ episcopi. Quod est VIIII Kal. Februarii (fol. 57v-59v).

Passio de qua supra, tom. I, p. 140, 27°. Sed hic in cod. Passio mutila non est; inde a num. 4 bene convenit cum Passione edita in *Act. SS.*, ad d. 24 Jan., tom. II, p. 571. — Sermo quem pueri (num. 12) ad judicem habuisse feruntur, ex cod. talis est :

Insidiator maligne noli nobis promittere mortem ; omnia enim dona tua operibus infernalibus comparata infernalem sunt retributionem receptura. De quibus enim dedit nobis doctor signa, exinde perfecti sumus, et abjicimus ista mente quæ est fortior ætate. Parati enim sumus mori propter Deum cum servo Dei pastore nostro. Putas enim, quia nos separasti ab eo, vincere nos? Per Filium Dei qui potest pastorem nostrum, ubicumque fuerit, et nos cum eo liberare de coinquinatis manibus tuis ; qui et hoc tempus mutare celerius poterit, non negamus Deum, neque confundimus pastorem nostrum, orantem pro grege suo ne quemquam perdat. Omnia autem audiebat beatus Babylas, cum esset in cella...

21° Passio S. Theogenis martyris, VII Kl. Februarii (fol. 59v-61r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 3 Jan., tom. I, pp. 134, 135; num 1 post *: Licinii paganissimi tyrannni* add. in cod. : *qui cum collega suo Constantino pacem christianam patiebatur esse quietam, dissidens vero ab ipso suo consorte, in Christianorum infestationem transtulit discordiæ suæ furorem.*

22° Passio S. Blasii, III nonas Februarii (fol. 61r-64v).

Hujus Passionis initium invenimus in codice Namurcensi num. 2. Vid. *Anal. Boll.*, tom. I, p. 488, 14° ac pp. 614, 615.) Reliqua Passio eodem modo prolixior est Passione edita in *Act. SS.*, loc. cit.

23° Passio S. Sereni monachi, VII Kl. Martii (fol. 64v-65r).

Passio de qua supra, tom. I, p. 143, 42°.

24° Passio S. Wlfranni Senonum Archiepiscopi et Fresionum apostoli. Quod est XIII Kl. Aprilis (fol. 65r-68v).

Edita ap. Mabillon, *Act. SS. O. S. B.*, sec. III, part. I, p. 357-365.

25° Passio Achacii martyris, quæ est IIII Kl. Aprilis (fol. 68v-70r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 31 Martii, tom. III, pp. 904, 905. At p. 904, col. 1, lin. ultima, post: *Respondit Achacius*, ita codd.: *Illi vestro, ut putatis, interpreti et divinatori sacrificabo? Qui infelix cum puellæ amore flagraret, currebat attonitus, ignarus perditurum se optatissimam prædam. Apertum est itaque, quia nec divinus fuit qui ista nesçivit, nec Deus, quem puella decepit. Nec hoc solum doloris excepit, crudeliori illum damno mox fortuna multavit. Nam ut erat turpis in pueros, forma jacincti cujusdam captus, ut bene nostis, incaluit et miser atque ignarus futuri disco illum quem videre optabat occidit. Ipsi qui cum Neptuno...*

26° Vita S. Frontonii abbatis, XVIII Kl. Mai (fol. 70r-73r).

Vita S. Frontonis Petragoricensis, auctore Gausberto, quæ ex testimonio scr. Galliæ litterariæ edita est apud Bosquet, *Histoire de l'Église Gallicane*, part. II, p. 5 sqq. — De hac Gausberti lucubratione cfr. *Act. SS.*, ad d. 25 Oct., tom. XI, p. 395, num. 18.

27° Passio S. Eleutherii et Anthyæ matris ejus, XIIII Kl. Mai (fol. 73r-75r).

Edita apud Mombritium, tom. I.

28° Passio S. Symeonis episcopi Seleuciæ et Thesiphontis civitatum in Persida. Quod est XI Kl. Mai (fol. 75r-77v).

Ex Cassiodori *Hist. tripart.*, lib. III, capp. I et II; subnexo lib. V, capp. XLV: *quomodo Jacobi episcopi orationibus Persarum rex non potuerit prævalere Romanis* (Migne, P. L., tom. LXIX, p. 945-948; et pp. 1024, 1029). Cfr. *Act SS.*, ad d. 21 Apr., tom. II, p. 844, num. 2.

29° Inventio SS. Dyonisii, Rustici et Eleutherii, x Kl. Mai (fol. 77v-80v).

Narratio desumpta ex *Gestis Dagoberti I, regis Francorum*, edit. in *Rec. des Hist. de la Gaule*, tom. II, p. 580 sqq.; scilicet num. I-XI, XVII-XX, XXIII-XXV præter ultimam phrasim *(Quoniam)*, XL-XLIV.

30° Revelatio quæ ostensa est S. Stephano papæ Parisius in ecclesia S. Dyonisii (fol. 80v-81r).

Edita apud Surium, ad d. 9 Oct.

31° Epistola Hludovici imperatoris ad Hilduinum abbatem monasterii S. Dyonisii Parisiaci (fol. 81r-82r).

Edita ibid., p. 116.

32° Rescriptum Hilduini abbatis ad Hludovicum imperatorem (fol. 82r-85r).

Editum ibid., p. 117-120.

33° Epistola Hilduini abbatis quod sanctus Dyonisius passus Parisius Atheniensium non Corinthiorum episcopus fuerit (fol. 85r-85v).

Edita ibid., p. 120-121.

34° Passio S. Yppipodii martyris, quæ est x Kl. Mai (fol. 85v-86v).

Edita in *Act. SS.*, ad 22 Aprilis, tom. III, pp. 8, 9, num. 1-7.

35° Passio S. Alexandri, qui fuit socius ejusdem Yppipodii. Quod est VIII Kl. Mai (fol. 87r-87v).

Edita ibid., pp. 9, 10, num. 8-14.

36° Passio S. Georgii martyris. Quod est VIIII Kl. Mai (fol. 87v-90v).

Initium hujus Passionis editum est in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 615-617. In reliqua Passionis parte referuntur tam prodigia quæ facta sunt dum beatus martyr torquebatur, quam varia tormenta, quæ pro Dei confessione sustinuit.

37° Vita et passio venerabilis viri Adalberti, Pragensis civitatis episcopi, qui in baptismate appellatus est Woithec; cujus martyrium celebratur VIIII Kl. Mai (fol. 90v-96r).

Edita ope hujus codicis in *Mon. Germaniæ*, scr. tom. IV, p. 581 sqq.; cfr. p. 577.

38° Passio S. Vitalis martyris, patris SS. Gervasii et Prothasii, quæ est IIII Kl. Mai (96r-96v).

Edita in *Bibliothecæ Casinensis* tom. III, Florilegii pp. 348, 349. Sed ex cod. S. Vitalis S. Ursicinum sepelivit XIII Kl. Julii. Ad fin. add. : *Martyrizatus est*

autem beatus Vitalis martyr Dei in civitate Ravenna sub Paulino consulari die IIII *Kalendarum Maiarum regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.*

39° Passio SS. Mariani et Jacobi. Quod est II Kl. Mai (fol. 97^r-99^r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 30 Aprilis, tom. III, p. 746-749.

40° Passio S. Quiriaci episcopi, qui cognominatus est Judas (fol. 99^r-101^r).

Edita ibid., ad d. 4 Maii, tom. I, pp. 449, 450. Prologum quæras p. 445.

41° Passio SS. Alexandri papæ, Eventii presbyteri, Theodoli diaconi, quæ est v nonas Mai (fol. 101^r-103^r).

Ea de qua in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 506, 7°; cfr. supra, tom. I, p. 218 sqq.

42° Passio S. Floriani (fol. 103^r-104^v).

Ea de qua ibid., 507, 8°; cfr. tom. II, pp. 287, 288.

43° Passio S. Gordiani (fol. 104^v-105^v).

Passio de qua actum ibid., p. 508, 10°.

44° Conversio Faltoni Piniani illustris viri et Anitiæ Lucinæ conjugis ejus, et passio SS. Antimi, Maximi, Bassi, Fabii, Diocletiani, Sisinnii et Florentii martyrum, quæ est VI idus Mai (fol. 105^v-108^r).

Passio de qua actum est ibid., 11°; cfr. tom. II, pp. 288, 289.

45° Passio S. Gengulfi martyris (fol. 108^r-110^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 11 Maii, tom. II, p. 644-648.

46° Passio S. Pancratii martyris (fol. 110^v-111^r).

Edita in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 289-291.

47° Passio Victoris et Coronæ (fol. 111^r-114^v).

Edita ibid., p. 291-299.

48° Passio SS. Petri, Andreæ, Pauli et Dyonisiæ (fol. 114^v-115^r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 15 Maii, tom. III, pp. 452, 453.

49° Passio SS. Partemii et Calocerii (fol. 115^r-116^r).

Edita ibid., ad d. 18 Maii, tom. IV, p. 302-304.

50° Passio SS. Donatiani et Rogatiani (fol. 116^r-117^r).

Edita ibid., ad d. 24 Maii, tom. V, pp. 280, 281.

51° Passio SS. Cantii, Cantiani et Cantianillæ (fol. 117r-118r).

Ea de qua in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 510, 32°.

52° Vita S. Symeonis confessoris (fol. 118r-122r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Junii, tom. I, p. 89-95. In cod. prologus ac ultimus num. omm.

53° Passio S. Herasmi episcopi (fol. 122r-124r).

Convenit cum Passione de qua in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 512, 35°

54° Passio S. Vincentii Pompeiacensis (fol. 124r-125v).

Ea est de qua in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 512, 38° ; cfr. tom. II, p. 299-301.

55° Passio SS. Rufini et Valerii (fol. 125v-126v).

Ea est de qua ibid., 43° ; cfr. tom. II, pp. 307, 308.

56° Passio S. Albani martyris (fol. 126v-127v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 30 Oct., tom. XIII, p. 345-347, sub titulo : *Passio S. Theonesti et Sociorum ejus.* Cod. ut plurimum convenit cum lectionibus variantibus ibi notatis littera *B.*

57° Passio S. Albini (fol. 127v-128v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 22 Junii, tom. IV, pp. 147, 148. Inc. : *Diocletianus in Oriente et Maximianus Herculius in Occidente.* Nota : in margine superiori manu recenti scriptum legitur : *Istum sanctum martyrem Beda in Gestis Anglorum Albanum vocat et istam legendam ibi ponit.*

58° Passio gloriosi martyris Achatii sociorumque ejus decem milium (fol. 128v-131v).

Convenit cum illa passione, de qua in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 514, 48°.

59° Gesta septem Dormientium (fol. 131v-135r).

Edita in *Bibliothecæ Casinensis* tom. III, Florilegii p. 252-259. In cod. multæ lectiones variantes.

60° Vita S. Tiebaldi confessoris (fol. 135r-136v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 30 Junii, tom. V, p. 592-595. Prologus ac duo ultimi numm. omm.

61° Passio S. Kiliani sociorumque ejus (fol. 136v-139v).

Edita ibid., ad d. 8 Julii, tom. II, p. 604-618. Adjecta est pro historia translationis Vita S. Buchardi episcopi Wirceburgensis edita ibid., ad 14 Oct., tom. VI, p. 573-575, num. 2-6.

62° Passio S. Procopii (fol. 139v-140r).

Edita ibid., ad d. 8 Julii, tom. II, p. 556.

63° Passio S. Cyrilli (fol. 140r).

Ea de qua in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 515, 59°.

64° Vita S. Alexis confessoris hominis Dei (fol. 140^{v}-142^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 17 Julii, tom. IV, p. 251-253. Inc. *Temporibus domni Honorii et Archadii erat...*

65° Vita S. Wandregisili (fol. 142^{r}-145^{v}).

Convenit cum Vita de qua in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 516, 70°.

66° Passio S. Victoris Massiliensis (fol. 145^{v}-147^{r}).

Edita ibid., tom. II, p. 317-321.

67° Passio S. Christophori martyris quæ est viii Kal. Augusti (fol. 147^{r}-148^{v}).

Ea de qua ibid., tom. I, p. 517, 73°; itemque post titulum refert supplementum ibidem notatum.

68° Passio S. Cucuphatis (fol. 148^{v}-150^{v}).

Ea de qua ibid., p. 518, 74°.

69° Passio S. Pantaleonis (fol. 150^{v}-152^{v}).

Passio de qua ibid., 76°.

70° Passio S. Felicis episcopi sub Constantio passi (fol. 152^{v}-153^{v}).

Edita in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 322-324.

71° Passio SS. Abdon et Sennes (fol. 153^{v}-155^{r}).

Ea de qua actum est ibid., tom. I, p. 519, 81°.

72° Translatio corporis S. Prothomartyris Stephani ab Hierosolimis Constantinopolim (fol. 155^{r}-156^{r}).

Edita apud Migne, P. L., tom. XLI, p. 817-822.

73° Passio SS. Ananiæ et Petri et septem militum (fol. 156^{r}-159^{v}).

Acta prolixiora iis quæ edit. in *Act. SS.*, ad d. 25 Febr., tom. III, p, 492 sqq. In cod. sancti martyres magis diffusi sunt in responsis ad judicem, et in orationibus quas Domino fundunt, itemque multis enarratur quomodo persecutor diras sui sceleris pœnas dederit.

74° Passio S. Eupli diaconi (fol. 159^{v}-161^{v}).

Retractatio Act. Consularium edit. in *Act. SS.*, ad d. 12 Aug., tom. II, pp. 721, 722. Vid. Append.

75° Passio gloriosi martyris Cassiani (fol. 161^{v}).

Edita apud Mombritium, tom. I.

76° Passio SS. Felicis et Fortunati (fol. 161^{v}-162^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 11 Junii, tom. II, pp. 461, 462. Ex cod. martyrium passi sunt SS. Felix et Fortunatus xviiii Kl. Septembris.

77° Passio S. Mammetis monachi (fol. 162v-164v).

Edita apud Mombritium, tom. II.

78° Miracula de eodem sancto ac beatissimo archidiacono et martyre Laurentio scripta a Gregorio Turonensis urbis episcopo (fol. 165r).

Ex lib. I *Miraculorum: de gloria martyrum,* cap. 42 ac cap. 46 (Migne, P. L., tom. LXXI, p. 743-745 et pp. 747, 748).

79° De translatione reliquiarum ejus (fol. 165r-165v).

Editum apud Pezium, *Thesaurus Anecdotorum Novissimus,* tom. IV, part. III, p. 1-4, ac ex hoc cod. in *Mon. Germ.,* scr. tom. XX, p. 579 sqq. Fol. 165v in margine add. quæ edit. in *Act. SS.,* ad d. 10 Aug., tom. II, p. 495, 496, numm. 52, 53.

80° Aliud [miraculum] (fol. 165v-166r).

Ex parte edit. in *Act. SS.,* ad d. 10 Aug., tom. II, p. 521, num. 5, § 3. In cod. add. :

Sed et hostiliter quidam eandem ecclesiam infringentes et arcas ibidem repositas effringentes, ad eas quæ ipsi altari viciniores erant minime ausi sunt manus mittere. Quadam enim virtute se repelli confessi sunt. O quam admirabilis thesaurus quem et pii pie furantur et impii contingere non merentur. Custodiamus diligenter hanc gazam; per hanc enim hæreditatem consequemur æternam, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

81° Passio S. Agapiti (fol. 166r-167r).

Edita apud Mombritium, tom. I. — In cod. inc. : *Sub Aureliano imperatore pagano erat...*

82° Passio S. Privati episcopi et martyris (fol. 167r-168r).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 21 Aug., tom. IV, pp. 439, 440.

83° Passio S. Mauri Presbyteri (fol. 168r-169r).

Ea de qua est sermo in *Act. SS.,* ad d. 22 Aug., tom. IV, p. 517, num. 11.

84° Passio SS. Claudii, Asterii et Neonis fratrum (fol. 169r-170r).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 23 Aug., tom. IV, pp. 571, 572.

85° Passio S. Genesii mimi (fol. 170r-170v).

Edita apud Mombritium, tom. I. — In cod. multæ sunt lectiones variantes.

86° Passio S. Genesii Arelatensis (fol. 170v-171v).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 25 Aug., tom. V, p. 135.

87° Passio SS. Isaac et Maximiani (fol. 171v-173v).

Hæc passio martyrum Donatistarum auctore Macrobio donatista ex parte edita est apud Mabillonium, *Vetera Analecta* (Parisiis, 1723), p. 185-187, et ex integro apud Migne, P. L., tom. VIII, p. 767 sqq.

88° Passio SS. Justi et Pastoris (fol. 173v-174r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 6 Aug., tom. II, p. 154.

89° Passio S. Alexandri martyris (fol. 174r-175r).

Passio, res narratas quod spectat, edita est ibid., ad d. 26 Aug., tom. V, p. 803 sqq. Sed in cod. stylus est mutatus ac numm. 1, 2, ex toto omissi.

90° Passio S. Anastasii (fol. 175r-175v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 7 Sept., tom. III, pp. 22, 23.

91° Passio sanctorum sedecim martyrum (175v-176r).

Edita ibid., ad d. 27 Aug., tom. VI, pp. 14, 15.

92° Vita S. Bibiani episcopi (fol. 176r-177v).

Edita ibid., ad d. 28 Aug., p. 462 sqq.

93° Passio S. Juliani martyris (fol. 177v-178r).

Edita ibid., ad d. 28 Aug., p. 173.

94° Vita S. Ægidii abbatis (fol. 178r-180v).

Edita ibid., ad d. 1 Sept., tom. I, p. 299 sqq.

95° Passio S. Longini militis, qui latus Domini in cruce lancea aperuit (fol. 180v-181v).

Edita ibid., ad d. 15 Martii, tom. II, p. 384-386. — Ex cod. beatus Longinus martyrium fecit *Kalendas septembris*.

96° Vita S. Justi Lugdunensis episcopi (fol. 181v).

Fragmentum Vitæ S. Justi editæ ibid., ad d. 2 Sept., tom. I, p. 373 sqq.; scilicet num. 1 Vitæ primæ, p. 373, ac num. 4 Vitæ secundæ, p. 375, usque ad hæc verba *ut immaculatum*.

97° [Translatio S. Stephani in urbem Romam] (fol. 182r-183v).

Edita supra, tom. I, p. 70-74. — In cod. ad finem hæc add. :

Quæ et nos rogatu domini Theodini ejusdem ecclesiæ archidiaconi, materiæ veritate in omnibus et per omnia conservata, sola stili immutatione latius aliquantulum digessimus.

Appendix ad cod. 9290.

DE SANCTO EUPLO MARTYRE. (Cfr. supra, pag. 307, 74°.)

Passio sancti Eupli diaconi.

1. In civitate Cathanensium temporibus sceleratissimorum principum Diocletiani nonies, et Maximiani octies consulibus, sub judice Siciliæ provinciæ, Calvisiano nomine, quidam vir fidelis, Euplus nuncupatus, sicut evangelicorum

præceptorum devotissimus sectator, ita etiam evangelicarum lectionum facundissimus lector, ad secretarium judicis accessit secum portans sancta evangelia, ut aut ex ipsis erudiret quos ad credulitatem evangelicæ fidei converteret, aut si contingeret eum occumbere, ostenderet animam suam pro evangelii defensione obtulisse.

2. Cum ergo extra velum secretarii adstitisset, et quæ portabat manu evangelia, ore constantissime inclamaret auribus transeuntium, nunciatum est judici nova dogmata, quæ aliam quam deorum sectam significarent, ante secretarium suum prædicari. Addidit vero is qui hæc judici nuntiabat, hac prædicatione novorum dogmatum maximam suspicionem sibi, quod alterius quam deorum esset professionis posse generari, ex eo quod pro foribus ejus hæc erroris novitas celebraretur, quasi auditione eorum dogmatum jocundaretur, quorum polluebatur veneratione. Et hanc suspicionem posse dicebat utcunque leviter ab ipso ferri, utpote vel plebeiam, vel suorum clientum confictam conjectura. *Sed si principum auribus illata, in aliam sectam te,* inquit *, *transisse mentiatur; hoc mendacium non alio forsitan sacramento excusabis, quam capitis periculo aut totius patrimonii tui proscriptione expiabis. Cavenda est ergo tibi falsa suspitio, quæ quasi veritas punitur; tollendus vero est de medio qui est occasio generalis ruinæ, aut, quod est magis timendum, qui est calumnia judiciariæ potestatis. Credo vero istum idcirco tibi e vicino verbosis ineptiis perstrepere, ut ejus litteris seducaris, quas quasi decipulam tuæ captioni intendit; et quia non sufficiunt sibi captiosa verba ad nodandum laqueum tuum, litteris quas portat docetur, quomodo tibi et laqueum nectat et erroris aperiat hiatum in quem cadas. Inquire ergo quis sit iste seductoriæ prædicationis proclamator; inquire quid sit, quod et libris clamat et ore; inspice si ipsi libri numinum nostrorum nominibus prætitulentur; considera si contineatur in eis hæc sententia* Jovis omnia plena; *scrutare si singulis diis sua officia laudabiliter imponant, intende si a laudibus deorum incipiant; si etiam in eorum præconiis terminentur. Si hac materia subsistunt, et eam a principio usque ad finem continuant, ipsi libri sacrariis deorum merito debent inferri, et ipse, religionis deorum optimus propagator, aut inter sacerdotes sacros scribatur, aut connumeretur consecretalibus amicis imperatorum. Si vero et diis et imperatoribus refragatur contrario dogmate, nec dii illum sacerdotio suo dignabuntur, nec imperatores amicitia sua illustrabunt. Unde diligenter tibi attendendum est si concordat nobis cum litteris suis, ut non occultetur, sed passim celebretur honorifice; si vero legibus nostris obnititur et obviat, exterminetur citius, et litteræ ejus judicio ignis, si sint recipiendæ an non, examinentur.*

* *super lin. a corr.*

3. Tunc Calvisianus consularis inquiri jussit quis esset et cujus professionis? At ille, quod sæpe non interrogatus clamaverat, inquisitus alacrius et frequentius, ingeminabat dicens : *Ego christianus sum et pro Christi nomine mori festino. Ecce enim in manibus meis porto evangelia sancta, quæ mihi persuadent mori ut vivam, quæ proponunt mihi sequendum imperatorem summum, qui saluti nostræ mortuus est, scilicet ut ejus triduana morte a perpetua morte salvaremur. Perpetuam enim mortem nostram, mors ejus brevis in perpetuam vitam commutavit. Et hanc perpetuitatem vitæ nos soli consequimur, qui in eum credimus et adoramus; vos vero*

subjacetis perpetuæ morti, qui ignoratis per quem subsistitis. Subsistitis enim per eum, quia ab ipso creati estis; vivitis etiam per illum corporali vita, quia ab ipso estis vivificati; mortui vero estis illi, quia morte ejus redempti non estis, nisi fortassis ad illum convertamini. Quod autem dixi, vos ignorare per quem subsistitis, in hoc estis culpabiles; in hoc vero admodum execrabiles, quod creatorem vestrum persequimini, cum persecutione vestra de suo nihil perdat, immo multum adquirat de mundo, cùm nos qui sumus filii mundi, et illum contempto mundo sequimur, per tormenta vestra sibi transmittitis. Execrabiles igitur estis, qui creatorem vestrum quasi hostem visibilem callida subreptione nitimini intercipere, qui nec concluditur locis, nec ullis adversitatibus patet: neque enim natura ejus hoc recipit, ut modo commodis, modo incommodis mutiletur, et annorum accessu sive recessu extendatur vel minuatur vita ejus.

4. Hæc constantissima professio postquam est perlata ad consularem Calvisianum, volens vim verborum ejus magis proprii oris prosecutione quam aliorum relatione addiscere, astantibus dixit : *Ingrediatur.* Cumque intromissus fuisset sanctus Euplus in auditorium, protulit evangelia sancta, tacendo innuens legem christianam ad conflictum legem paganorum provocare, dicens etiam legem suam sic securam victoriæ ut erat secura ab illo se editam, qui facit victores omnes amatores evangelicæ veritatis. Et dixit Calvisianus : *Quæ sunt hæc quæ profers? Vis in deorum laudibus aliquid legendo perorare? Vis ammirari clavam Herculis, quæ a nullo, qui singulariter fuerit homo, potuit portari, nisi ab illo cui ex semidea parto* * *fuit portabilis, ex parte autem semihumana importabilis fuit; sed dignior pars indignitati alterius partem sui roboris impertivit, et sic utraque pars viriliter gestavit clavam, viriliter etiam diversa prostravit portenta. Vis turbam capitum hydriæ digerere? Vis eorum numerum in summam colligere? Num pectus Minervæ armatum Gorgoneo capite exhorruisti? Num virgam soporiferam Mercurii pertinuisti dum legeres? Et nec perlegens, ne diutius legendo obdormires, celeriter librum clausisti? Num delphici Apollinis in ænigmate loquentis perplexos verborum amfractus pervidisti? Num veneratus es distringentem herbas Esculapium, succos herbarum elicientem, sapores earum discernentem oris experientia et ægritudinibus medentem? Et cum hos omnes deos quos præmisimus aut veneratus sis, aut ammiratus, in solo Vulcano a risu non abstinuisti, cujus imparia et languentia vestigia vergentia ad casum toto corpori magnam deformitatem important? Huic opprobrio ejus aliud infelicius adjunctum est opprobrium, dicente poeta nostro :*

Cui non risere parentes
Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

Qui etsi in hac parte ridetur, suis tamen sacrificiis honoratur, quia deus ignis est: quod elementum quidquid ad nutum ejus contingit ex integro absumens, nullius recordatur gratiæ, nullius favori flammas suas moderatur. Forsitan vis recitare contentionem trium dearum formas earum illustrantem et obscurantem? Unaquæque enim faciem suam in laude maximi decoris habebat; singulæ vero deformitatem

* *cod.* parte.

singularum ridebant. Processit in tantum contentio quæ erubescebat vinci, ut opus haberet terminari justo judice. Quæsitus est judex, inventusque audivit eas invicem magnis opprobriis morderi, audivit unamquamque dicentem se sibi placuisse in speculo ; audivit vero singulas singulis respondentes speculum illas fefellisse. Judex duabus contemptis tertiæ laudem cantavit pulchritudinis, et unius speciei præstantioris formæ palmam dedit. Sed quia erat Trojanæ stirpis, altera earum quas contemptus confundebat palladium suum ab arce Trojana passa est auferri, cæsis summæ custodibus arcis, per hoc ostendens Trojam ulterius suo auxilio non muniendam ; altera vero, non contenta in solum suum judicem abjectionem suam ulcisci, ad eversionem totius Trojæ omnem Græciam contraxit. Si ergo dii, et non virilis, sed dii feminei sexus, sic in ultionem contemptus sui exarserunt, quanto magis summi dei in contemptores suæ divinitatis ulciscentur, qui eorum sacris, nescio quæ nova sacra superducunt et eorum immortalitati præponunt hominem mortalem, plus ignominiosa morte illusum quam extinctum ? Vis etiam rememorare solares equos errore Phetontis exorbitasse ? Cum magna ex parte jam exustus mundus causaretur solem minus sobrium de marinis potionibus surrexisse, et illo poculis æstuante se ejus erroris æstuare incendiis, et non mutatum rectorem crederet, sed solem mentiretur immoderato potu adhuc dormitantem, summus deorum ob reverentiam patris non pepercit filio, sed illo præcipitato, equos reduxit sub suo rectore et ardentem mundum extinxit. Quanta est providentia summi dei in regendis hominibus quos condidit, quanta cautela ut nec nimiis deprimantur dispendiis, nec damnosis deprædentur casibus, et quod summum est, ne adulterinæ religionis erroribus supplantentur ? Si ergo illum deo sole progenitum, nec amore patris sustinuit, nec gratia cognatæ divinitatis, quanto minus hunc sustinebit, qui nec deus est, nec deo genitus, cujus præstigia magis fascinant mundum et subvertunt, quam Phetontis devius a solari tramite cursus ? Hæc et his similia deorum nostrorum præconia si veneraris prædicando, merito in societatem nostram admitteris, et ex hoc inter nos in dignitate eris præcipuus, quod non solum deos defendis verbis, sed et libris testimonium virtutis et laudis eorum circumfers. Si vero scripta tua deos nostros calumniantur, si litteræ tuæ vitam eorum infamant, si paginæ tuæ sexum eorum venerio incestu et adulterino stupro criminantur sorduisse, exurentur tecum tui libri, ne te solummodo extincto litteræ tuæ aliis seducendis relinquantur. Dic ergo quid portent memorabile libri, quos nostræ præsentiæ infers.

5. Beatus Euplus respondit : *Revera omnibus fidelibus est memorabile quod porto, et vitiosa est omnis memoria quæ non exercetur horum librorum scientia, et esurit omnis anima quæ pastu hujus litteræ non alitur. Hic est fructuosa lectio, hic est vitæ et salutis recordatio, hic modus recte vivendi, hic morum institutio, hic plenissima perfectio totius hominis. Hæc lex nostra est quæ laxatos ad vitia ligat ne penitus exerrent, quæ sparsos influxus voluptatum recolligit ne remissius delectati, ipsas delicias doleant ad ultimum in sua pernicie amaricari.* Tunc unus ex amicis Calvisiani, nomine Maximianus, dixit ei : *Non est ferendum talium vanitatum aversione, contra præceptorum regalium edicta, et istum erigi, et alios seductos extolli; sed quam celerius restringatur, et si perseverat, ante solus*

intereat, quam multitudine vel ad repugnandum invalescat, vel ad profananda sacra deorum funesta societate armatus accedat. Calvisianus dixit ad beatum Euplum : *Unde hæc scripta habes? De domo tua exierunt?* Beatus Euplus respondit : *Non sunt de domo mea, sed de domo domini mei. Non enim habeo domum hic, Dominus meus Jesus Christus novit.* Calvisianus dixit : *Tu ea huc deportasti?* Beatus Euplus respondit : *Per me ea huc deportavi, sicuti ipse vides.* Calvisianus dixit : *Ecce sicuti ea portasti me præsente, ita in conspectu meo lege; et dic mihi quid utilitatis ibi inveneris, ut et ego sciam.* Et cum aperuisset evangelia, beatus Euplus legit secundum Matheum dicens : Dixit Dominus Jesus: “ Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. „ Item aperuit evangelium secundum Marcum dicens : “ Omnibus qui credunt mihi, ipsis datum est cognoscere regnum Dei. „ Item secundum Lucam : Dominus Jesus dixit turbis : “ Si quis vult post me venire suam abneget semetipsum et tollat crucem, et sequatur me. „ Item secundum Johannem : “ Omnis qui venit ad me non esuriet : et qui credit in me non sitiet in æternum. „ Et cum clausisset evangelia, Calvisianus dixit : *Hoc quid vult esse?* Beatus Euplus dixit : *Lex Dei mei est, quæ mihi observanda tradita est.* Calvisianus consularis dixit : *A quo?* Beatus Euplus respondit : *A Jesu Christo Domino, Filio Dei vivi.* Calvisianus consularis dixit : *Quoniam innotuit nobis ex sua confessione se esse christianum, publice tradatur puniendus. Non enim secundum legem nostram et decreta principum aliud impendet christianis, nisi ut puniantur, et vita hac quam contemnunt feraliter excludantur.*

6. Cum itaque in medio secretarii adductus fuisset, consularis Calvisianus dixit ad eum : *Quia per tuam confessionem istas scripturas nefarias hodie ostendisti, quid dicis de eis?* Tunc beatus Euplus signaculum crucis faciens in fronte sua dixit : *Quæ tunc dixi, et nunc eadem confiteor.* Calvisianus consularis dixit : *Audisti aliquando leges principum, quas componendis moribus hominum invenerunt? Qui fœdi et inordinati munditiam abhorrebant, et ordine recte vivendi confundebantur; sed datis legibus modo diriguntur legum regimine, quibus etiam te opus est regi et te in errorem transversum per eas oportet converti ad veritatem.* Beatus Euplus respondit : *Audivi multas a principibus vestris processisse leges, sed ipsæ nobis non sunt necessariæ. Leges autem Dei mei habeo quas amplector, quibus totum hominem meum dispono, quibus dum vivo vitam meam consecro, quibus cor meum communico, quarum defensioni etiam mortem meam devovi, quia exemplo ejus quem dicunt mortuum surrexisse, promittunt me decurso seculo et anima et corpore resurgere et vivere in æternum.* Calvisianus dixit : *Primum te mori oportet, deinde cum mortuis tibi similibus de resurrectione fabulare.*

7. Iratus deinde Calvisianus dixit ministris : *Torqueatur quoadusque confiteatur se veris diis immolaturum, id est Marti, Apollini et Asclepio.* Beatus Euplus respondit : *Bene dixisti, Calvisiane, ut adorem Trinitatem inseparabilem, quæ Trinitas unitas est Deitatis.* Audiens hæc verba, impiissimus Calvisianus putavit quod de diis suis diceret et gaudio repletus ait : *Ergo sacrifica.* Cui beatus martyr respondit : *Ego sacrifico et immolo meipsum Patri et Filio et Spiritui sancto.* Tunc

Calvisianus audiens hæc, ira commotus, jussit eum amplius torqueri. Et dum diutissime acerrime torqueretur, sustinuit certamen orthodoxæ fidei.

8. Tunc Calvisianus impiissimus sententiam dictavit dicens: *Contradictores et contemptores principum, imperialia præcepta quasi plebeia æstimantes, merito aut diversis et morosis suppliciis a morte differuntur, et tamen paulatim moriuntur, aut subita gladii percussione funduntur. Sed quia multorum periculo metuimus, si mors istius sacrilegi spatiis differatur: periclitabuntur enim multi per eum a cultu deorum ad perniciosi erroris sectam abducti; ideo jubemus eum quia ab ipso scripturæ impietatis prolatæ sunt, justo judicio nostro gladio interfici.* Tunc beatus Euplus gratias egit Domino Jesu Christo quod advenisset tempus quo coronaretur.

9. Euntem autem cum gaudio ad locum ubi capitalem exciperet sententiam, plebs maxima e vestigio sequebatur, ammirans fortitudinem animi ejus. Ipse autem refovente se gratia Christi vultu fulgebat, et lætus constanti animo ambulabat quasi pergens ad nuptias; et repletus Spiritu sancto canebat dicens: *Magna est gloria tua in servis tuis, Domine, quos ad te vocare dignatus es.* Et pro omnibus qui eum sequebantur orabat dicens: *Domine, adesto servis tuis et ne deseras eos usque in finem, ut glorificent nomen tuum in secula seculorum.* Et accelerabat gressus suos: jam quippe prope victoriam erat qua coronaretur. Tunc extendens manus suas ad cœlum dixit: *Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, quoniam consolata est me virtus tua et non permisisti perire animam meam cum impiis, et donasti mihi gratiam nominis tui. Confirma nunc quod operatus es in me, et confundatur adversantis audacia.* Et tunc respiciens ad populum dixit: *Dilectissimi fratres, audite: orate Dominum et timete illum in toto corde vestro, quoniam ipse memor est timentium se, antequam exeant de seculo, et postquam exierunt, occursu angelorum, quos ad excipiendos eos mittit, lætificat eos: ab ipsis enim ad civitatem illius sanctam Iherusalem adducuntur.*

10. Et cum hæc verba complesset et salutationis omnis finem fecisset, flectens genua sua cervicem feriendam paravit, et sic decollatus est. Tanti ac talis certaminis remunerationem accepit coronam sempiternam, exultans in agmine angelorum et sanctorum martyrum: et introivit in conspectu Domini nostri Jesu Christi. Et repositum est corpus ejus in loco venerabili, conditum aromatibus ad laudem et gloriam omnipotentis Dei et Domini nostri Jesu Christi, ubi beneficia præstantur contingentibus sepulchrum ejus, et omnes infirmorum languores sanantur usque in hodiernum diem in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, qui vivit semper et regnat in secula seculorum. Amen.

CXLIV. Codex signatus n° 9291.

Foliorum 200, formæ majoris (0^{m},371 × 0,217), binis columnis, lineis graphide ductis exaratus anno 1480, ut notatum est fol. 200^{r} ad finem. Excipiendum est folium 1 ad annum saltem vigesimum sextum seculi decimi sexti pertinens. Tituli rubricati, litteræ majores rubro cœruleove depictæ subinde arte rudiori ornatæ. Id tamen non obtinet in prima littera fol. 2^{r}, quæ auro fulgida haud imperitum artificem manifestat.

Olim erat S. Laurentii Leodiensis. Quod certum faciunt litteræ L L fol. 1^{r} in margine superiore scriptæ. In cap. cod. in charta manu sec. XVI descriptus est index contentorum.

1° De venerabili et sancto capite beati Laurentii martyris et parte ejus ad nos delata (fol. 1^{r}-1^{v}).

Anno Dominicæ incarnationis millesimo quingentesimo vicesimo sexto, quando venerabilis dominus Erardus de Marka, cardinalis Leodiensis, ordinavit ut in die translationis sancti Lamberti ejusdem gloriosi martyris caput solemniter portaretur, altera die qua dicta processio celebrata fuerat, hoc est in die celebrationis reliquiarum sancti Laurentii, quidam venerabilis dominus, nomine Petrus Sprewart, canonicus sancti Servatii Trajectensis super Mosam, necnon et sancti Dionysii in Leodio, misit ad monasterium nostrum portionem venerandi capitis gloriosi martyris Laurentii patroni nostri per quemdam alium honorandum virum Johannem Gonpars, canonicum sancti Dionysii Leodiensis, fratrem domini Gerardi de Zuylre, abbatis monasterii nostri. Quas reliquias prædictus abbas cum magna gratiarum actione et decenti reverentia suscipiens, portavit secum ad sacristiam monasterii, eodem die summam missam celebraturus : et vocato priore, ei illas ostendit, qui gavisus eas devote deosculabatur, et sic super summum altare positæ fuerunt. Tunc dominus abbas pontificalibus ornamentis redimitus accedens ad altare, fratribus suas voces in sublime exaltantibus, resonantibusque organis, laudes Deo personuerunt, et missam in honore sancti Laurentii decantaverunt.

Hic prædictus canonicus anno evoluto veniens ad monasterium nostrum cum quibusdam aliis venerabilibus viris petiit sibi demonstrari prædictas reliquias, qui adducti per dominum abbatem ad priorem extiterunt. Prior vero immensas gratias ei referens super tantis et pretiosis clenodiis, rogavit prædictum canonicum coram domino abbate et aliis extraneis astantibus, quod dignaretur dicere, unde venissent ei illæ reliquiæ, et quam certificationem haberet, quod essent de capite et cerebro sancti Laurentii. Respondit ille : quod cum tres domini, scilicet dux Clevensis et comes Hornensis et dominus de Bademburch pariter perrexissent ad Terram sanctam, tunc dux Clevensis secum eas apportavit, et sic per successivas generationes pervenerunt ad manus ejusdem venerabilis viri, qui monasterio nostro eas dedit, per omnia benedictus Deus. Dixit etiam, quodsi vellemus eas ponere in argento,

ipse vellet addere marcham argenti, sed præventus morte exsolvere non potuit. Gratias tibi agimus, Domine Jesu Christe, qui monasterium nostrum tam pretiosis muneribus et clenodiis ditari voluisti.... *(sequentia parænetica sunt).*

2° De institutione festi celebrationis reliquiarum S. Laurentii martyris (fol. 2r-3r) (1).

Duæ referuntur rationes ob quas hæc festivitas instituta est : 1° Ordinatio Ottonis, abbatis S. Laurentii duodecimi, edita in *Mon. Germ.*, scr. tom. XX, pp. 604, 605 ; 2° Conjunctio corporis S. Stephani cum corpore S. Laurentii. Hic brevissime narrantur quæ continentur in historia duplicis translationis, de quibus actum est supra, tom. I, p. 36, 64° et 65°.

3° Visio et miraculum S. Laurentii (fol. 4v-7v).

Edita apud Pez *Thesaurus Anecd. Novissimus,* tom. IV, part. III, p. 5-16 ac in *Act. SS.*, ad d. 10 Aug., tom. II, p. 520, n. 1-3.

4° Passio S. Jacobi apostoli qui appellatur frater Domini (fol. 7v-11v).

Passio de qua supra, tom. I, p. 203, 4° ; sed in cod. nonnullis omissis, præmittuntur ea quæ edita sunt in *Legenda Aurea,* pp. 295, 296, num. 1, itemque quæ ibid., num. 2 seqq.

5° De sancto Philippo apostolo (fol. 11v-12r).

Desumptum ex *Leg. Aur.*, pp. 292, 293.

6° In inventione sanctæ Crucis (fol. 12r-16v).

Narratio edita in *Act. SS.*, ad d. 4 Maii, tom. I, p. 445-448, omissis tamen quæ in editis uncinis inclusa sunt. In fine add. quæ edita sunt in *Leg. Aurea,* p. 309, lin. 3 a fine (*Nonnulli ...*) ac p. 303, lin. 9 a fin. (*Legitur enim in evangelico ...*) ad p. 305, lin. 8 (*infixum absconditur*).

7° Passio SS. Alexandri, Evencii et Theodoli martyrum (fol. 16v-20v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 3 Maii, tom. I, p. 371 sqq.

8° Sermo Petri Damiani de excellentia S. Johannis evangelistæ (fol. 20v-25r).

Editus apud Migne, P. L., tom. CXLIV, p. 857 sqq.

9° De sancto Domiciano ex Gestis pontificum Leodiensium (fol. 25r-29v).

Edit. in *Act. SS.*, ad d. 7 Maii, tom. II, p. 147-151.

(1) Sequentia litteris rubricatis in initio folii scripta sunt : *Ad laudem et gloriam omnipotentis Dei gloriosæque virginis Mariæ et sancti martyris Laurentii patroni nostri gloriosi, incipit secunda pars Legendæ sanctorum.*

10° De translatione S. Domiciani confessoris (fol. 29v-30r).

Edit. ibid., pp. 151, 152.

11° Translatio S. Nycholai episcopi et confessoris (fol. 30v-35v).

Narratio contracta ex illa quæ edita est in *Anal. Boll.*, tom. IV, p. 170 sqq.; prologus penitus om.

12° Passio S. Gordiani martyris (fol. 35v-37v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Maii, tom. II, pp. 552, 553; in fine add. clausula de S. Epimacho de qua ibid., num. 4.

13° Passio S. Gengulphi martyris (fol. 37v-41v).

Edita ibid., ad d. 11 Maii, p. 644-648. In prol. nonnulla omm.

14° Passio SS. Nerei et Achillei martyrum (fol. 41v-44v).

Edita ibid., ad d. 12 Maii, tom. III, p. 6 sqq., scilicet num. 1-9; add. ea quæ edita sunt in *Leg. Aur.*, pp. 339, 340, inde ab his verbis : *Quod sponsus ejus* ... (lin. 8).

15° Passio S. Panchratii martyris (fol. 44v-45v).

Edita ope huj. cod. in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 289-291.

16° Vita S. Servatii episcopi et confessoris (fol. 45v-51r).

Hæc Vita magnam affinitatem habet cum Vita de qua actum est supra, p. 74, 32°.

17° Passio S. Urbani papæ et martyris (fol. 51r-57r).

Contracta ex Passione edita in *Biblioth. Casinen.*, tom. III, Floril., p. 84 sqq.

18° Passio SS. Marcellini et Petri (fol. 57r-59v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Junii, tom. I, p. 171-173.

19° Vita S. Medardi episcopi et confessoris (fol. 69r-71v).

Edita ibid., ad d. 8 Junii, tom. II, p. 79-81.

20° Passio SS. Primi et Feliciani martyrum (fol. 71v-74r).

Passio de qua supra, tom. I, p. 10, 37°.

21° De adventu reliquiarum beati Laurentii martyris in Leodium ab urbe Roma (fol. 74r-75r).

Edit. apud Pez, *Thes. Anecd. Noviss.*, tom. IV, part. III, p. 1-4.

22° Qualiter et quando prædictæ pretiosæ et sanctæ reliquiæ S. Laurentii in magno altari fuerunt reconditæ (fol. 75r-76v).

Diploma Berengeri S. Laurentii abbatis, datum anno 1096, edit. apud Chapeaville,

Gesta pontif. Leod., tom. II, p. 30 et apud Martene, *Vet. Scr. Ampl. Coll.*, tom. IV, pp. 1076, 1077. — In cod. add. parænetica quædam ad fratrum, qui jam ingrati animi in beatum martyrem argui poterant, pietatem suscitandam.

23° [Miracula S. Laurentii] (fol. 76^{v}-79^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Aug., tom. II, p. 521-523; num. 4-12. — In cod. tria add., miracula scilicet duo desumpta ex *Dialogis* S. Gregorii papæ, nempe cap. LI, lib. IV (Migne, P. L., tom. LXXVII, pp. 412, 413), ac pars cap. XXXVII, lib. III, (ibid., p. 308); tertium vero edit. supra.

24° Passio S. Barnabæ apostoli (fol. 81^{r}-85^{r}).

Passio de qua supra, tom. I, p. 24, 4°.

25° Anfilochii episcopi Ichonii tractatus in vita et miraculis sancti patris nostri Basilii archiepiscopi Capadociæ (fol. 85^{r}-92^{r}).

Versio quædam Actorum quæ edita sunt in *Act. SS.*, ad d. 14 Junii, tom. II, p. 938 sqq.

26° Passio S. Viti martyris (fol. 92^{r}-96^{r}).

Edita apud Mombritium, tom. II. In cod. multæ sunt lect. var. — In fine Passionis litteris rubricatis scriptum est : *De legenda Marci et Marcelliani habetur in legenda Sebastiani martyris.*

27° Inventio SS. Gervasii et Protasii martyrum (fol. 96^{r}-97^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 19 Junii, tom. III, pp. 821, 822, num. 17-23. — In membranula annexa scripta sunt quæ in tom. cit. reperiuntur pp. 830, 831, num. 61, cum una alterave sententia desumpta ex epistola S. Ambrosii ad sororem suam (Migne, P. L., tom. XVI, p. 1019 sqq.).

28° Passio S. Albani martyris (fol. 97^{v}-99^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 30 Octobr., tom. XIII, p. 345-347, sub hoc titulo : *Passio S. Theonesti et sociorum ejus.*

29° Passio S. Achatii sociorumque ejus martyrum (fol. 99^{r}-104^{r}).

Edita ibid., ad d. 22 Junii, tom. IV, p. 182 sqq., sub hoc titulo *Decem millium Crucifixorum.* In cod. num. 1 om.

30° De sancto Joanne Baptista (fol. 104^{r}-107^{v}).

Desumptum ex *Leg. Aur.*, p. 356 sqq. In fine additur prodigium ex *quodam libro exemplorum* descriptum, in quo narratur quomodo per merita sancti præcursoris domicella nobilis, facto voto fusaque oratione, a capitis dentiumque dolore sanata sit.

31° Passio SS. Johannis et Pauli et Gallicani (fol. 108^{r}-110^{v}).

Edita apud Mombritium, tom. I.

32° De sancto Petro apostolo (fol. 110^{v}-115^{v}).

Desumptum ex *Leg. Aur.*, p. 368 sqq.

33° De sancto Paulo apostolo (fol. 115^{v}-123^{r}).

Item ibid., p. 380 sqq.

34° De translatione sancti Martini (fol. 123^{r}-123^{v}).

Caput VI, lib. I *de Miraculis S. Martini* (Migne P. L., tom. LXXI, pp. 919, 920). In init. prima phrasis ac in fine duæ ultimæ omm.

35° [Reversio B. Martini a Burgundia] (fol. 123^{v}-127^{v}).

Sub titulis diversis nempe : *Triumphus S. Martini, aliud miraculum, Reversio S. Martini episcopi et confessoris, Exceptio B. Martini*, exscriptum est opusculum S. Odonis editum apud Migne, P. L., tom. CXXXIII, p. 819 sqq.

36° Miraculum (fol. 127^{v}-128^{v}).

Desumptum ex opusculo Heberni *de Miraculis B. Martini* (Migne, P. L., tom. CXXIX, p. 1035 sqq.), scilicet primum miraculum, patratum in gratiam Hildrici Leodiensis episcopi.

37° Translatio S. Benedicti. Hugo Floriacensis (fol. 128^{v}-133^{r}).

Ab Hugone Floriacensi, ut videtur, excerpta ex Historia Translationis auctore Adrevaldo (Mabillon, *Acta SS. O. S. B.*, sec. II, p. 353-358) et ejusdem libro de Miraculis S. Benedicti (ibid., p. 370 sqq) num. 15-17 et num. 13.

38° De quorumdam monachorum dissolutione per beatum Benedictum emendata (fol. 133^{r}-134^{r}).

Sub hac rubrica in cod. narratur : 1° quomodo B. Benedictus monachis Floriacensibus S. Odonis adventum prænuntiaverit; 2° quomodo monachi duo S. Odonis disciplina instructi servandi silentii maximis in angustiis tenaces fuerint; 3° quomodo in manibus cujusdam monachi micæ panis in margaritas conversæ fuerint, quia observantissimus erat canonis statuentis : refectione peracta micas diligenter colligendas ac insumendas esse; 4° quomodo Henricus primus Bavariæ dux a calculi morbo meritis S. Benedicti sanatus fuerit.

39° Passio S^{tæ} Margaretæ virginis (fol. 134^{r}-139^{r}).

Edita apud Mombritium, tom. II.

40° De vita S^{tæ} Ragenuflæ virginis (fol. 139^{r}-141^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Julii, tom. III, p. 696-698. Prologus om.

41° De transitu beatæ Praxedis virginis (fol. 150^{r}-150^{v}).

Editum ibid., ad d. 19 Maii, tom. IV, p. 100, num. 5-7.

42° Vita beatæ Mariæ Magdalenæ (fol. 150^{v}-156^{r}).

Vita edita apud Faillon, tom. II, p. 438 sqq. ; sed in cod. aucta est variis interpo-

lationibus, deinde præpositus est prologus ibid. edit., p. 436, ac inserta est illa narratio de qua supra, tom. I, p 212 (secunda pars...).

43° Translatio ejusdem beatæ Mariæ Magdalenæ (fol. 156^{r}-158^{r}).

Narratio de qua in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 516, 69°.

44° Passio S. Apollinaris martyris qui fuit discipulus S. Petri (fol. 158^{r}-162^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 23 Julii, tom. V, p. 344-350. Quæ in edit. uncinis inclusa sunt, in cod. plerumque omm.

45° Vita S. Jacobi (fol. 162^{v}-166^{r}).

Desumpta ex *Leg. Aur.*, p. 421.

46° Vita S. Christophori (fol. 166^{r}-168^{r}).

Ibid.

47° Passio S. Cucufatis martyris (fol. 168^{r}-171^{r}).

Edita apud Surium, ad d. 25 Julii, mutato identidem stylo. In cod. prol. et num. 11 omm.

48° De sancta Glodesinde virgine (fol. 171^{r}-172^{r}).

Vita contracta ex ea quæ edita est in *Act. SS.*, ad d. 25 Julii, tom. VI, p. 210-212.

49° Passio S. Pantaleonis martyris (fol. 172^{r}-176^{r}).

Passio de qua in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 518, 76°.

50° Passio S. Felicis episcopi et martyris (fol. 176^{r}-177^{v}).

Edita in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 322-324.

51° Passio SS. Abdon et Sennes (fol. 177^{v}-180^{r}).

Passio de qua ibid., tom. I, p. 519, 81°.

52° Vita virtutesque S. Germani Antisiodorensis episcopi (fol. 180^{r}-189^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 31 Julii, tom. VII, p. 201-220. Prol. om., deinde numm. 2-8, 17-37, 42-44, 49 præter primam phrasim, 58, argumentum lib. I et II, 64 præter duas primas phrases, 66 a med. (*Liber*...), 77 pars altera (*Sedit*...). Post num. 73 in cod. legitur miraculum equi resuscitati; in edit. omittitur.

CXLV. Codex signatus n° 9320-24.

Foliorum 68 præter insiticium unum in capite codicis, formæ mediæ (0^m,335 × 0,224), binis columnis, lineis graphide ductis, duplici manu exaratus seculo XV ad medium vergente. Tituli raro rubricati sunt; litteræ majores alternis vicibus rubro cæruleoque depictæ, aliquoties haud ineleganter exornatæ sunt. Signum suæ originis, quæ fuit abbatia S. Laurentii prope Leodium, retinet in his litteris L L inscriptis in suprema parte adversa folii insiticii. In codice præter documentum hagiologicum de quo infra, reperiuntur opera ascetica S. Joannis Climaci, versio latina tractatus B. Joannis Rusbrochii *de Virtutibus,* ac Vita Henrici Adæ abbatis S. Laurentii, qui anno 1434 vita functus est. Insuper animadvertatur huic codici a compactore junctum fuisse codicem papyraceum foliorum 18, qui continet versionem latinam tractatus *de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento* auctore eodem B. Joanne Rusbrochio.

Vita sub compendio S. Johannis Clymaci abbatis Montis Synai, dicti Scholastici; qui scripsit has spirituales superiores tabulas, videlicet Sanctam Scalam, editam a Daniele humili monacho Raythii (fol. 49^v-50^v).

Vita stylo magis quam rebus diversa ab ea quæ edita est in *Act. SS.*, ad d. 30 Martii, tom. III, p. 834 sqq. — Ad fin. hæc nota adscripta est: *Explicit liber, qui dicitur Johannes Clymacus, nomen sumens ab auctore continensque* XXX^ia *gradus. Quos qui sectatus fuerit ibit de virtute in virtutem hic in terris, completoque hujus vitæ termino, sursum elevabitur, Deum deorum in Syon æternaliter cum sanctis omnibus conspecturus. Qui quidem liber scriptus est jussu domni Johannis de Yride monachi monasterii sancti Laurentii extra muros Leodienses per manus Jacobi Uten Ham anno Domini M°CCCC°XXXII°, in profesto S. Johannis Baptistæ media æstate. Deo gratias.*

CXLVI. Codex signatus n° 9332-46.

Foliorum 175, quorum duo ultima signis numericis carent, formæ mediæ (0^m,35 × 0,234), binis columnis, lineis graphide, ductis anno Domini 1428 a Johanne de Stabulis (1) exaratus. Tituli rubricati sunt, litteræ majores alternis vicibus

(1) Fol. 1^v extremo litteris rubricatis scripta sunt sequentia: *Anno ab incarnatione Domini* MCCCCXXVIII° *Nonnus Johannes de Stabulis, cœnobii sancti Laurentii juxta Leodium sacrista et monachus, ad Dei sanctæque Mariæ virginis*

rubro cæruleoque depictæ. Hic codex inter præstantiores Regiæ Bruxellensis jure annumeratur ob multiplices picturas quibus Joannes exornavit ecgraphum *Speculi humanæ salvationis*, quod in codice continetur (fol. 119r-168r) et ob schematismum virtutum ac vitiorum (foll. 121v, 122r) quem stemmatis genealogici instar ingeniose disposuit. Nec se artis delineatoriæ imperitum probavit dum fol. 2r S. Laurentii effigiem depinxit. Exhibetur sanctus diaconus cærulea dalmatica indutus, erectus ad craticulam, sinistra palmam tenens ac in signum relatæ victoriæ pedibus calcans imperatorem ac alterum toga vestitum quem diceres judicem iniquitatis.

Insignis iste codex fuit olim S. Laurentii juxta Leodium. Etenim ante indicem contentorum a Joanne folio 1 inscriptum hæc legi possunt : *Liber sancti Laurentii*, et paulo inferius : *In hoc libro pertinente ecclesiæ beati Laurentii juxta muros Leodienses continentur ea quæ inferius intitulantur sub tali numero quo signata sunt.* Iterum fol. 119r manus recentissima scripsit hæc : *Liber sancti Laurentii*, fol. 174r *Liber monasterii sancti Laurentii prope Leodium* ac in parte adversa has litteras LL.

Insuper animadvertendum est duo ultima folia, quæ ut jam monuimus numerica illa notatione sat recenter singulis foliis apposita carent, a Joanne primitus vacua derelicta fuisse. In his sive ipse (1) sive alii nonnulla scripserunt quæ ad res ac fata sancti Laurentii illustranda (2) aliquomodo pertinebant.

Præter documenta de quibus postea sermo recurret ac *Speculum humanæ salvationis* de quo jam diximus, continentur in codice homiliæ non paucæ de sancto Laurentio : ut sermones S. Ambrosii, S. Augustini, S. Maximi, Stephani Cantuariensis ac Ruperti Tuitiensis abbatis.

Nec sileri debet ista congeries documentorum quæ quasi integrum Sanlaurentianum chronicon componunt, quæque in partes tres dividuntur : quarum prima, a tempore Euraclii Leodiensis ecclesiæ episcopi XVIII ad Stephanum primum S. Laurentii abbatem deducta, exhibet compendium historiæ abbatiæ auctore Ruperto, editæ in *Monum. Germ.*, scr. tom. VIII, subjectis tamen nonnullarum rerum memoriis (3) quas Joannes forsitan ex sacristiæ armario hausit. Secunda

honorem ac ipsius ecclesiæ patroni venerationem, hunc librum in diversis codicibus dispersum recollegit scripsitque atque depinxit, pro cujus precor anima omnis oret ecclesia ut eam cælestis curia in sua recipiat habitacula. Amen dicant omnia. Subjunxit manus recentior : *Obiit anno XLIX°, III octobris.* — (1) Fol. 174v : *Nota quod scripsi sermonem de beato Laurentio in libro de Naturis rerum : item sermones Jacobi de Vitriaco de eodem, in libro qui dicitur Nycolaus de Lyra super IIII evangelia et super librum Numerorum, Levitici et Deuteronomii. Item in eodem libro habentur in fine duo alii sermones de eodem, de mysterio ignis. Item versus qualiter passio ejus debet depingi, habentur in libro Bernardi super Cantica Canticorum in fine, in antiquo Omeliario habentur sermones de eodem.* — (2) Vide *Comptes rendus des séances de la Commission roy. d'hist.*, tom. XIV (1848), pp. 191, 192 ; cfr. etiam p. 187 sqq. — (3) Fol. 59v scripta est hæc rubrica : *Istæ reliquiæ inferius intitulatæ continentur in pheretro nostro super majus altare.* — Fol. 60v. *De consecratione hujus ecclesiæ et reliquiis majoris altaris.* — Eodem fol. *De consecratione altaris*

quæ complectitur annos, qui a Stephano ad Simonem abbatem IX fluxerunt, nihil est nisi opus Reineri *De ineptiis cujusdam idiotæ,* tribus quatuorve interpolationibus deturpatum. Tandem tertiam partem, quæ desinit in Stephano abbate XXIV, edidit Guillelmus Arndt ex hoc codice in *Mon. Germ.*, scr. tom. XX. Sed quoniam in codice continentur et reliqua Reineri opuscula historica, dolemus prædictum eximium virum in his edendis æquo minus ad codicem nostrum attendisse.

1° Passio S. Laurentii martyris (fol. 2r-6v) (1).

Passio ab auctore quodam anonymo conscripta, qui ad opus suum conficiendum præ manibus habuit Jacobum a Voragine ac Passionem editam apud Mombritium, tom. II, nihil e penu suo addens nisi nonnulla mirabilia, quæ in nativitate sanctissimi martyris contigisse ferebantur.

2° Item Passio beati Laurentii archilevitæ et martyris Christi in versibus DCCtis (fol. 8r-12v).

Auctore forsan Joanne de Stabulo. Etenim ex elencho librorum quos ipse descripsit composuitve, indubium est eum auctorem (2) esse cujusdam metricæ Passionis, in qua cum Christi vita S. Laurentii vita comparatur. Jam vero hic sub finem, istam comparationem invenimus hocce modo inchoatam : “ *At levita tibi meruit, socius bone, scribi* „.

Inc. Passio Laurenti * — via sit mihi læta canenti, (* *cod.* Laurentii.)
Passio nullorum — minor ullo martyriorum,
Quæ venerandorum — recitantur ubique virorum
Nemo quidem legitur — certasse magis, neque scitur
Omnibus ex notis — pro Christo sanguine lotis
Tanta fuit, talis — que tibi vis spiritualis.

Des. Te precor *, hanc animam — miserorum respice primam, (* *cod.* Te deprecor.)
Ut non damnetur, — non ignis ei dominetur ;
Obsecro, sis alacer — mihi, non sis durus et acer.
Heu mihi! deliqui — tibi, dum tua castra reliqui ;
Sed peto, da veniam ; — reus haud te judice fiam :
Ut pietas Christi — dum penderet cruce tristi
Extulit erronem — paradisi dote latronem,
Me fer ab inferis — sic ad tua regna cavernis.
Mors tua falsorum — mors exstitit idolorum,
Mors tua servorum — mihi mors fiat vitiorum.
Septem donorum — te gratia sidereorum
Passum sacravit, — Christumque sibi sociavit :
Te duce vis Christi — me protegat a nece tristi.

sancti Benedicti abbatis. — Fol. 61r. *De consecratione altaris apostolorum Petri et Pauli.* — Ibid. *Consecratio oratorii S. Jacobi.* — Ibid. *De crucifixo super ostium chori.* — (1) Fol. 1 descriptus est index contentorum; vid. supra. — (2) de Reiffenberg, *Ann. de la Bibliot. Royale,* 1840, p. L.

3° Item passio beati Laurentii martyris (fol. 12v-15v).

Hymnus auctore Aurelio Prudentio edit. in *Act. SS.*, ad d. 10 Aug., tom. II, p. 512-516. — Inde sequitur (fol. 15v) brevis inquisitio de Decio, sub quo passus est beatus Laurentius ac de anno quo martyrium fecit. Postea (fol. 15v-17v) sub hac rubrica : *De causis propter quas Passio beati Laurentii dicitur excellentissima*, istius excellentiæ quatuor subjectæ sunt rationes scilicet : *primo in passione sive acerbitate, secundo in affectu sive utilitate, tertio in constantia sive fortitudine, quarto in mirabili pugna et modo victoriæ.* Deinde item fol. 17v referuntur privilegia beati Laurentii hæc tria : *Primum est in vigilia..., secundum est in octavis..., tertium est in regressibus Antiphanarum* (sic). Tandem (fol. 17v-18r) paucis disseritur de morte Decii Cæsaris et Valeriani præfecti qui beatum Laurentium morte damnaverunt.

4° De translatione ac conjunctione corporis S. Stephani corpori beati Laurentii (fol. 34v-35v).

Narratio de qua supra ad cod. 9291, p. 316, 2°, 2°.

5° Miracula beati Laurentii scripta a Gregorio Turonensi episcopo (fol. 36r-36v).

Vid. supra, p. 308, 78°.

6° Translatio reliquiarum beati Laurentii (fol. 36v-37v).

Vid. ibid., 79°.

7° De adventu reliquiarum beati Laurentii martyris in Leodium ab urbe Roma (fol. 37v-39v).

Narratio metrica edit. in *Mon. Germ.*, scr. tom. XX, p. 579-582.

8° De privilegio beati Laurentii in sexta feria (fol. 39v).

Edit. in *Act. SS.*, ad d. 10 Aug., tom. II, pp. 495, 496, numm. 52, 53.

9° [Miracula S. Laurentii] (fol. 39v-41v).

Referuntur miracula sex scilicet : α miraculum de quo supra p. 308, 80° ; β miracula edita in *Leg. Aur.*, pp. 493, 494 sub num. 4, p. 494, sub numm. 6, 4 ac sub fin. num. 7, p. 495, lin. 4 a fin.; γ miraculum ex hoc cod. edit. in *Act. SS.*, tom. cit., p. 523 sqq., num. 15-24.

10° Vita domni Wolbodonis Leodiensium venerabilis episcopi (fol. 42r-47r).

Vita auctore Reinero edita in *Mon. Germ.*, scr. tom. XX, p. 565-571.

11° [Liturgica de S. Laurentio] (fol. 92r-110v).

Sub hac rubrica descripta sunt officium divinum, missa, orationes, hymni ac prosæ legenda in vigilia, in festivitate ac in octava beatissimi martyris Laurentii.

12° [Miracula de S. Laurentio] (fol. 170r-174v).

Sub hac rubrica relata est : α apparitio duplex sanctissimi martyris Laurentii cuidam Joanni ex ordine fratrum minorum ; β visio cujusdam monachi de statu animarum post mortem edit. apud Pez, tom. IV, p. 5 sqq.; γ narratio auxilii quod beatus Laurentius monacho sibi devoto ante tribunal Dei præstitit.

13° De inventione corporum SS. Laurentii ac Stephani (fol. 174r).

Edit. in *Anal. Boll.*, tom. V, p. 192.

CXLVII. Codex signatus n° 9361-67.

Foliorum 109, formæ mediæ (0^m,343 × 0,24), in duas partes divisus : quarum prior foliis 88 seculo XII exaratis *Historiam Francorum* auctore Gregorio complectitur (1), posterior nonnihil ad res hagiologicas spectans finem seculi XI indigitat. Descriptus est totus codex binis columnis, lineis stylo ferreo ductis. Tituli ac litteræ majores rubricata. Interdum præ vetustate pallescit rubeus color. Fuit olim S. Laurentii Leodiensis. Etenim litteræ L L inscriptæ sunt fol. 1r et fol. 89r; ac fol. 1r nota sequens : *Liber Sancti Laurentii in Leodio;* demum fol. 88v *Liber Sancti Laurentii in Leodio. Si quis eum vendiderit vel furatus fuerit, anathema sit. Fiat, fiat.*

1° Hujus mirabilis conversionis actuumque et morum vitam et pœnitentiæ magnum virileque certamen venerabilis Mariæ Ægyptiacæ, qualiter in heremo expleverit tempora vitæ, de græco transtulit in latinum Paulus venerabilis diaconus sanctæ Neapolis ecclesiæ (fol. 96v-102v).

Edita apud Rosweydum, p. 382 sqq. Præfatio interpretis in cod. om.

2° Incipit narratio de quodam vice domino (fol. 102v-105v).

Acta S. Theophili pœnitentis edita in *Act. SS.*, ad d. 4 Febr., tom. I, p. 483 sqq.

3° Vita sanctæ Eufrosinæ virginis, quæ latenter derelicta domo patris et desponsatione mariti, usque in fine mortis mansit sub habitu monachili (fol. 105v-108r).

Edita apud Rosweydum, p. 363 sqq.

4° In nomine Domini nostri Jesu Christi sanctæque Trinitatis indivisæ incipit vita beatæ Paulæ edita a sancto Hieronimo venerabili presbytero (fol. 108v-110v).

Edita ibid., p. 401 sqq. – In cod. foliis excisis mutila.

(1) Hujus codicis, quem in editione sua *Historiæ Francorum* adhibuit, specimen edidit v. cl. G. Arndt in opusculo *Schrifttafeln* (Berlin 1874), nempe tab. 22, quæ repræsentat fol. 60r integrum.

CXLVIII. Codex signatus nº 9368.

Foliorum 212, formæ mediæ (0m,34 × 0,231), binis columnis, lineis graphide ductis, diversa manu exaratus seculo XV, post annum 1482. Tituli rubricati, litteræ majores parce ac rudiori arte exornatæ alternis vicibus rubro cæruleoque depictæ. In recta parte folii insiticii cum litteris L L scripta est hæc nota : *Liber monasterii sancti Laurentii prope Leodium.* Manu seculi XVI additum est : *Passionale pro Augusto et Septembri.* In enumerandis documentis hujus codicis consulto prætermisimus Passiones ac Vitas quas scriba ex *Legenda Aurea* descripsit.

1° De Machabeis martyribus (fol. 3v-5r).

Narrationi desumptæ ex *Leg. Aur.* annexa est epistola xcviii S. Bernardi (Migne, P. L., tom. CLXXXII, p. 230 sqq.).

2° Passio S. Stephani papæ et martyris (fol. 5r-9v).

Edita in *Act. SS.*, ad 2 Aug., tom. I, p. 139 sqq. Num. 1 inserta sunt in cod. quædam de Valeriano et Gallieno imperatoribus.

3° De inventione S. Stephani protomartyris (fol. 9v-12v).

Epistola Luciani presbyteri jam sæpe cit.

4° De translatione ejusdem de Iherusalem in Constantinopolim (fol. 12v-15r).

Edit. apud Migne, P. L., tom. XLI, p. 817 sqq.

5° Passio S. Justini presbyteri et martyris, qui cum beato Yppolito sanctum Laurentium sepelivit (fol. 15r-17v).

Passio de qua commentatus est Stiltingus in *Act. SS.*, ad d. 17 Sept., tom. V, p. 471 sqq., num. 4 sqq.

6° Epistola sive tractatus magistri Petri Blesensis de Transfiguratione Domini (fol. 17v-22v).

Edita apud Migne, P. L., tom. CCVII, p. 717.

7° De S. Donato episcopo et martyre (fol. 27r-31v).

Vita in qua auctor legendæ in unum miscuit Vitam S. Donati episcopi et Passionem S. Donati episcopi et martyris edit. apud Mombritium, tom. I.

8° Passio S. Cyriaci et sociorum ejus (fol. 31r-35v).

Acta S. Marcelli papæ edit. in *Act. SS.*, ad d. 16 Jan., tom. II, p. 5 sqq. — Passioni postposita est in cod. hæc nota : *In festo sanctissimi patroni nostri Laurentii martyris gloriosi legantur sermones de ipso, prout habentur in libro de sancto Laurentio, vel si placet in die legatur sermo sequens.* Sequitur : *Sermo magistri Leonardi de Utino ordinis Prædicatorum* (fol. 35v-40v).

9° Bulla de indulgentiis hujus ecclesiæ data anno Domini millesimo quadrigentesimo octuagesimo secundo (fol. 40v-41r).

De hac bulla cfr. *Bulletin de la Soc. d'Art et d'Hist. du dioc. de Liège*, tom. II, p. 104.

10° Bulla indulgentiarum capellæ S. Laurentii in villa de Glons (fol. 41r-41v).

Bulla data 24 Aprilis anni 1482 a Silvestro, episcopo Clugiensi; qua confertur indulgentia centum dierum Christi fidelibus toties quoties visitaverint peregrinationis causa capellam S. Laurentii in villa Glons super Jecoram fluviolum, aut ad eam reparandam et ornandam quidquam porrexerint.

11° De sancto Laurentio, de calice et de symonia (fol. 41v).

Edita apud Vincentium in *Speculo Historiali*, lib. XXVI, cap. XIX.

12° De sancto Tiburtio martyre (fol. 41v-42r).

Narratio desumpta ex Passione edita in *Act. SS.*, ad d. 11 Aug., tom. II, p. 621 sqq.

13° Vita S. Arnulfi episcopi et confessoris (fol. 49r-53v).

Vita de qua supra tom. I, p. 39, 79°.

14° Passio S. Agapiti martyris (fol. 53v-55v).

Edita apud Mombritium, tom. I. In cod. inc.: *Sub Aureliano imperatore pagano.*

15° Passio S. Magni martyris (fol. 55v-57r).

Desumpta ex Passione edita in *Act. SS.*, ad d. 19 Aug., tom. III, p. 713 sqq.

16° Passio S. Simphoriani martyris (fol. 62v-64v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 22 Aug., tom. IV, pp. 496, 497.

17° Passio S. Timothei martyris (fol. 64v-66r).

Passio de qua egerunt decessores nostri in commentario de S. Mauro ad d. 22 Aug., tom. IV, p. 517, num. 12. De S. Timotheo vid. ibid., p. 573 sqq.

18° Passio S. Bartholomei apostoli (fol. 66r-69v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Aug., tom. V, p. 34 sqq.

19° De genere passionis S. Bartholomei apostoli (fol. 69v-70r).

Cfr. ibid., p. 28, numm. 92, 93.

20° Translatio S. Bartholomei (fol. 70r-73r).

Oratio S. Theodori edita ibid., p. 39 sqq. Ad fin. in cod. add. quod in edit., p. 42, num. 14 (*Hæc de beati-apostoli*).

21° Qualiter corpus ejus de insula Liparilitana in Beneventum sit translatum (fol. 73r-73v).

Edit. ibid., pp. 42, 43, num. 14-16. In cod. inc.: *Supervenientes Sarraceni...*

22° Vita S. Augustini Ypponensis episcopi, quam composuit magister Robertus (1), abbas Tuiciensis et monachus hujus loci (fol. 73v-81v).

Auctores Galliæ litterariæ in dissertatione *de vita ac scriptis Ruperti* edita apud Migne, P. L., tom. CLXX, p. 703 seqq., asserunt Vitam S. Augustini, quam teste Reinero monacho Sanlaurentianano Robertus conscripsit, jam non extare (vid. ibid. p. 796).

Inc. Quid gratiæ quid honoris beato Augustino debeat ecclesia Christi, omnis qui recte sapit intelligit. Ipse est enim columna nubis in qua thronum suum posuit sapientia Dei, de cujus ore, tamquam de nube plena aquis, Christus vineam suam, id est sanctam Ecclesiam, cælestis doctrinæ pluviis irrigare non desinit. Noverunt hoc palmites boni in quibus fidei pulchritudo nunquam deflorescit, quam pleniter ejus aquis irrigati sint, quantoque studio vulpes parvulas, quæ demoliebantur vineas, iste persecutus sit et ceperit. Merito ergo illum in domo cælestis agricolæ dignum honore dixerim, cujus fides atque studium ecclesiasticæ agriculturæ profuit semper et proderit. Honoranda est itaque in illo gratia Dei, cujus magnitudinem nulla potest lingua verbis prosequi: et in laude ipsius referendum quomodo vel quibus de tenebris in admirabile lumen suum illum vocaverit, qualiter illum episcopum atque doctorem ecclesiarum fecerit, tandemque a præsenti convalle lacrimarum evocatum tamquam bonum et fidelem servum in gaudium suum introduxerit. Hic itaque beatus Augustinus natione Affricanus oppido Tagastensi christianis parentibus ortus, claro genere quo erat editus factus est clarior, arborque bona radice sua in suis fructibus dulcior.

23° Translatio reliquiarum et capitis S. Johannis Baptistæ legenda in decollatione ejus (fol. 81v-84v).

Edit. in *Act. SS.*, ad d. 24 Junii, tom. IV, p. 757-759, num. 254-265.

24° Virtutes ejusdem (fol. 84v-87r).

Descriptæ ex cod. 9290; vid. supra, p. 300, 9°.

25° Quomodo imago Christi a Judæis illuditur, sed effusione sanguinis glorificatur, et sicut multorum debilium infirmitates, ita vulnus Judaicæ infidelitatis hoc miraculo sanatur (fol. 87r-88v).

Relatio edit. apud Migne, P. G., tom. XXVIII, p. 819 sqq.; in cod. inc.: *Est civitas...* (p. 820).

26° Passio Stæ Sabinæ martyris (fol. 88v-89r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Aug., tom. VI, pp. 503, 504, num. 12-15.

(1) Aliquis conatus est *Roberti* nomen abstergere.

27° Passio SS. martyrum Felicis et Adaucti (fol. 89r-89v).

Edita ex Adone ibid., ad d. 30 Aug., pp. 546, 547, numm. 5, 6. In cod. add. : *Junior autem Felix, frater hujus Felicis, XIX Kal. Februarii transiens ad Dominum, in Pincis quievit, qui est locus juxta Nolanam civitatem.*

28° Vita S. Egidii abbatis et confessoris (fol. 89v-93v).

Edita ibid., ad d. 1 Sept., tom. I, p. 299 sqq. In cod. om. prol.; add. in fin. clausula de qua supra p. 200, 18° et hæc collecta : *Deus qui in omnium sanctorum tuorum provectione es laude colendus, maxime in hac die quam beati Egidii sacro transitu consecrasti; da ergo Ecclesiæ tuæ de tanto gaudere patrono et illam sequi pia devotione doctrinam, qua dilectus tuus tuum gregem eruditionis pavit, ut adjuvari nos apud misericordiam tuam et exemplis ejus sentiamus et meritis. Per Christum.*

29° Passio S. Prisci martyris (fol. 93v-95r).

Edita ibid., ad d. 25 Maii, tom. VI, 365-367.

30° De sancto Remaclo episcopo et confessore (fol. 95r-97r).

Fragmentum Vitæ edit. in *Act. SS.*, ad d. 3 Sept., tom. I, p. 692 sqq. Inc. *Sanctus Remaclus dixit ad sanctum Trudonem : Ego per spiritum didici* (num. 7), et prosequitur usque ad *similiter et in latitudine* (num. 14 init.); deinde ex Miraculis, ibid., p. 696, prol. ac num. 1-6.

31° Passio S. Adriani martyris et sociorum ejus (fol. 102v-111v).

Edita apud Mombritium, tom. I. In cod. non paucæ lect. var.

32° Passio SS. Gorgonii et Dorothei martyrum (fol. 117v-123v).

Descripta ex cod. 9289 cum additamento de Diocletiano imperatore.

33° Passio S. Theodardi episcopi et martyris (fol. 123v-130v).

Passio auctore Sigeberto edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Sept., tom. III, p. 593 sqq.

34° Passio SS. Proti et Jacinti martyrum (fol. 130v-133v).

Descripta accurate ex cod. 9289.

35° Passio S. Cornelii papæ et martyris (fol. 133v-136r).

Item cum additamento de Decio.

36° Passio S. Cypriani episcopi et martyris (fol. 136r-138r).

Item.

37° De sancto Materno episcopo et confessore (fol. 142ᵛ-143ʳ).

Fragmentum libri *de Gestis episcoporum Leodiensium* auctore Harigero, ab Ægidio Aureævallensi interpolatum.

38° Passio SS. Luciæ et Geminiani martyrum (fol. 145ʳ-149ʳ).

Edita apud Mombritium, tom. I; sed in cod. multæ sunt lect. variantes.

39° Vita et passio beati Lamberti pontificis et martyris, quam composuit Godescalcus; ex quo posteri fundamentum sumpserunt (fol. 149ʳ-160ᵛ).

Ipsa quidem Vita edit. in *Act. SS.*, ad d. 17 Sept., tom. V, p. 574; sed stylus non parum immutatus est.

40° Miracula de eodem (fol. 160ᵛ-161ᵛ).

Fragmentum Vitæ auctore Godescalco, scilicet finis num. 23 (vid. annot. *f*, p. 581) ac num. 24-26.

41° De vindicta interfectorum ejus (fol. 161ᵛ-162ᵛ).

Fragmentum Vitæ auctore Godescalco edit. ibid., scilicet numm. 27, 28, cum num. 63 vitæ auctore Sigeberto (ibid., p. 601).

42° Passio S. Matthæi apostoli et evangelistæ (fol. 162ᵛ-169ᵛ).

Edita apud Mombritium, tom. II.

43° Passio SS. Mauritii sociorumque ejus Thebæorum martyrum (fol. 169ᵛ-174ᵛ).

Edita apud Surium ad d. 22 Sept.; om. epist. Eucherii.

44° Miracula eorumdem martyrum (fol. 174ᵛ-175ᵛ).

Sub hac rubrica conscripta sunt α fata S. Sigismundi regis, (vid. *Act. SS.*, ad d. 1 Maii, tom. I, p. 85); β prodigium relatum a Gregorio Turonensi in prima parte cap. 76, lib. I *Miraculorum*, (Migne P. L., tom. LXX, p. 771), quodque editum est supra pp. 67, 68.

45° Aliud miraculum (fol. 175ᵛ-177ᵛ).

Iterum duo miracula narrata sunt : α miraculum de quo in secunda parte prædicti cap. 76; β miraculum sanguinis SS. Thebæorum, quem S. Martinus terra elicuisse fertur (vid. *Act. SS.*, ad d. 22 Sept., tom. VI, numm. 180, 181; cfr. *Anal. Boll.*, tom. III, pp. 223, 224, numm. 5, 6).

46° Passio SS. Cosmæ et Damiani fratrum martyrum (fol. 177ʳ-182ʳ).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 27 Sept., tom. VII, p. 474 sqq. In cod. multæ occurrunt lect. var. Inc. : *Domino nostro Jesu Christo regnante, omnis error et idolorum cultura jam paululum cessaverat. Illo tempore fuit quædam mulier...*

47° Sermo in honore beati Michaelis archangeli (fol. 182r-185r).

Edit. in *Act. SS.*, ad d. 29 Sept., tom. VIII, pp. 61, 62. Ad fin. in cod. add. quædam parænetica.

48° Vita S. Hieronymi presbyteri et confessoris (fol. 190v-201v).

Edita apud Migne, P. L., tom. XXII, p. 201 sqq. In cod. ordo servatus in editis subinde immutatur; deinde desinit Vita secundum annot. *c*, p. 213, additis tamen nonnullis desumptis ex Vita ibid., p. 175, scilicet *Bethleem eum alma tenet* (p. 184).

49° Vita S. Remigii episcopi et confessoris (fol. 201v-203v).

Vita auctore Fortunato edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Oct., tom. I, p. 128-130.

50° Qualiter obitus sui diem ei Dominus revelaverit (fol. 203v-205v).

Desumptum ex Vita auctore Hincmaro edita ibid., p. 131 sqq.; scilicet numm. 109-111, 115, 116, 120, 121.

51° Miraculum de eodem (fol. 205v-207v).

Ex eodem, num. 126-132.

52° De secunda translatione ejusdem (fol. 207v-208r).

Ex eodem, numm. 133, 134.

CXLIX. Codex signatus n° 9378.

Foliorum 168 (1), formæ majoris (0m,36 × 0,25), binis columnis, lineis graphide ductis, nitide exaratus sec. XV. Tituli rubricati sunt; litteræ majores subinde cæruleo colore depictæ; eumdem colorem una cum rubro adhibuit vermiculator ad exornandas litteras quibus Vitæ Passionesve incipiunt; eas etiam aliquando eleganter decoravit. In capite codicis folia quinque numeris carent. In horum fol. Iv ac fol. IIr scripta est prima pars Calendarii complectens januarium, februarium, martium et aprilem, ad finem vero aprilis nota sequens : *Notandum quod in præcedenti tabula Vita vel Passiones sanctorum inscriptorum duplici modo intitulantur. Uno modo sic : scilicet Passio vel Vita illius sancti vel sanctæ, ad denotandum quod textus legendæ illius Vitæ vel Passionis ad longum sine diminutione, sicut ab auctore ordinatus est, hic habeatur descriptus. Alio modo sic intitulatur :*

(1) Ille qui sec. XVI inde a fol. 6 numeris singula folia signavit, numerum 88 omisit.

de tali sancto vel sancta, et tunc textus Legendæ istius sancti vel sanctæ est abbreviatus et excerptus ex Legenda Aurea vel Speculo Historiali; eo quod in uno prandio vel cœna propter prolixitatem in refectorio talis Legenda ad contextum non posset fieri. Has ergo Vitas quas a Jacobo aut Vincentio mutuatus est scriba, nuncupatus *Joannes Boes de Los castro* (1), in elencho documentorum consulto omisimus una cum aliquot aliis quæ nihil præbent nisi Acta primigenia compendiata.

Originem suam manifestam facit hic codex tribus Vitarum titulis manu sec. XVI in fol. II^r margine inferiori ascriptis. Est enim ea manus quæ non semel in codicibus sancti Laurentii indicem contentorum descripsit. Fuit ergo codex S. Laurentii prope Leodium.

1° Miracula de Sta Barbara (III^r-V^r).

Hic duo conscripta sunt miracula quæ jam offendimus in cod. 8751-60; scilicet miracula notata in hoc cod. sub numm. 17 et 5 (Cfr. p. 253, 8°).

2° Passio S. Andreæ apostoli (fol. 8^v-12^r).

Epistola ecclesiarum Achaiæ de qua jam sæpius supra facta est mentio.

3° De translatione ejusdem (fol. 12^r-13^r).

Vid. Append.

4° Vita gloriosæ virginis et martyris Barbaræ (fol. 13^r-14^v).

Fragmentum Vitæ de qua supra, p. 156, 5°.

5° Passio beatæ Barbaræ (fol. 14^v-16^v).

Edita apud Zaccaria, tom. sæpe cit.

6° Qualiter corpus fuerit translatum (fol. 16^v-23^r).

Historia translationis edit. supra, tom. I, pp. 392, 393, initio paululum immutato.

7° [Miracula S. Andreæ] (fol. 23^r-27^r).

Desumpta ex lib. III *Historiæ Apostolicæ* edit. apud Fabricium, tom. sæpe cit.

8° Passio S^tæ Luciæ virginis et martyris (fol. 27^r-29^r).

Edita apud Surium ad d. 13 Decemb.

9° De prophetia ejus (fol. 29^r-30^v).

Dissertatio in qua contenditur *esse veram illam sanctæ virginis Luciæ propheticam vocem: " Annuntio vobis pacem datam ecclesiæ Dei, Diocletiano ejecto de regno suo et Maximiano hodie mortuo ".*

10° Passio S. Thomæ apostoli (fol. 30^v-37^v).

Edita apud Mombritium, tom. II.

(1) Vid. fol. 158^r.

11° Sequuntur miracula ejusdem [S. Stephani] (fol. 40r-42r).

Desumpta ex opere B. Augustini *De civitate Dei*, lib. XXII, cap. VIII, num. 10-22, tom. VI, p. 668-672 (Parisiis 1688).

12° De sancto Johanne apostolo et evangelista (fol. 42r-47v).

Narratio desumpta quidem ex *Leg. Aur.*, sed adaucta his quæ relata sunt de beato apostolo in *Historia apostolica* edita apud Fabricium, tom. sæpe cit.

13° Passio Stæ Priscæ virginis et martyris (fol. 74v-79r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 18 Jan., tom. II, p. 184 sqq.

14° Passio SS. Marii, Marthæ (fol. 79r-82r).

Edita ibid., ad d. 19 Jan., tom. II, p. 216 sqq.; om. num. 12-14.

15° Passio Stæ Agnetis virginis et martyris (fol. 87v-92v).

Epistola Ambrosii edita ibid., ad d. 21 Jan., tom. II, p. 351 sqq. — In cod. post epistolam conscripta sunt duo miracula, alterum de Paulino sacerdote, desumptum ex *Leg. Aur.*; alterum, quod auctor testatur desumptum ex libro *de Miraculis Beatæ Mariæ virginis;* refert autem quomodo ad preces S. Præjecti judex quidam iniquus, qui invaserat bona sanctorum Laurentii et Agnetis, tempus ad agendam pænitentiam acceperit.

16° Passio S. Vincentii martyris (fol. 92v-97v).

Edita ibid., ad d. 22 Jan., tom. II, p. 394 sqq.

17° Passio S. Ignatii episcopi et martyris (fol. 101v-106v).

Edita ibid., ad d. 1 Feb., tom. I, p. 29 sqq.; om. num. 20, et ultima pars num. 21; sed add. quæ edit. in *Leg. Aur.*, p. 157, num. 4.

18° Passio S. Blasii episcopi et martyris (fol. 106v-111v).

Descripta ex cod. 9290.

19° Passio Stæ Agathæ (fol. 111v-115r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 5 Feb., tom. I, p. 615 sqq.; in fine paucis scripta sunt quæ refert magister Petrus Blesensis in epistola sua ad Ricardum Syracusanum episcopum, edita apud Migne, P. L., tom. CCVII, p. 133-137 scilicet: *Scitis quod Etna-peccatis incurrerent* (pp. 135, 136).

20° Passio S. Valentini martyris (fol. 116v-118v).

Edita ibid., ad d. 14 Febr., tom. II, pp. 756, 757.

21° Passio S. Mathiæ apostoli (fol. 124r-128r).

Edita ibid., ad d. 24 Febr., tom. III, p. 441 sqq., scilicet num. 3-12. In cod. ad fin. brevi sermone scriptum est de inventione corporis S. Mathiæ deque ejus Trevirim translatione. (Cfr. ibid., p. 445, numm. 1, 2).

22° Passio sanctarum martyrum Perpetuæ et Felicitatis (fol. 128r-129v).

Edita supra, tom. I, p. 158 sqq.

23° Vita Stæ Gertrudis virginis (fol. 135v-140v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 17 Martii, tom. II, p. 594 sqq. In cod. omm. numm. 1, 9, ultima pars num. 15 *(Quoniam...)*, itemque num. 19; add. vero miraculum ibid. edit., p. 599 (num. 1, appendicis I), et hæc clausula : *Ex marmore namque unde sacrum sponsæ Christi corpus tegitur, oleum limpidissimum currit per agni Dei gratiam ad declaranda virginis suæ merita. Per hujus liquoris unctionem multi cæci et infirmi sanitatem recipiunt, necnon et assidue cælestes cerei illuminantur in circuitu sepulcri, ubi sanctum corpus requiescit.*

24° Vita S. Ursmari episcopi et confessoris (fol. 148r-150r).

Vita auctore Ratherio edita apud Mabillon, *Act. SS. O. S. B.*, sec. I, part. I, p. 250-255 ; in cod. num. 6 est contractus. In pagella fol. 148v agglutinata scriptæ sunt notæ quædam ex *Chronicis Lobbiensibus* et ex *Speculo Historiali* desumptæ.

25° De translatione S. Lamberti (fol. 155r-158r).

Brevis narratio translati corporis S. Lamberti a Trajectensi in Leodiensem civitatem, adjectis miraculis de quibus facta est mentio in *Act. SS.*, ad d. 17 Sept., tom. V, p. 554-556, num. 207-215.

26° Miracula de Bta Barbara (fol. 159v-164r).

Hic scripta sunt miracula numero quatuordecim. Horum concordantia cum miraculis relatis in cod. 8751-60 talis est :

Cod. 9378.		Cod. 8751.	Cod. 9378.		Cod. 8751.	Cod. 9378.		Cod. 8751.
Num. 2	—	3	Num. 6	—	11	Num. 10	—	15
3	—	4	7	—	12	11	—	16
4	—	9	8	—	13	12	—	7
5	—	10	9	—	14	14	—	2

Num. 1 relatum est in cod. prodigium haud absimile a multis aliis, scilicet qualiter meritis beatæ Barbaræ amputatum cujusdam equitis caput confessionem instituere potuerit; num. vero 13 prodigium quod accidit apud civitatem Coloniensem in ecclesia Fratrum minorum; de quo supra p. 156, 7°.

Appendix ad cod. 9378.

DE TRANSLATIONE S. ANDREÆ. (Cfr. supra, pag. 332, 3°.)

De translatione ejusdem.

1. Post annum igitur trecentesimum tricesimum tertium ab incarnatione Domini, regnante Constantino imperatore glorioso, pace firmata christianorum ecclesiis, beata Helena christianissima regina, ejusdem principis mater, audiens beatum Andream in Achaia insignibus et assiduis florere miraculis, cum devotione et humilitate, cum multa christicolarum concione sibi fideliter famulante ad sancti pervenit sepulcrum, incomparabilem et Deo gratum et hominibus cupiens videre thesaurum. Consentientibus autem ecclesiæ custodibus et ministris, aperto maxima cum reverentia monumento, tantæ subito fragrantia suavitatis effusa est in omni astantium populo, ut omnium pigmentorum redolentias inestimabiliter superaret odore suavissimo. Expandit beata Helena cum fidelibus manus ad cælum, multiplicant omnes vota devote ad eum.

2. Apparebat corpus sacrum ex omni parte integrum, vestimentis pretiosis, sicuti beata Maximilla ipsum in sepulcro condiderat, dignissime involutum. Nulla autem erat corruptione læsum sanctissimi corporis sui vestimentum. A facie vero ejus cum abduxerunt sudarium, tamquam irradiatum a sole splendidissimo totum resplenduit templi sacrarium. Pavor ilico ingens et stupor singulorum : quia per artus corporis movebatur cruor. Genibus corruentes pectora tundebant, lacrimas fundebant, divinæ majestati laudum præconia impendebant. Fideles autem Christi ministri cum beata Helena sanctum corpus tam gloriosissime intuentes, manusque ad transferendum timide apponentes, cum tremore et reverentia de tumulo elevabant et in loculo pretiosissimo gemmis auro præparato dignissime collocare et imponere cupiebant. Cum vero de sarcophago levari debebat in conspectum astantium, guttæ sanguinis ex vulneribus in passione perceptis de corpore in tumulo effluebant; et recens sanguis semper permanens erat : cujus tactu languidi ex diversis infirmitatibus salutis gratiam resumebant. Loculus autem monumenti sanguine plenus, et corpus sacrum inde levatum sicut cynamonum et balsamum aromatizans dedit odoris suavitatem diversasque fragrantias, quibus validi ad spem vitæ melius confortati et languidi ex omni invalitudine liberati Creatori omnium et sancto apostolo laudes referebant et gratias. Tres autem mortui in elevatione corporis sacri allati ejus meritis sunt vitæ pristinæ restituti.

3. Gaudebat omnis in Domino populus, in fide catholica confirmatus; venerabaturque a cunctis sanctus Andreas apostolus, tantis miraculorum insignibus gloriose a Domino decoratus : excoliturque singulis annis hujus memoria solemnis septimo idus maii mensis. Dies vero hæc sancti apostoli translationis in universis Achaiæ et Græciæ totius provinciis et aliis diversarum regionum confiniis ut dies passionis ejus veneratur votiva et celebris : quia passio apostolica et victoria

sancti Andreæ claruit in elevatione sanctissimi corporis, ostensis tot divinitus gloriosis miraculis.

4. Beata igitur Helena primates sacerdotesque et ministros ecclesiarum ac populos Achaiæ indefessa rogavit prece, ut causa cultus nominis Dei ampliandi in partibus Græciæ, ad visitandum sancti Andreæ patrocinium, in Constantinopoli civitate ejusdem sancti venerabiles deferrentur reliquiæ. Oravit, impetravit : neque fas erat ei a subditis quicquam negari. Dimisso autem sepulchro cum sancto sanguine in regione Achaiæ, ne totaliter sui patris et patroni privarentur suffragiis incolæ; venerabilis regina venerandas corporis sancti reliquias pretioso et insigni loculo honorifice collocatas transtulit in Constantinopolim civitatem, egregiam adducens populo fidelium salutem et vitæ lætitiam. Adductum autem ad hunc locum tantæ dignitatis apostolum pius rex regum Jesus multis virtutibus honorificavit signorum : personabatque laus altisona jugiter a cunctis in nubibus, Græcis præ nimia lætitia Dominum devote laudantibus, et sancto apostolo Andreæ frequenti laude psallentibus. Imperatrix vero præfata sancto Dei basilicam insigni opere artificum studio decoratam construxit et sanctas in ea reliquias honestissime collocans, congregationem fidelium Deo servientium magno apparatu in ejus memoriam statuit. Consummata autem hæc basilica in translatione sancti apostoli, anni revolutione recursa, a multis provinciæ Græcorum pontificibus digne exstitit Domino consecrata.

5. Gloriosus igitur Domini apostolus Andreas in ipsa ecclesia beatæ Helenæ instantia et devotione positus, ab universis fidelibus honore maximo veneratur; qui gratia Dei ægrotantibus varia sanitatum beneficia frequenter largitur. Mortuos namque ibidem sanctus ad vitam frequentissime revocat, oppressos ab omni angustia liberat, maxima in pluribus mirabilia demonstrat. Quicunque enim a sancto Dei cum fide aliquod poscit beneficium, cooperante Domino, consequitur salutis effectum. Nos autem sancti colentes memoriam sanctus Dei amicus apostolus Andreas suis meritis dignetur adjuvare, ut ad æternam gloriam mereamur feliciter pervenire; quod ipse nobis sua misericordia et pietate concedat, qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

CL. Codex signatus n° 9398-99.

Foliorum 138, formæ mediæ (0m,354 × 252), binis columnis, lineis stylo ferreo ductis, sec. XII exaratus. Tituli ac litteræ majores minio descripta. Ex titulis tamen non pauci injuria temporum fere deleti. Ex litteris L. L. fol. 1r inscriptis innotescit codicem olim fuisse S. Laurentii prope Leodium. In cod. continetur opus Cassiani *De institutione cœnobiorum,* eaque documentorum series, quæ in lucem dedit P. Rosweydus, quibusque illustrantur vita ac mores sanctorum patrum qui in eremo Deo servierunt. In specie sequentia notanda sunt:

1° Vita S. Anthonii abbatis (fol. 1ᵛ-15ᵛ).

Vita auctore S. Athanasio edita apud Rosweydum, tom. sæpe cit., p. 35 sqq.

2° Vita S. Pauli primi eremitæ edita a S. Hieronimo venerabili presbytero (fol. 20ʳ-22ʳ).

Edita ibid., p. 17 sqq.

3° Vita S. Hilarionis monachi et heremitæ (fol. 22ʳ-28ᵛ).

Vita auctore S. Hieronymo edita ibid., p. 75 seqq.

4° De [Malcho] captivo monacho (fol. 28ᵛ-30ʳ).

Edit. ibid., p. 93 sqq.

5° Vita S. Mauri abbatis (fol. 80ʳ-91ᵛ).

Vita auctore Fausto edita in *Act. SS.*, ad d. 15 jun., tom. I, p. 1039 sqq.

CLI. Codex signatus n° 9515-16.

Foliorum 225, formæ mediæ (0^{m},323 × 0,232), binis columnis, lineis graphide ductis nitidissime una manu sec. XI exaratus; excipiuntur tamen duo ultima folia, quæ lineis plenis alia manu ejusdem seculi descripta fuerunt. Tituli rubricati, litteræ vero majores subinde viridi colore depictæ sunt. Codicis origo innotescit ex hac nota fol. 1ʳ marg. sup. inscripta : *Liber ecclesiæ beati Laurentii in Leodio.*

[De sancta Scholastica] (fol. 224ᵛ-225ʳ).

Vita auctore S. Gregorio edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Feb., tom. II, pp. 401, 402; in cod. stylus paululum immutatus est. Insuper add. in fine numerus 10 *Historiæ translationis SS. Benedicti et Scholasticæ in Galliam* auctore Adalberto, edit. ibid., tom. III Martii, pp. 302-305.

CLII. Codex signatus n° 9537-40.

Foliorum 174, formæ mediæ (0^{m},30 × 0,22), binis columnis lineis stylo ferreo (ut plurimum) ductis, exaratus diversis manibus sec. XII. Tituli ac litteræ majores rubricata. In parte posteriori codicis tres quatuorve litteræ haud ineleganter ornatæ rubro cum fulvo viridique coloribus mixto. Codicis fata ex parte novimus tum ex nota sequenti inscripta fol. 174ᵛ, *Liber monasterii Sancti Pauli in Trajecto Inferiori;* tum ex hac chartula Q MS 6 agglutinata fol. 1ʳ, qua significatur

codicem PP. Bollandianorum fuisse. Tandem animadvertatur sub finem codicis manum sec. XVI margines commaculasse scriptitando notulas nunc fere deletas, ac in parte adversa ultimi folii descriptas esse antiphonas aliquot neumatibus signatas.

1° Georgii Florentii Gregorii Turonensis liber miraculorum martyrum beatorum (fol. 1^r-64^r).

Edit. apud Migne, P. L., tom. LXXI, p. 705-828.

2° Georgii Florentii Gregorii Turonici episcopi. De virtutibus S. Martini (fol. 64^r-115^v).

Edit. ibid., p. 911-1008.

3° Liber vitæ Patrum opere Georgii Florentii Gregorii Turonici (fol. 115^v-170^r).

Edit. ibid., p. 1009-1096.

4° [Vita S. Remacli episcopi et confessoris] (fol. 170^v-174^v).

Edita ex hoc cod. in *Act. SS.*, ad d. 3 Sept., tom. I, p. 692-695.

CLIII. Codex signatus n° 9578-80.

Iste codex duobus codicibus bene distinctis constat. Prior foliorum 132 formæ mediæ (0^m,307 × 0,227), binis columnis, lineis graphide ductis, exaratus seculo XII, nihil ad rem nostram pertinet, quippe qui contineat opus Ruperti Tuitiensis *De gloria et honore Filii hominis,* editum apud Migne P. L., tom. CLXVIII, p. 1307 sqq., ac hymnum ejusdem Ruperti ad Spiritum sanctum edit. ibid., p. 1633 sqq. Ad calcem folii 132^r manus seculi XV quam non semel offendimus in codicibus Sanlaurentianis post ista verba *Sancti Laurentii juxta Leodium,* subnexuit parvulam quamdam Ruperti notitiam biographicam.

Posterior codex foliorum 8 (fol. 133-140) formæ mediæ (0^m,29 × 0,184), lineis plenis graphide ductis, exaratus seculo XII, ut prior, ad Sanctum Laurentium pertinuit; in fine enim fol. 140_v scriptum est : *Liber sancti Laurentii martyris in Leodio. Si quis eum abstulerit, anathema sit.* Ut omittamus versiculos sex in parte adversa ejusdem folii 40 ascriptos seculo XV, in cod. continentur opus prædicti Ruperti *De læsione virginitatis* (Migne, ibid., tom. CLXX, p. 543 sqq.) ac

Conversio Othgerii et Benedicti (fol. 139^v-140^v).

Edit. apud Mabillon *Act. SS. O. S. B.,* sec. IV, part. I, p. 662-4. In cod. numm. 16 et 21 omm.

CLIV. Codex signatus nº 9598-606.

Hic codex foliorum 171 constat pluribus fragmentis in unum compactis. Primum, foliorum octo, formæ mediæ (0^m,317 × 0,209), descriptum est sec. XV lineis plenis, titulis litterisque majoribus rubricatis. Secundum, foliorum 74, formæ mediæ (0^m,325 × 0,214), binis columnis, lineis graphide ductis, duplici manu exaratum est sec. XIII. Tituli ubi scripti sunt, rubricati, itemque litteræ majores; hæ subinde admixto cæruleo colore non ineleganter exornatæ sunt. Tertium, foliorum 37, formæ mediæ (0^m,31 × 0,215), duplici columna, lineis graphide ductis, descripsit manus sec. XIV. Tituli rubricati itemque litteræ majores. Quartum exhibet nobis codicem papyraceum foliorum 34, mediæ formæ (0^m,273 × 0^m,19) duplici columna descriptum anno 1527. Etenim legere est fol. 20^v *Finis anno Domini 1527 septimo Kalendas Septembris.* Tandem ultimum fragmentum, foliorum 12, mediæ formæ (0^m,28 × 0,16), descriptum est lineis plenis sec. XIII. Tituli ac litteræ majores non ineleganter exornatæ rubro depictæ sunt.

Hic codex olim fuit S. Laurentii. Etenim in adversa parte ultimi folii scripta sunt sequentia : *Liber S. Laurentii in Leodio. Si quis eum fuerit furatus vel vendiderit, anathema sit. Fiat. Fiat. Fiat. Amen;* ac paulo inferius iterum : *Sancti Laurentii in Leodio.* Insuper litteræ LL sunt scriptæ in parte recta primi folii, item fol. 82^r, item in folio 1^r papyraceo. Tandem notetur indicem contentorum, incompletum quidem illum, scriptum esse in parte recta primi folii.

1º Oratio ad S. Wolbodonem episcopum et confessorem (fol. 1^v).

Ave pater egenorum, — Wolbodo sanctissime,
Relevamen afflictorum, — præsul devotissime,
Ave gemma confessorum, — signorum clarissime,
Spes et salus languidorum, — virtutum ditissime.

Dudum prudens, pius, castus, — sobrius et humilis,
Hostis evitabas astus, — spretis ejus jaculis;
Tuis ergo, quæso, pastus — exemplorum formulis,
In me frena mundi fastus, — pressis carnis stimulis.

Et qui quondam distributor — facultatum fueras,
Pupillorum quoque tutor — his opem contuleras,
Mihi rogo sis adjutor, — ut veras divitias,
Quibus jam egere putor, — acquiram, et cælicas.

Juxta tumbam qua locatæ — sacræ sunt exuviæ,
Inauditæ sunt patratæ — virtutes eximiæ;
Sanitates restauratæ, — propulsæ molestiæ.
Illud ergo precor a te, — me mente et corpore
Tua serves pietate — et mundum a crimine.

Pie Jesu, pastor bone, — precor cordialiter,
Sacro duce Wolbodone — orante suaviter,
Fac sanctorum me coronæ — jungi æternaliter,
Tui vultus visione — potiri finaliter. Amen.

Sequuntur orationes duæ in honorem ejusdem sancti pontificis.

2° Vita S. Wolbodonis pontificis ex multis antiquorum scriptis in unum collecta (fol. 2r-6v).

Vita de qua fit sermo in *Act. SS.*, ad d. 21 Aprilis, tom. II, p. 855, num. 2. Miracula annexa Vitæ (fol. 6v-7v) edita sunt ibid., p. 862-864, num. 22-27.

3° Vita S. Lamberti (fol. 8r-22v).

Vita auctore Nicolao, canonico Leodiensi, edita in *Act. SS.*, ad d. 17 Sept., tom. V, p. 602-617.

4° Passio S. Theodardi episcopi et martyris (fol. 22v-27r).

Vita auctore Sigeberto edita ibid., ad d 10 Sept., tom. III, p. 593-599.

5° Vita beati Nicolai episcopi et confessoris (fol. 27v-41v).

Vita non rebus sed verbis omnino diversa ab ea quæ edita est tum apud Carminum Falconium tomo sæpe cit., tum in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 143. Sub Vitæ finem paucis fit mentio de translatione ejusdem pontificis in civitatem Barensem (vid. *Anal. Boll.*, tom. IV, p. 169 sqq.) ; subjunguntur tandem miracula duo edita in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 151 sqq.

Inc. Prol. : Beati Nicholai vitam, cujus dignitatem nullus valet ad plenum sermo consequi, libet qualicumque narratione ad fidelium ædificationem eloqui, utpote magnificæ exemplar sanctitatis et operosæ speculum caritatis ; ex cujus consideratione inquisitores Dei comprehendere possint, quali pietatis ornamento placituram Deo faciem cordis insignire debeant.

Inc. Vita : Beatus Nicholaus electus a Deo et prædestinatus atque secundum propositum gratiæ ejus vocatus sanctus, in mundo quasi lux in tenebris exortus est. Ita enim pietate, misericordia atque miraculorum radiis orbi pæne universo innotuit, ut in refovendo tribulatos, in relevando naufragos, terræ et mari velut sidus salutare illuxerit.

6° Sermo de S. Thoma Cantuariensi (fol. 41v-43v).

Passio de qua actum est supra, tom. I, p. 253, 12°.

7° [Vita Stæ Walburgis] (fol. 65v-66v).

Fragmentum Vitæ auctore Adelboldo episcopo Ultrajectino, editæ in *Act. SS.*, ad d. 25 Feb., tom. III, p. 542 et sqq.; scilicet num. 1-6. Hic tamen ultimus numerus abrumpitur his verbis *perpetuo condonaret. Quod* (p. 544, col. 1, lin. 1).

8° Vita S. Martialis confessoris (fol. 67r-76v).

Edita apud Surium ad d. 30 Junii.

9° Passio S. Paulini Treverensis archiepiscopi (fol. 76v-79v).

Sermo de quo in *Act. SS.*, ad d. 31 Aug., tom. VI, p. 675, num. 38.

10° Translatio ejusdem (fol. 79v-80v).

Edita ibid., pp. 678, 679, num. 13-23. Pro altera parte num. 16 *(Extat-terræ insedit)* ita cod. :

Recepto igitur pontifice glorioso eodemque martyre pretioso cum solemni et festivo totius urbis tripudio, non minime sanctæ officiositatis ab omnibus invigilatur studio de requirendo videlicet competenti et idoneo, convenienti et digno tam sanctæ depositioni locello. Post diuturnam autem hujus discussionis deliberationem, hæc sancti Felicis sententia omnibus visa est conveniens et digna, ut in basilica ab ipso Felice in honore sanctæ Dei genitricis, necnon et occisæ ibi a Rictiovaro Maximiani imperatoris præfecto Thebeæ legionis, constructa et admodum præclara, juxta prolem clarissimam Treverensem et inclytam, ubi dormiunt corpora peregrinorum plurima, hujus quoque sancti martyris et episcopi glebam de peregrinatione quam pro Christo susceperat reducta, sicut cum aromatibus mirra, quanto convenientius tanto honorificentius collocaretur. Quæ sit autem proles clarissima Treverensis et inclyta, quæve peregrinorum corpora quæ circa eum jacent plurima, nec hæc modo expedit pagina, sed alias alia scripturæ sacræ loquuntur testimonia. Exstruentes igitur ibi cryptam ossibus ejus satis habilem, sarcophagum ejus in medio cryptæ cum ferreis catenis III idus maii honorifice suspenderunt. Quod ita pendens usque ad tempora Northmannorum mansit et ab ipsis fractis catenis sarcophagum terræ non altius insedit; sed ex virtute divina per vim invisibilem sanctæ gravitatis sarcophagum solo puri aeris obsequio per multa annorum curricula sustinebatur, donec tandem, peccatis populorum exigentibus, a quibusdam tantæ divinitatis potentiæ diffidentibus, pollutis ex conscientia perfidiæ suæ manibus depressum non absque vindicta Dei mox in illos ostensa, proh dolor! subsedit. Omnes enim qui huic infidelitatis operi interfuerunt, singuli singulas infirmitatum plagas susceperunt; quas usque ad finem vitæ suæ pertulerunt; sed fortasse initia dolorum hæc. Timendum est enim de illis ne pro illicitis infidelitatis suæ ausibus æternis gehennæ crementur ignibus. Nam et luminaria omnia quæ in monasterio aut in dormitorio eadem hora ardebant hujus sarcophagi, quin immo, sicut imperator hæc audiens testabatur, totius regni casum sui exstinctione quodammodo merebant. Nebula quoque tam nimia monasterium totum eadem hora replebat quod illi miseri, corpore sicut et mente obumbrati, hac et illac more cæcorum palpitando vix exierunt de monasterio.

11° Vita beati Pauli heremitæ edita a beato Iheronimo presbytero (fol. 82r-85v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Jan., tom. I, p. 604-607.

12° Vita S. Antonii edita a beato Athanasio patriarcha Alexandrino in græco et translata ab Evagrio (fol. 85^{v}-112^{v}).

Edita ibid., ad d. 17 Jan., tom. II, p. 120-141.

13° Vita S. Hylarionis (fol. 113^{r}-119^{r}).

Vita auctore S. Hieronymo, edita ibid., ad d. 21 Oct., tom. IX, p. 43-58. Sed in codice abrumpitur his verbis : *barbarum est propter loci ritum* (num. 16 initio).

14° Tractatus domni Joannis Tritemii abbatis Spanhemensis Ordinis sancti Benedicti de laudibus venerabilis et beatissimæ matris Dei genitricis Annæ (fol. 1^{r}-20^{v}).

Editus anno 1494 typis Moguntinis ac iterum apud Busæum in *Paralipomenis* (Moguntiæ 1605), p. 619 sqq. (Vid. Silbernagel, *Joannes Trithemius*, p. 237).

15° Exemplar litterarum originalium de institutione processionis in die translationis sancti Lamberti martyris (fol. 23^{r}-29^{r}).

De his litteris, datis die 4 maii anni 1526 ab Erardo de Marcka episcopo Leodiensi, cfr. *Bulletin de la société d'art et d'histoire du diocèse de Liège*, tom. II, pp. 166, 167.

16° In laude beati Joseph justi economi Domini Jesu Christi ejusdemque sanctissimæ matris virginis Mariæ et ad excitandas et provocandas laudes et præconia ejusdem sancti viri Dei (fol. 1^{v}-11^{v}).

Hac sub rubrica scripta invenimus non solum quamdam encomistiacam orationem, sed et officium divinum quod in festo die sancti Joseph agebatur. His in folio papyraceo subjecta est epistola cujusdam fratris Alberti ad Adrianum cantorem in Sancto Laurentio; qua eum facit certiorem officium quod festo die S. Joseph in suo monasterio decantabatur diversum esse ab eo quod monachi Sanlaurentiani recitabant. Ei ergo transmittit orationes ad missam ac duplicem hymnum. Inde sequuntur in cod. folia tria membranea hinc inde collecta in quibus descripta sunt neumatibusque notata fragmenta quædam liturgica.

CLV. Codex signatus n° 9636-37.

Foliorum 244, quæ numeris rubricatis antiquitus signata fuere. His adduntur folium unum in capite codicis signo numerico carens, in quo descriptus est contentorum index; ac in fine alia folia duo quæ aliunde desumpta præcedentibus

adjuncta sunt; tandem inter folium 236 ac 237 inserta fuit membranula in qua amanuensis nonnulla scripsit quæ in describenda vita S. Joannis omiserat. Formæ mediæ (0^m,329 × 0,235), binis columnis, lineis stylo ferreo ductis sub finem sec. XI exaratus a scriba qui sive ignorantia sive oscitantia scriptitando mendas justo plures commisit. Tituli vitarum capitulorumve sæpe rubricati sunt : itemque ut plurimum litteræ majores, nam aliquoties colore subcinericio depictæ sunt. Non raro littera initialis ambitiose magis quam eleganter exornata. Codex olim erat Sancti Laurentii. Quod manifestum est tum ex litteris L L inscriptis fol. 1^r, tum ex hac nota : *Pertinet Monasterio sancti Laurentii prope Leodium*, quam juxta contentorum indicem seculo XV bibliothecæ custos exscripsit.

1° Vita S. Silvestri papæ urbis Romæ (fol. 1^r-18^v).

Edita apud Mombritium, tom. II. In fine pro his quæ apud Mombritium sunt edita inde a *Expletis ergo* (fol. penult., col. 1, lin. 7 a fin.) in cod. reperitur quod editum est supra, tom. I, p. 119 *(Post hæc)*, itemque in margine inferiore fol. 18^r, id quod ibid., p. 254.

2° Vita S. Augustini episcopi, quæ agitur IV Kal. Septembris (fol. 18^v-33^v).

Vita auctore Possidio edita in *Act. SS.*, ad d. 28 Aug., tom. VI, p. 427 sqq.

3° Vita S. Gregorii papæ urbis Romæ (fol. 33^v-41^r).

Edita ibid., ad d. 12 Martii, tom. II, p. 130 sqq.

4° Vita S. Ambrosii Mediolanensis episcopi (fol. 41^r-51^r).

Vita auctore Paulino jam sæpe cit.

5° Vita S. Servatii episcopi (fol. 51^r-54^r).

Edita ope huj. cod. in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 93 sqq.

6° Vita beati Remigii Remorum archiepiscopi (fol. 54^r-57^r).

Pars prior (fol. 54^r-55^v, col. 1 extr.) est vita auctore Fortunato edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Oct., p. 128-130; posterior vero cap. VIII Vitæ auctore Hincmaro, editæ ibid., sed in cod. omm. numm. 112-114, 122, 123 ac prior pars num. 124.

7° Vita S. Arnulfi (fol. 57^r-61^r).

Edita ibid., ad d. 18 Julii, tom. IV, p. 435-440. In cod. om. num. 7; num. 35 pro *elegimus enim...*, in cod. *Nunc vero pauca de plurimis dicta sufficiant.*

8° Vita S. Goaris presbyteri et confessoris (fol. 61^r-64^v).

Edita ibid., ad d. 6 Julii, tom. II, p. 333-337.

9° Vita S. Gaugerici episcopi (fol. 64^v-66^v).

Edenda in *Anal. Boll.*

10° Vita S. Trudonis episcopi et confessoris (fol. 66v-77v).

Vita auctore Donato edita in *Act. SS. Belgii*, tom. V, p. 23 sqq. — Fol. 72v in spatio prius vacuo relicto descriptæ sunt manu sec. XV notulæ aliquot desumptæ ex chronicis abbatiæ sancti Trudonis.

11° Vita S. Remacli episcopi et confessoris (fol. 77v-80v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 3 Sept., tom. I, p. 692 sqq.

12° Sermo in natali S. Remacli legendus (fol. 80v-84r).

Ex parte edit. ibid., p. 725-727.

13° De miraculis ejusdem (fol. 84r-96r).

Edit. ibid., p. 691-721, sed multis omissis vel mutatis. Videlicet deest index capitulorum edit. p. 696; tituli tamen capitulorum libri I singulis miraculis præscripti sunt; desunt insuper prologus et index capitulorum libri II; attamen ejusdem libri tantummodo leguntur in cod. num. 1-13; sequuntur sed stylo mutato numm. 66, 67, 15, 16, 13, 14, 22-25.

14° Vita S. Huberti (fol. 96r-108r).

Edita ibid., ad d. 3 Nov., tom. I.

15° De miraculis post ejus translationem ostensis (fol. 108r-112v).

Edit. ibid.

16° Vita S. Silvini confessoris (fol. 112v-115v).

Edit. ibid., ad d. 17 Febr., tom. III, p. 229-231. Prol. om.

17° Vita S. Albini (fol. 115v-118r).

Vita auctore Fortunato edita ibid., ad d. 1 Martii, tom. I, p. 57-60. In cod. num. 10 tom. præter primam phrasim; cfr. ibid., annot. *c*.

18° [Vita S. Bertuini] (fol. 118r-122v).

Textus alter Vitæ quam ex ms. Ultrajectino S. Salvatoris edidit Cornelius Smet in *Act. SS. Belgii*, tom. V, p. 179 sqq.; editus in *Anal. Boll.*, tom. VI, p. 16 sqq.

19° [Vita S. Rigoberti Remensis archiepiscopi] (fol. 122v-128v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 4 Jan., tom. I, p. 174-179. In cod. pro num. 13 et seqq. reperiuntur ea quæ edita sunt in *Anal. Boll.*, tom. II, pp. 473, 474.

20° Vita sancti ac beatissimi Eucherii Aurelianensis urbis episcopi cujus depositio est x kl. Martii (fol. 128v-131r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Feb., tom. III, p. 217-219. In cod. prol. I om.; in fine

addita est clausula quam in cod. S. Maximini Trevirensis legerunt decessores nostri; cfr. ibid., p. 219, annot. *b*. In cod. stylus magis barbarum olet.

21° [Vita S. Sulpitii Bituricensis episcopi] (fol. 131^{r}-134^{r}).

Edita supra ope huj. cod., p. 76 sqq.

22° [Vita S. Theoderici confessoris] (fol. 134^{v}-140^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Julii, tom. I, p. 64-71. In cod. om. num. 3-5 (p. 71).

23° [Vita S. Theodulfi abbatis] (fol. 140^{r}-142^{v}).

Edita apud Mabillon, *Act. SS. O. S. B.*, sec. I, p. 346-349.

24° [Vita S. Firmini confessoris] (fol. 142^{v}-144^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Sept., tom. I, p. 178-180.

25° Quædam actuum beati Hadelini confessoris, cujus dies agitur III nonas Februarii (fol. 145^{r}-148^{v}).

Vita auctore Notgero edita ibid., ad d. 3 Febr., tom. I, p. 372-376.

26° Vita S. Gisleni presbyteri (fol. 148^{v}-155^{r}).

Vita auctore Rainero edita ope huj. cod. in *Anal. Boll.*, tom. V, p. 212 sqq.

27° Sermo in festivitate beatissimi Gisleni legendus. De elevatione et claritate miraculorum ejus (fol. 155^{v}-170^{r}).

Sermo et miracula auctore eodem Rainero edit. ibid., p. 239-281, (cfr. p. 210).

28° Anfilochii episcopi Ichonii tractatus in vita et miraculis sancti patris nostri Basilii archiepiscopi Capadotiæ (fol. 170^{r}-181^{v}).

Versio latina diversa ab ea quæ edita est in *Act. SS.*, ad d. 14 Junii, tom. II, p. 938 sqq.

29° Vita sanctissimi pontificis Amandi (fol. 181^{v}-187^{v}).

Vita auctore Baudemundo edita ibid., ad d. 6 Feb., tom. I, p. 848-854.

30° Suppletio quæ addita est libello Vitæ sanctissimi patris nostri Amandi a Milone monacho et sacerdote cœnobii ipsius (fol. 187^{v}-189^{r}).

Edita apud Mabillon, *Act. SS. O. S. B.*, sec. II, p. 719-721.

31° Exemplar epistolæ Martini papæ [ad S. Amandum] (fol. 189^{r}-190^{r}).

Edita ibid., p. 721-723.

32° Titulus de obitu beati Amandi (fol. 190^{r}-191^{v}).

Editus ibid., p. 723-725.

53° Sermo legendus in transitu sive depositione ter beati atque gloriosi Christi pontificis Amandi. Celebratur ipsa solemnitas depositionis præfati patris octavo idus Februarii (fol. 191v-196v).

Sermo de quo ibid. fit mentio, p. 843, num. 131.

34° Qualiter corpus beati Amandi in locum quo nunc requiescit fuerit translatum, ac de ordinatione episcopatus ipsius. Celebratur VII Kl. Novembris (fol. 196v-199r).

Sermo Milonis edit. ibid., p. 889-891.

35° Sermo de elevatione corporis beati Amandi quæ facta est a Hlothario custode anno ab incarnatione Domini octingentesimo VIIII, a transitu vero prædicti patris centesimo quinquagesimo, die vigesimo mensis Septembris (fol. 199r-201r).

Sermo Milonis edit. ibid., p. 891-893. In cod. om. num. 10 ac totum cap. II.

36° Vita S. Vedasti episcopi et confessoris (fol. 201r-204v).

Vita auctore Alcuino edita ibid., ad d. 6 Feb., tom. I, p. 794-799. In cod. om. prol., numm. 8, 10, ac ultima phrasis *(Obiit...)*

37° Vita S. Medardi episcopi et confessoris (fol. 205r-206r).

Vita auctore Fortunato edita ibid., ad d. 8 Julii, tom. II, p. 79-81.

38° Vita S. Philiberti abbatis (fol. 206v-210r).

Edita ibid., ad d. 22 Aug., tom. IV, p. 75-80.

39° Vita S. Ermini successoris S. Ursmari (fol. 210r-211r).

Edita ibid., ad d. 25 Aprilis, tom. III, p. 375-376.

40° Vita S. Bavonis confessoris, discipuli S. Amandi episcopi (fol. 211r-214r).

Edita ibid., ad d. 1 Oct., tom. I, p. 230-235. In cod. om. prol., ac subinde quædam prolixius dicta supprimuntur.

41° Vita S. Odulfi confessoris et presbyteri (fol. 214r-216r).

Edita ibid., ad d. 12 Junii, tom. II, p. 592-595. Prol. om.

42° Vita S. Lupi Trecassinæ urbis episcopi (fol. 216r-217r).

Edita ibid., ad d. 29 Julii, tom. VII, p. 69-70.

43° Vita S. Memii Cathalaunensis episcopi et confessoris (fol. 217r-218r).

Edita ibid., ad d. 5 Aug., tom. II, pp. 11, 12. In cod. stylus paululum immutatus est.

44° Vita sanctorum confessorum Syri et Yventii Tycinensis civitatis episcoporum (fol. 218r-221v).

Edita apud Prelini, *San Siro primo vescovo e patrono della citta' e diocesi di Pavia,* tom. I, p. 178-216. In cod. ad fin. hæc add. : *Post cujus transitum vir prudentissimus Yventius juxta promissum pii patris Syri gradum suscepit regiminis, magistri in omnibus imitator existens. Et hic quoque strenue regens ecclesiam Papianam, post multorum annorum curricula migravit ad Dominum, qui vivit in secula seculorum.*

45° Vita S. Apri Tullensis episcopi (fol. 221v-222r).

Edenda in *Anal. Boll.*

46° Vita S. Cuniberti Coloniensis archiepiscopi (fol. 222r-223r).

Edita supra tom. I, pp. 244, 245.

47° Vita S. Lupi, Senonicæ urbis episcopi et confessoris (fol. 223r-226v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Sept., tom. I, p. 255-264.

48° Vita S. Victoris Cenomanicæ civitatis episcopi et confessoris (fol. 226v-228v).

Edita ibid., ad d. 25 Aug., tom. V, p. 145-147. In fine præsertim a num. 13 stylus est valde diversus.

49° Vita S. Vincentii confessoris, mariti S. Waldetrudis (fol. 228v-232r).

Edita ibid., ad d. 14 Julii, tom. III, p. 668-677. In cod. non pauca subinde, præsertim parænetica omm.

50° Vita S. Severi presbyteri et confessoris, quæ est XIIII Kal. Decembris (fol. 232v-235r).

Edita in *Anal. Boll.*, tom. V, p. 417 sqq.

51° Vita S. Johannis Constantinopolitani episcopi (fol. 235r-239r).

Inc. Beatissimi Johannis Constantinopolitani episcopi vita, genus, conversatio et quemadmodum vel sublimatus sit in episcopatu, vel depositus et morte potius honoratus, exponendum est et multorum cognitioni intimandum. Johannes itaque fuit Antiochenus, filius Secundi et Anthusæ, nobilium personarum, Libanii sophistæ discipulus et auditor Andragarii philosophi.

Des. In cujus loculo Theodosius imperator frequenter defigens oculos atque

frontem, qui sui avi et vocabulum sortitus est et pietatem servabat inviolabilem, pro Archadio et Eudoxia genitoribus supplicavit, ut ignoranter in eum delinquentibus veniam condonaret. Sapientia itaque studioque imperatoris et Procli episcopi hoc modo mitigata est et adempta tristitia omnium illorum, qui propter Johannis favorem persecutionem passi sunt. Quos idem episcopus jam pridem ab ecclesia separatos rursus ecclesiæ decenter, posthabita malivolorum invidentia, restituit. Flavianus vero Antiochenus episcopus, qui non consenserat in damnatione ejus, vocabulum ipsius, id est Johannis, in ecclesiasticis diptycis primus inseruit.

52° Vita et præclari antistitis Ansberti Rothomagensis, cujus transitus est V^{to} idus Februarii (fol. 239^r-241^r).

Edita in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 179 sqq.

53° Vita S. Wlmari confessoris, cujus depositio celebratur XIII Kal. Augusti (fol. 241^r-242^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Julii, tom. V, p. 84-88. Prol. om.

54° Vita S. Severini Coloniensis episcopi (fol. 242^v-244^v).

Contracta ex Vita edita ibid., ad d. 23 Oct , tom. X, p. 56-60.

55° Vita S. Brictii Turonensis episcopi, quæ legitur idus Novembris (fol. 244^r-244^v).

Vita de qua supra, p. 288, 34°. — Sequuntur folia duo quæ postea codici agglutinata fuerunt; in his descripta est pars officii liturgici quod in festo Inventionis S. Stephani legebatur, scilicet lectiones I nocturni cum responsoriis neumatibus notatis.

CLVI. Codex signatus n° 9645-49.

Hic codex ex duobus codicibus eadem manu exaratis efformatus est. Prior formæ mediæ (0^m,306 × 0,20) constat foliis 152; posterior vero ejusdem formæ (0^m,30 × 0,188), foliis 16. Descriptus fuit uterque binis columnis, lineis graphide ductis, seculo XIII ineunte. Tituli rubricati sunt itemque litteræ majores. In initio homiliarum quæ legendæ erant in præcipuis festivitatibus, litteræ elegantiores apparent et artis venustate et formæ varietate. Aliquoties etiam litterarum internam vacuitatem complent non spernendæ delineationes; sic sancti Pauli effigies fol. 41^r, sancti Benedicti morientis fol. 81^r, sancti Joannis Baptistæ fol. 121^r, sancti Malachiæ episcopi Ardmachani fol. 141^r. Et hæc ultima delineatio tanti visa est Hibernis ut expressa fuerit in *Proceedings of the royal irish Academy* anno 1846-7, num. 67, p. 501.

Codex olim fuit S. Laurentii Leodiensis : et hoc quidem deducitur non ex aliqua nota codici inscripta, sed ex indice contentorum quem descripsit in duobus foliis papyraceis codici in fine agglutinatis illa manus quam offendimus in codice 9291.

In codice præter homilias continetur sequens documentum :

Passio sancti Mononis martyris (fol. 119r-120v).

Edita ope hujus cod., in *Anal. Boll.*, tom. V, p. 196 sqq.

CLVII. Codex signatus nº 9737-38.

Foliorum 165, formæ mediæ ($0^m,28 \times 0,185$), binis columnis, lineis graphide ductis exaratus sec. XV. Litteræ majores rubro cæruleoque depictæ. Fuit olim sancti Laurentii. Etenim fol. 1r cum siglo LL inscripta est hæc nota : *Liber monasterii S. Laurentii Leodiensis.* Eodem item folio cum indice contentorum descripta sequentia :

Titulus seu inscriptio sepulchri D. Roperti, abbatis monasterii Tuitiensis.

Anno Domini mº.cº.xxxvº quarto nonas martii obiit venerabilis pater ac Domnus Rupertus, abbas hujus monasterii, vir doctissimus atque religiosissimus ut in libris suis quos edidit claret apertissime.

Hanc schedulam sibi in prædicto monasterio Tuitiensi transcriptam, quum ad nos ex Colonia rediret, D. Gerardus de Zuylre secum detulit; voluitque ut in aliquo operum ejusdem patris, quorum apud nos non parva copia est, transcriberetur, quatenus non præsens tantum ætas, sed etiam postera agnosceret quanta pietate, quantaque doctrina hic noster claruerit Robertus.

Ne præsens ævum, ne postera nesciat ætas,
Hic sua Rupertus membra disertus habet.
Anno Domini 1538.

In codice præter opus Roberti *De victoria verbi Dei*, editum apud Migne, P. L., tom. CLXIX, p. 1215 sqq. (1), continetur :

Officium nocturnum et diurnum cum missa notatum de sancto Judoco presbytero et confessore (fol. 140r-146r).

Vid. Append.

(1) Ad finem operis (fol. 138r) scripta est hæc nota : *Finis voluminis originalis domni Roberti abbatis Tuiciensis, monachi præsentis loci, monasterii scilicet sancti Laurentii prope Leodium.*

Appendix ad cod. 9737-38.

DE SANCTO JUDOCO. (Cfr. pag. præc.)

De sancto Judoco confessore, cujus festum venit in die sanctæ Luciæ virginis.

Ad Vesperas.

Ant. Adest dies qua Judoci
Colitur festivitas;
Hinc concordet sane voci
Animi humilitas,
Perquam solvant nostri joci
Laudes sibi debitas.

Ant. Novum sidus mundo luxit,
Cum Judocum huc produxit
Regia * sublimitas;
Cujus fulsit interius,
Luce clara splendidius,
Morosa generositas.

Ant. Regnum terræ conculcavit
Spreta mundi gloria;
Soli Deo militavit,
Virtutum militia;
Suos actus dedicavit
In ejus obsequia.

Ant. Cessit regali solio,
Stirpe ductus regia,
Ac hominum suffragio,
Silvæ petens devia
In ferarum pro socio,
Mendicat cibaria.

Cap. Collaudabunt multi sapientiam ejus.

℟. Orantis sancti meritis.

Hymnus.

Hymmidici sonent toni,
Ut intonent dulci soni
Canora symphonia;
Salutares assunt joci
Prodeuntes in Judoci,
Laudanda sollemnia.

Ad nihilum hic redegit
Mundi pompam, ac elegit
Vitam solitariam;
Heremitæ typum gessit,
Macerandoque depressit
Se per abstinentiam.

Propter Christum, quem amavit,
Regnum patris recusavit
Et ejus palatia;
Vita egens paupertatis,
Ut cælestis bonitatis
Frueretur copia.

Judocum inter cetera
Terrarum rerum opera
Laudat hoc miraculum:
Peregrinum quem cremavit
Ignis, Christus liberavit
Ad Judoci titulum.

Hunc patronum collaudemus,
Collaudantes imploremus
Ejus patrocinia;
Ut vitia repellamus
Virtutibus floreamus
Per ejus suffragia.

℣. Os justi meditabitur sapientiam.

* *cod.* regis.

Ad Magnificat Ant. Exsultet Ecclesiæ turba fidelium, lætetur præcipue occiduis mundus in oris, patris Judoci illustratus radiis, recolens ejus festa in terris, de cujus societate sancti congaudent in cælis.

Invitatorium. Laudemus summum et clementem Dominum, qui nobis piissimum Judocum voluit conferre patronum. Ps. Venite.

Hymnus. Rex gloriose præsulum.

In primo nocturno.

Ant. Sanctus Judocus cathedram pestilentiæ respuens, velut lignum fructiferum secus decursus sanctificavit aquarum. Ps. Beatus vir.

Ant. Populis inania meditantibus, Christi cultor evasit Judocus, et in monte sancto Dei prædicator effulsit magnificus. Ps. Quare fremuerunt.

Ant. Mirificavit Dominus sanctum Judocum exaudiens eum, et apud ducem probatum et glorificatum constituit in pace. Ps. Cum invocarem.

Ant. Tentantis inimici jacula et astuti serpentis versutias sanctus Domini scuto bonæ voluntatis protectus evicit. Ps. Verba mea.

Ant. Admirabilem Deus noster coram principibus sanctum fecisti Judocum, quem stola jucunditatis decoratum super opera manuum constituisti tuarum. Ps. Domine Dominus.

Ant. Vir Dei Judocus in montem transmigrare et secretiorem vitam agere cupiens, justitiam diligentem et æquitatem videre Dominum toto desiderabat affectu. Ps. In Domino confido.

PRIMUM ℟. Sanctitate insignis vir Dei Judocus ex Britannica gente nobilissimam duxit prosapiam, regia stirpe editus. ℣. Nobilitatem generis sanctis ornavit moribus, nobilior multo Deo quam seculo. — Regia.

℟. Electus Domini confessor Judocus dignis successibus ad regni culmina eligitur, sed amore Dei terrena postponens ambiebat regnare cum Christo. ℣. Tandem fratri regimine collato, mente conditori adhærens, — Ambiebat.

℟. Annos excedens moribus, ut fuerat juvenculus, jejuniis et precibus exemplum dabat senibus. ℣. Erat pernox in fletibus sanctisque in operibus, mortis die sollicitus. — Jejuniis.

℟. Gloriosus Dei confessor Judocus, patrio solo cum quibusdam sanctis comitibus egressus, Pontivi pagi fines ad usque devenit. ℣. A quibus prædictis patribus capite attonsus ad ordinem electus clericatus. — Pontivi.

In II. Nocturno.

Prima Ant. Sine macula in conspectu Domini beatissimus ibat Judocus, quadrantem ad diurnum victum reservatum tribuens egenti, ideo requiescet in in monte sancto Dei. Ps. Domine quis habitabit.

Ant. Desiderium cordis ejus implevit Dominus et voluntate animi non est fraudatus, vitamque quam semper exoptabat accepit. Ps. Domine in virtute tua.

Ant. Accepit benedictionem beatus Judocus a Domino, cujus benedictionis signo aquilinus interiit vigor. Ps. Domini est terra.

Ant. Beatissimus Christi confessor Judocus Deo et hominibus exstitit dilectus, clarus etiam fulsit in virtutibus. Ps. Exaudi Deus orationem.

Ant. Quidam sacerdos pedum manuumque privatus officio a quodam est monitus ignoto medicum Judocum in pago quærere Pontivo. Ps. Te decet hymnus.

Ant. In deserto sanctus iste insecutus est baptistæ Domini vestigia, qui silvarum radicibus vescebatur pro dapibus post longa jejunia. Ps. Bonum est confiteri (1).

℟. Amator evangelicæ institutionis Judocus, quatuor quadrantibus panis quatuor pauperibus erogatis, quatuor naves alimonia confertas Deitatis gratia recepit. ℣. Inquirentes autem Dominum non deficient omni bono. — Quatuor.

℟. Orantis sancti meritis quondam Deitas operata est mirum : nam defixo cum precibus in terra baculo undam laticis produxit continuo. ℣. Cujus fontis suavitas ad salutem credentium permanet populorum. — Nam defixo. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. — Nam defixo.

℟. Contemplationis dulcedini intentum sanctus Spiritus replevit Judocum, qui et locum futuræ quietis præscivit et præsciendo ibidem se mansurum prædixit. ℣. *Hæc requies mea,* inquit, *in seculum seculi ; hic habitabo, quoniam elegi eam.* — Ibidem.

℟. Puella quædam oculorum luce privata, sancto adducta, ac aqua qua idem lotus erat facie abluta, videns rediit ad propria. ℣. In somnis namque ut videret, sibique jussum fuerat fide munda ad sanctum accedens sacerdotem. — Videns. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. — Videns.

Ad cantica.

Ant. Assumptis itaque secum comitibus ad imperatum devenit locum, ubi orationi diutissime incumbens meritis sancti surrexit incolumis. Cc. Beatus vir qui intelligit super *.

* *cod.* qui ī s'.

[℟]. Audaciam ducis ejus integerrimum corpus videre conantis, usibus ablatis linguæ et aurium, venerandus pater compescuit. ℣. Videbat et exclamabat : *A* * *Judoce.* — Cujus mox audaciam *. Usibus. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. — Usibus.

*sic.
*sic.

℟. Magne pater Judoce, summo Patri proxime, admiranda, qua præcellis apud eum, gratia, a commissis nos emundans, ne cadamus sustine. ℣. Nam credimus tuis precibus nos posse salvari. — A commissis.

℟. Confessor Dei Judocus, nobili progenie nobilior moribus, ab ipso puerili ævo secutus Dominum gloriam mundi sprevit ac patris regimen. ℣. Ideo ab omni clade liberantur qui ex toto corde quærunt illum. — Ab ipso. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. — Ab ipso.

(1) Fol. 140v juxta hanc antiphonam, quæ posita fuit primo loco, scripta sunt seqq. : *Sed ista prima antiphona est ultima antiphona de II Nocturno, et non deservit hic.*

℟. Copiosæ caritatis confessor Judoce, qui cum Deo gloriaris in cæli palatio, condescende, supplicamus, ad te suspirantibus, ut exutos gravi carne pertrahas ad superos. ℣. Sancte Dei confessor Judoce, te venerantes protege, — ut exutos. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. — Ut exutos.

EVANGELIUM. Dixit Simon Petrus ad Dominum Jesum : *Ecce nos.* — COLLECTA. Deus qui beatissimum, UT INFRA.

Ad laudes.

Ant. Alter dum solus pergeret, spiritui obviat erroris; a quo dum esset cæcatus, ad sancti adductus titulum pristinæ sanitati est redditus. Ps. Dominus regnavit.

Ant. In tantis sancti meritis omnipotentem laudemus Dominum ac hymnidico cordis jubilo, vocis resonante organo, modulata in excelsis proferatur exsultatio. Ps. Jubilate.

Ant. Judocus Dei amicus divinis decoratus virtutibus, omnibus se amabilem exhibuit. Ps. Deus, Deus meus.

Ant. Regalibus siquidem natalibus ortus, velut lucifer Judocus emicuit. Cc. Benedicite omnia.

Ant. Nobilitatem generis sanctis ornavit moribus, nobilior multo Deo quam seculo.

HYMNUS. Hymnidici sonent toni, et cetera.

Ad benedictus. Ant. Egregius Dei amicus Judocus post fatigatum divinis operibus debile corpus et innovatam sanctis operibus juvenilem senectam, *Euge* meruit audire jocundissimum, et in Domini sui perenne intrare gaudium. Cc. Benedictus.

AD HORAS DIEI ANT. DE LAUDIBUS, CAPITULA, VERSICULI SICUT DE UNO CONFESSORE NON PONTIFICE.

AD SECUNDAS VESPERAS ANT. Sanctus Judocus, CUM TRIBUS SEQUENTIBUS.

Ad Magnificat.

Ant. O pater Judoce,
Dulcis in memoria,
Sed cum Christo jam perenni
Dulcior in gloria,
Quibus ipse jocundaris
Inter cæli vernulas,
Fac ut ad cælestis agni
Admittamur epulas.

Cc. Magnificat. COLLECTA. Deus qui beatissimum.

Ad sextam. Collecta. Adesto, Domine, precibus nostris, quas in sancti Judoci confessoris tui commemoratione deferimus, ut qui nostræ justitiæ fiduciam non habemus, ejus qui tibi placuit meritis adjuvemur. Per Dominum.

Ad nonam. Collecta. Sancti Judoci confessoris tui nos, quæsumus, Domine, tuere præsidiis, et ejus semper intercessionibus adjuvemur. Per Dominum.

Officium Missæ de sancto Judoco confessore.

Introitus. Os justi meditabitur sapientiam. ℣. Noli æmulari etc. — Kyrie eleyson. Gloria in excelsis.

Collecta. Deus qui beatissimum Judocum, confessorem tuum, æternitatis gloria sublimasti, concede nobis, famulis tuis, ejus sollemnia celebrantibus, cunctorum veniam delictorum et æternæ beatitudinis præmium sempiternum. Per.

Epistola. Justum deduxit Dominus, et cetera.

Graduale. Domine, prævenisti eum in benedictione. Alleluia. Justus germinabit sicut lilium.

Sequentia.

Laudes Christo persolvamus,
Nos qui sancti celebramus
Judoci sollemnia ;

Hinc se viro demonstravit,
Quando panem impetravit
Deus vultu proprio.

Pater nobis opem mittat,
Cujus vita nos invitat
Ad cæli palatia.

Panis datus non ingratus
Fuit immo reparatus
Divino concilio.

Rege natus et regina,
Cælos gliscit et divina
Deitatis gratia.

Deo panem hic divisit
Deus naves hinc remisit
Plenas beneficio.

* *cod.* erogavit.

Mundum sprevit et terrena,
Mente quærens Deo plena
Paradisi gaudia.

Victum cunctis vir erogat *;
Capit quisque quantum rogat,
Respondente copia.

Cœtus noster hinc applaude;
Hunc honora dignum laude,
Qui vivit in gloria.

Ruunt omnes cum gaudio ;
Sed vir Dei præ tædio
Fessus liquit omnia.

Sciant omnes et sciant singuli :
Non quæsivit gloriam seculi,
Nec patris imperia.

Inde transit in deserta
Deum sequens fide certa
Fugit transitoria.

Regna liquit et fugit patriam
Et subivit transiens Samiam
Pontivi confinia.

Lustra terens hic ferarum,
Non horrescit vim earum ;
Sedat quæque noxia.

Tunc sub duce requievit,
Ubi Christo acquievit
Et ejus servitio.

Manu sua comit aves,
Feri lupi sunt suaves,
In ejus præsentia.

Opus fuit mirabile :
Ala fallitur aquilæ
Prece viri saucia.

O quam pura — genitura
Fuit iste, — Jesu Christe,
Vitæ vitans devia!

In hac vita — vixit ita :
Nusquam lentus — est inventus
Ad Dei servitia.

Vana spernens — et levia,
Viam tenens, — non devia
In invio, non in via
Fecit domicilia.

Romam vadens non moratur;
Revertenti præsentatur
Quædam cæca, quæ sanatur
Prece justi prævia.

Hinc reversus ad altare
Stans et debens celebrare,
Dextram vidit consecrare
Gubernantis omnia.

Clausus tandem in tumulo
Quantus fuit in seculo
Caro probat miraculo,
Vitæ viri conscia.

Quod cum male dux scrutatur,
Dum superbit, dum inflatur,
Morte turpi condemnatur ;
Sic a Deo castigatur
Furentis insania.

Confessoris oratio,
Cujus fuit hæc ultio,
Nos sanctorum consortio
Jungat. Amen hæc concio
Sonet cum lætitia (1).

Evang. Dixit Simon Petrus ad Dominum Jesum : *Ecce nos reliquimus,* et cetera.

Offertorium. Posuisti, Domine.

Ad secreta. Nostræ fragilitati, potentissime mediator Deus, opem conferri deposcimus, ut illius nostræ immolationis hostia interventu tibi reddatur accepta, cujus sollemnitatem celebramus. Per Dominum.

Comm. Magna est gloria ejus.

Post comm. Salvandæ recordationis victimis immolatis, beati Judoci confessoris tui gaudentes interesse sollemnitati, te, Domine, exoramus, ut cujus insistimus servitiis, meritorum semper piis adjuvemur auxiliis. Per Dominum.

Hæc sunt festa beati Judoci; primum in die S. Barnabæ apostoli, quod apparuit manus Domini super eum visibiliter ; secundum festum inventionis ejus in die Sancti Jacobi majoris apostoli; tertium festum translationis ejus altera die Calixti papæ; quartum dies obitus ejus ipso die sanctæ Luciæ virginis et martyris.

Ant. de sancto Judoco.

Magnificat nobilitas
Judocum confessorem,
Clarificat humilitas
Mundi contemptorem
Glorificat æternitas
Dei amatorem
In qua, præstante Deo,
Exsultemus cum eo
In salutari nostro.

(1) Hanc sequentiam jam ediderunt Mone, *Lateinische Hymnen des Mittelalters* (1853-1855), Morel, *Lateinische Hymnen des Mittelalters* (1868), Daniel, *Thesaurus hymnologicus* (1841-1856), Kehrein, *Lateinische Sequenzen des Mittelalters* (1873).

CLVIII. Codex signatus nº 9742.

Foliorum 243, quorum 236 antiquitus numeris signata fuerunt, formæ mediæ (0m,296 × 0,22), ut plurimum binis columnis, lineis stylo ferreo ductis, diversis manibus exaratus seculo XII; attamen sub finem scilicet inde a fol. 236v manus seculi XV documenta inferius notanda descripsit, prioribus pumice erasis. Eamdem manum offendimus in initio foll. Ir, IIv (1) et fol. 156r; sed fol. Ir in charta membranæ agglutinata. Eodem modo parti rectæ fol. IIr binæ chartulæ diversæ ejusdem seculi scripturæ agglutinatæ sunt. Tituli raro rubricati sunt; litteræ Passionum initiales subinde rubro depictæ sunt, subinde diversimode ornatæ; sed ornandi genus manifestat artificem parum excultum, quique phantasiæ suæ minus æquo moderabatur.

Codex olim fuit S. Laurentii : scriptum est enim fol. Iv : *Liber sancti Laurentii Leodii,* siglum L L; ac fol. 243r : *Pertinet monasterio sancti Laurentii Leodii.* Fol. IIv descriptus index contentorum his præpositis versibus :

Istic quis lectum quærens natale piorum
Quodlibet e multis tenet hic quæ passio sanctis,
Intendat titulis quos promit frons subaratis ;
Actutumque suis respondent singula notis.

Animadvertatur tandem ultimo folio recto hæc, ceteris deletis, legi : ... *fratris Adriani anno XIIIIcLXXXI.* Iste vero frater Adrianus est celeber ille historiographus Sanlaurentianus nuncupatus de *Veteri Busco,* de quo cfr. *Biographie Nationale,* tom. I, pp. 85, 89.

1° Miraculum de sanctis martyribus Thebeis Mauricio sociisque ejus, ex Gestis S. Martini confessoris (fol. Ir).

Vide *Anal. Boll.*, tom. III, p. 223, lin. 6 *(Dum beatus Martinus...).*

2° [Hymnus de Sto Foillano] (fol. IIr).

Editus ex hoc cod. in *Act. SS.,* ad d. 30 Oct., tom. XIII, p. 442, num. 55.

3° De Sto Adriano sequentia (fol. IIr).

Inc. Lætis tange fidibus :
Læta instant gaudia;
Læta reddunt omnia
Præsens turba meritis
Tanti applaude martyris
Jocunda melodia.

(1) Sic notamus folia duo priora, quæ in codice numero carent. Ita folium codicis tertium notatum est 1, quartum 2, etc...

In fine eadem manu adduntur hi versus :

Adriane offero tibi hoc dictamen;
In mortis articulo meum sis juvamen,
Ne a pœnis inferi sentiam gravamen,
Sed cælesti gaudio fruar tecum. Amen.

4° Passio S. Petri apostoli (fol. II^{v}-4^{v}).

Liber I epistolæ S. Lini.

5° Passio S. Pauli apostoli (fol. 4^{v}-8^{v}).

Lib. II ejusdem epistolæ.

6° Passio S. Andreæ apostoli (fol. 8^{v}-11^{r}).

Epistola ecclesiarum Achaiæ.

7° Virtutum S. Andreæ oratio (fol. 11^{r}-15^{v}).

Vide *Anal. Boll.*, tom. III, p. 186, 1°. In cod. om. clausula : *Hæc sunt quæ de virtutibus* (p. 187 med.).

8° Passio S. Jacobi apostoli fratris Johannis evangelistæ (fol. 15^{v}-18^{r}).

Edita apud Mombritium, tom. II.

9° Assumptio S. Johannis apostoli et evangelistæ (fol. 18^{r}-23^{r}).

Epistola Melitonis.

10° Passio S. Thomæ apostoli (fol. 23^{r}-29^{r}).

Edita apud Mombritium, tom. II.

11° Passio S. Jacobi apostoli qui appellatur frater Domini (fol. 29^{r}-30^{r}).

Vide supra, tom. I, p. 203, 4°.

12° Passio S. Philippi apostoli (fol. 30^{r}-30^{v}).

Vide ibid., p. 202, 3°.

13° Passio S. Bartholomæi apostoli (fol. 30^{v}-33^{v}).

Vide supra, p. 37, 39°.

14° Passio S. Mathei apostoli (fol. 33^{v}-38^{r}).

Edita apud Mombritium, tom. II.

15° Passio SS. Simonis et Judæ (fol. 38^{r}-42^{r}).

Edita ibid.

16° Passio S. Marci apostoli et evangelistæ. Quod est VII kal. Maii (fol. 42^{v}-46^{v}).

Vid. supra, tom. I, p. 522, 21°.

17° Passio S. Sebastiani et sociorum ejus (fol. 46^{v}-62^{r}).

Vid. supra, p. 33, 7°.

18° Passio S. Vincencii archidiaconi. Quod est XI kal. Februarii (fol. 62^{v}-66^{v}).

Vid. ibid., 8°.

19° Passio S. Policarpi episcopi et martyris. Quod est VII kal. Februarii (fol. 66^{v}-69^{r}).

Epistola ecclesiæ Smyrnensis juxta textum Eusebii ex Ruffini interpretatione, sed initio nonnihil mutata a compilatore. Ipso fere scriptionis tempore correctæ sunt plures mendæ, adhibito textu Ruffini puriore.

20° Passio S. Valentini martyris. Quod est XVI kal. Martii (fol. 69^{r}-71^{r}).

Vid. supra, p. 179, 10°.

21° Passio S. Georgii martyris (fol. 71^{r}-71^{v}).

Compendium quoddam Actorum apocryphorum, de quibus cfr. *Act. SS.*, ad d. 23 Apr., tom. III, p. 101. — Pessimos habet errores, ob quos Papebrochius hæc Acta " non tantum fide, sed etiam lectione indignissima " judicat.

22° In inventione S^{tæ} Crucis (fol. 71^{v}-74^{v}).

Narratio edita apud Mombritium, tom. I.

23° Passio SS. Alexandri, Eventi, Theodoli. Quod est quinta nonas Maii (fol. 74^{v}-79^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 3 Maii, tom. I, p. 371 sqq. — Fol. 77^{v} in margine paucis narratum est martyrium S. Hermetis; de quo etiam fit mentio fol. 75^{r} in margine superiore.

24° Passio SS. Nerei et Achillei (fol. 79^{r}-84^{r}).

Edita ibid., ad d. 12 Maii, tom. III, p. 6 sqq.

25° Passio SS. Marcellini et Petri (fol. 84^{r}-86^{r}).

Vid. supra, p. 35, 24°.

26° Passio SS. Primi et Feliciani (fol. 86^{r}-89^{r}).

Vid. supra, tom. I, p. 10, 37°.

27° Passio S. Viti martyris. Quæ est XVII kal. Julii (fol. 89^{r}-92^{v}).

Edita apud Mombritium, tom. II; sed in cod. multæ sunt lect. var.

28° Passio S. Nazarii (fol. 93^{r}-95^{r}).

Edita in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 302 sqq.

29° Passio SS. Joannis et Pauli martyrum (fol. 95r-96r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 26 Junii, tom. V, pp. 159, 160. In cod. omm. num. 1 ac num. 6 præter primam phrasim.

30° Passio SS. Processi et Martiniani (fol. 96r-97v).

Edita ibid., ad d. 2 Julii, tom. I, pp. 303, 304.

31° Passio VII fratrum Machabæorum cum matre sua (fol. 97v-98r).

Inc. *Tempore illo quo Judeorum gens et regnum a pontificibus et regibus constitutum gentiles eis reges dominabantur propter peccatum...*

32° Passio S. Apollinaris martyris qui fuit discipulus S. Petri (fol. 98r-102v).

Vide supra, p. 36, 29°.

33° In exaltatione Stæ Crucis (fol. 102v-104v).

Edita apud Mombritium, tom. I.

34° Passio SS. Simplicii, Faustini et Beatricis (fol. 105r-105v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Julii, tom. VII, p. 36.

35° Passio SS. Abdon et Sennen (fol. 105v-106v).

Edita ibid., ad d. 30 Julii, tom. VII, pp. 137, 138. Initium Passionis paululum immutatum est.

36° Passio S. Stephani papæ. Quod est IIII nonas Augusti (fol. 106v-111r).

Vid. supra, p. 326, 2°.

37° Inventio S. Stephani prothomartyris, Gamalielis, Nichodemi et Abibon (fol. 111r-114r).

Edita apud Surium ad d. 3 Aug.

38° Passio S. Donati. Quod est VII idus Augusti (fol. 114r-118v).

Vide supra, p. 326, 7°.

39° Passio S. Ciriaci et sociorum ejus (fol. 118v-122r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Jan., tom. II, p. 5 sqq.

40° Passio S. Ypoliti martyris et sociorum ejus (fol. 122r-124r).

Edita apud Mombritium, tom. II.

41° Passio S. Simphoriani martyris (fol. 124r-126r).

Vide supra, p. 327, 16°.

42° Passio SS. Timothei et Apollinaris. Quod est x kal. Septembris (fol. 126^r-127^r).

Vid. ibid., 17°. Cfr. *Annuaire de la Bibliothèque royale de Belgique*, 1845, p. 265. — Fol. 127^v in initio ammanuensis incepit iterum rescribere Passionem S. Alexandri papæ.

43° In decollatione S. Joannis Baptistæ (fol. 127^v-128^r).

Inc. *Beatus igitur Johannes Baptista dum prædicaret Judæos, præcipiebat eis bonorum operum studium dare, justitiam inter se invicem custodire...*

44° Passio S. Marcelli martyris Cabilonensis (fol. 128^r-129^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 4 Sept., tom. II, p. 199 sqq. Cod. convenit cum cod. qui nuncupatur *Fuldensis*.

45° Passio beati Gorgonii martyris una cum sociis suis numero XL qui in Sebastia civitate sub Licinio * imperatore VII + idus Martii * id est die nono + martyrio consummati sunt. Quorum nomina hæc sunt : beatus Gorgonius martyr, Candidus, Cyrionus, Domitianus, Eunoicus, Sisinnius, Eraclius, Alexander, Johannes, Claudius, Athanasius, Valentius, Elianus, Melitus, Hæcdictius, Achayus, Vibianus, Elianus, Theodolus, Cyrillus, Flavius, Severianus, Valerius, Chudionis, Sacerdonis, Priscius, Euticius, Juvenalis, Filoctimonus, Aethius, Micallus, Lisimacus, Theophilus, Euticius, Xanthius, Aggius, Leontius, Hisitius, Gagius, Basilidis. Hi omnes simul XL passi sunt temporibus Licinii imperatoris et Agricolai præsidis et Lisiæ ducis (fol. 129^v-132^v).

* *man. pr.* Licio
+ *man. pr.* v
* *man. pr.* septembris.
+ *man. pr.* octavo.

Passio de qua actum est in *Anal. Boll.*, tom. V, p. 356.

46° Passio S. Theodardi episcopi (fol. 132^v-135^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 17 Sept., tom. V, p. 588 sqq. Finis Passionis descriptus est in membranula adjecta nec ullo numero signata.

47° Passio S. Adriani martyris. Quod est VI^{to} idus Septembris (fol. 136^r-143^v).

Edita apud Mombritium, tom. I.

48° Passio S. Lantberti martyris atque pontificis (1) (fol. 143^r-149^v).

Vita auctore Godeschalco, qualis edita est apud Chapeaville atque inde apud

(1) Manus recentiores duæ in marg. sup. scripserunt : *Passio sancti Lanberti*

Surium, ad d. 17 septembris. Fol. 149v ultima pars vitæ multo, ut videtur, usu partim deleta, aliquot etiam locis rescripta est.

49° Passio S. Laurentii archidiaconi. Quod est III idus Augusti (fol. 150r-153v).

Edita apud Mombritium, tom. II.

50° Passio S. Xysti papæ et martyris (fol. 153v-155v).

Edita ibid.

51° Hymnus de sancto Laurentio (fol. 156r).

Inc. *En martyris Laurentii armata pugnavit fides. Nam morte mortem diluit ac semet impendit sibi.*

52° Alius Hymnus (fol. 156r).

Inc. *Apostolorum supparem Laurentium archidiaconem pari corona martyrum romana sacravit fides.*

53° Passio S. Laurentii levitæ et martyris, Aurelio Prudentio auctore (fol. 156v-160r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Aug., tom. II, p. 512 sqq.

54° Passio SS. Johannis et Pauli et Gallicani (fol. 160r-162v).

Vid. supra, p. 217, 12°.

55° Passio S. Gereonis et sociorum ejus (fol. 162v-165r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Oct., tom. V, p. 36 sqq. In cod. desinit *pulchritudine fulciretur* (num. 20, lin. 5); deinde pauca adjecit manus recentior, scilicet sequentia usque ad *adesse non dubitat* (num. 22 med.).

56° Vita S. Ægidii abbatis et confessoris (fol. 165v-169v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Sept., tom. I, p. 299 sqq.; in cod. Vitæ adjectæ sunt annuntiatio edita supra, p. 200, 18°, et collecta edita supra, p. 329, 28°.

57° Sermo in natale S. Lamberti (fol. 169v-171v).

Incipit. *Quoniam infidelibus omne, quod usquam est justitiæ, sordet, qui in Christo spem suam ponunt solis fidelibus patet quod qui in laboriosa hac et evidentissime facili vita plurimum pro Deo desudat apud justum judicem frugem retributionis sine fine mansuræ inveniet.*

58° Vita vel actus S. Lantberti episcopi et martyris

martiris, ‖ *quam compilavit Godescalcus qui primus scripsit, ex cujus scriptis omnes alii fundamentum sumpserunt.*

Christi, qui necatus est XVI Kal. Octobris (1) (fol. 171^{v}-177^{v}).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 17 Sept., tom. V, p. 581 sqq.

59° [Passio S. Mauritii et sociorum ejus] (fol. 177^{v}-181^{r}).

Edita apud Surium, ad d. 22 Sept.

60° Passio SS. Cosmæ et Damiani (fol. 181^{r}-184^{v}).

Vide supra, p. 330, 46°.

61° Passio S. Leodegarii episcopi et martyris. Quæ est VI nonas Octobris (fol. 184^{v}-198^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Oct., tom. I, p. 463 sqq.

62° Passio SS. Dionisii, Rustici et Eleutherii (fol. 198^{v}-211^{r}).

Edita apud Surium, ad d. 9 Oct.

63° Passio S. Calixti papæ et martyris (fol. 211^{r}-213^{r}).

Vid. supra, p. 6, 37°.

64° Passio S. Quintini martyris (fol. 213^{r}-215^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 31 Oct., tom. XIII, p. 781 sqq., num. 1-13; in cod. præpositus est prol. edit. ibid., p. 783, ann. *b*.

65° Inventio corporis ejusdem martyris (fol. 215^{v}-216^{r}).

Edita ibid,, pp. 785, 786, num. 14-19.

66° Quomodo qualiterve beato Elegio jam dicti sancti ostensum est corpus (fol. 216^{r}-217^{r}).

Vid. supra, p. 8, 56°.

67° Descriptio beati Foillani martyris primum rusticano stylo composita, postea a quodam fratre paulo exarata (217^{r}-219^{r}).

Edita ex hoc cod. in *Act. SS.*, ad d. 30 Oct., tom. XIII, p. 383 sqq.

68° Passio IIII coronatorum (fol. 219^{r}-222^{v}).

Edita apud Mombritium, tom. I.

69° Passio S. Theodori martyris. Quæ est V idus Novembris (fol. 222^{v}-224^{v}).

Edita ibid., tom. II.

(1) Fol. 173^{r} in marg. sup. man. rec. scripsit: *Quam composuit domnus Stephanus Leodiensis episcopus qui composuit etiam cantum de ipso et de sancta Trinitate.*

70° Passio S. Clementis martyris atque pontificis quæ est VIII kalendas Decembris (fol. 224v-227r).

Edita ibid., tom. I.

71° Miracula ejusdem (fol. 227r-228r).

Edita ibid., continuo post Passionem. In cod. alterum miraculum scriptum est in margine.

72° Passio S. Chrysogoni (fol. 228r-229v).

Edita ibid., tom. I.

73° Passio SS. Chrisanti et Dariæ (fol. 229v-234v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Oct., tom. XI, p. 469 sqq.

74° Miracula sanctorum Thebeorum martyrum (fol. 234v-235r).

Miracula de quibus supra, p. 330, 44°, α et β, atque 45°, α.

75° [De beato Benedicto et miraculis ejus] (fol. 235v-236r).

Caput XXVI lib. I de Gestis Langobardorum auctore Paulo diacono (Migne, P, L., tom. XCV, p. 468-472. Post verba *apta tibi* in cod. add. quæ edit. ibid., p. 474 *(Libet me breviter-habitaculum habebat)*.

76° De sancto Frederico episcopo Leodiensi XXVII° anno Domini M°C°XX° (fol. 236v-238r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 27 Maii, tom. VI, p. 725 sqq.; cfr. *Mon. Germ.*, scr. tom. XII, p. 502.

77° De Alberto episcopo Leodiensi qui Remis martyrizatus fuit (fol. 238r-239v).

De hac beati martyris Passione cfr. *Mon. Germ.*, scr. tom. XXV, p. 136, 2. Passioni subnexæ sunt notæ quædam historicæ desumptæ ex Ægidio Aureævallensi.

CLIX. Codex signatus n° 9786-90.

Codex foliorum 238, formæ mediæ ($0^m,27 \times 0,20$), nitide una manu exaratus seculo XV. Hæsimus aliquando utrum huic codici daturi essemus locum in hac catalogi parte, quum potius inter liturgicos reponendus videatur. Etenim prior codicis pars est veluti corpus liturgicum de sanctis Thebæis, altera missale ad usum ecclesiæ Belisianæ (1), Leodiensis diœcesis. Attamen hocce loco reponemus

(1) *Bilsen,* pagus provinciæ Limburgensis in Belgio. Et codicem olim ad hanc

codicem, quia in priore parte nonnulla descripta sunt documenta hagiologica. De his ergo agetur, ceteris remissis ad hanc catalogi nostri partem in qua serie continua recensebuntur codices liturgici, qui inserviant ad certius statuendum de cultu qui sanctis adhibitus fuerit.

Igitur, ut supra diximus, codex olim fuit ecclesiæ Belisianæ. Inde transiisse videtur in bibliothecam Thomæ Philippi ab Alsatio, archiepiscopi Mechliniensis. Quod manifestum facit signum F. 730 in imo coopertura tergo impressum. Hocce enim modo notati sunt tam libri impressi quam codices manuscripti qui olim ad hanc insignem bibliothecam pertinuerunt.

Tandem animadvertatur codicem, quod sæpe in liturgicis obtinet, esse valde insignem, non solum litteris, quæ variis coloribus depictæ, ac ramusculis artificiose exornatæ, subinde gravi auro circumductæ sunt, sed et floridis sertis in aliquot foliorum marginibus perita manu delineatis. Præcipuum tamen codicis ornamentum præter imaginem crucifixi in capite canonis suppeditant tabulæ tres, eximium præstantis artificis opus, quibus nobis exhibetur martyrium sanctæ Thebæorum legionis, sancti Gereonis ac sanctorum Maurorum.

1° Versus sequentes habentur scripti aureis litteris in ingressu templi sancti Gereonis in felici civitate Coloniensi (fol. 1r).

Editi apud Gelenium, *De admiranda sacra et civili magnitudine Coloniæ Claudiæ Agrippinensis Augustæ,* lib. II, syntagma II, p. 270, numm. XII, XIII. — Addita est nota de tribus civitatibus quæ Thebeæ nuncupantur. Erravit scriba scribendo : *Hæc in Scholastica Historia in libro Genesis, De ortu regnorum.* Vid. Migne P. L., tom. CXCVIII, pp. 108, 109.

2° [Kalendarium] (fol. 6r-13v).

In hoc Kalendario singuli dies vacant his exceptis qui infra notantur :

XVIII KAL. FEBRUARII. Commemoratio Thebæorum. MIRACULUM LXXXVI (1).

ecclesiam pertinuisse, probatur non ex aliqua nota codici inscripta, sed ex sequentibus versibus fol. 1r descriptis :

Salve Maur	iti	martyr clarissime Chr	isti
Qui volito m		perpessus mira fu	
Fac nos inn		documentis quæ docu	
Ne sathanæ tr		fiamus pondere tr	
Sed magis acc		precor ad cœlum quod in	
Atque Deo d		queat alma BELISIA s	
Amen Maur		valeas throno pius	

(1) Remittunt hi numeri ad diversa codicis folia et quidem secundum notationem illorum antiquam, minio in capite foliorum depictam et a recentiore prorsus diversam.

Tertio idus Februarii. Castro Nantonensi sancti Severini ... (1).

Septimo Kal. Aprilis. Colonia Agrippia, in ecclesia sancti Augustini * memoria * cod.
sancti Constantii martyris. Qui fuit de societate sanctorum Maurorum unus (2). Auugustini.

Kal. Maii. Apud Agaunum civitate Sedunensi, passio sancti Sigismundi regis Burgundiorum qui ... (3). Missa ciii. miraculum xxxv.

Sexto nonas Maii. In Bunna, super litus Reni, territorio Coloniensi. Translatio sanctorum martyrum Cassii ... (4). Missa cii.

Pridie nonas Maii. Zabbe Iherosolimorum episcopi. Hic Mauritium et socios ejus baptizavit et in fide confortavit.

iiii idus Maii. De sanguine martyrum a terra erumpente beati Martini oratione. xcviii.

Septimo Kal. Julii. Colonia Agrippina, translatio beati Gregorii ducis * et socio- * cod.
rum ejus Maurorum, quæ per beatum Annonem, Coloniensium archiepiscopum, ducijs.
facta est post quingentos annos a passione eorumdem.

iiii nonas Julii. Commemoratio Thebæorum. Miraculum xcviii.

Pridie nonas Julii. Apud Viennam sancti Evoldi * episcopi et confessoris, cujus * cod.
industria delatæ sunt sanctorum martyrum Thebæorum reliquiæ ad urbem Eooldus.
Viennam.

Octavo idus Julii. Sancti Nortberti abbatis primi et fondatoris præmonstratensis, episcopi Meydeborgensis. Commemoratio Thebæorum. lxxix.

Quinto decimo Kal. Septembris. Romæ via Lavicana, sanctæ Helenæ matris Constantini imperatoris. Commemoratio Thebæorum. xlvii.

vii Kal. Septembris. Apud Victimilium castrum Italiæ, natale sancti Secundi martyris . . cxxxiii. (5). Civitate Pergamis Italiæ natale beati Alexandri militis et martyris qui et ipse unus extitit (6) ... fateretur, martyrium capitis abscisione sub Maximiano Augusto complevit. Quem matrona quædam nomine Grata in suo prædio sepelivit. lxxxv.

Quarto nonas Septembris. In territorio Constantiensi ad locum qui dicitur Aquæ Duræ natale sanctæ Verenæ (7).

Tertio idus Septembris. Turego in Almania sanctorum martyrum Felicis et Regulæ (8). Missa ciii. Lectio xcix.

x Kal. Octobris. In Galliis civitate Seduno loco Agauno, natale sanctorum
martyrum Thebæorum Mauritii, Exuperii signiferi *, Candidi, Victoris, Innocentii * cod.
et Vitalis cum sociis eorum sex milibus sexcentis sexaginta sex. Qui omnes sub signifer.
Maximiano Herculeo pro Christo capitibus truncati sunt et sua gloriosa passione mundum illustraverunt. Item ibidem, loco Agauno beati Victoris veterani ... (9). Missa xi. Sequentia xii.

ix Kal. Octobris. Sequentia xiii.

viii Kal. Octobris. Sequentia xxx.

(1) *Martyrologium Usuardi*, Edit. Sollerii. — (2) Cfr. ibid., auct. Grev. — (3) Ibid., Edit. Lubeco-Col. — (4) Ibid., Edit. Lubeco-Col. — (5) Ibid., auct. Brux. — (6) Ibid., auct. Brux. — (7) Ibid., edit. Lubeco-Col. — (8) Ibid., Ultrajec. — (9) Ibid., editio Lubeco-Col.

VII KAL. OCTOBRIS. SEQUENTIA LXVII.

VI KAL. OCTOBRIS. SEQUENTIA XCIII.

V KAL. OCTOBRIS. SEQUENTIA XCVI.

IV KAL. OCTOBRIS. Octava præventa. MISSA. SEQUENTIA SICUT IN DIE.

II KAL. OCTOBRIS. In Galliis Castro Salodoro, quod est super Arulam fluvium, passio sanctorum martyrum Victoris et Urci ... excruciati ... copiosum cæsi... (1). C. Eodem die sancti Antonini martyris. C. SEQUENTIA LXXX.

IIII NONAS OCTOBRIS. Apud Treverim natale sanctorum martyrum Tyrsi ducis ... (2) XXXI et III.

VI IDUS OCTOBRIS. Civitate Agrippinensi quæ dicitur Colonia. Passio sancti Gereonis martyris, cognomento Malosi, cum aliis trecentis decem et octo; qui omnes ibidem pro Christo perempti sunt et in puteum magnum projecti. In Verona, quæ Bunna dicitur, sanctorum martyrum Cassii, Florentii, Malusii cum aliis sex, qui se christianos esse professi sunt; unde pro Christi nomine ibidem decollati sunt. Troya civitate, quæ Xanctis dicitur, sancti Victoris martyris et aliorum trecentorum triginta. Qui persecutione Maximiani tyranni, sicut omnes supradicti martyres, licet in diversis locis, uno tamen tempore et una charitate pro defensione fidei catholicæ et veritate veraque pietate colla patienter gladiis subdiderunt. Quorum corpora in locis palustribus submersa sunt. MISSA XXIIII. SEQUENTIA XXIIII.

IDIBUS OCTOBRIS. Apud Coloniam Agrippinam passio sanctorum maurorum (3).

XVII KAL. NOVEMBRIS. Commemoratio Thebæorum.

XVI KAL. NOVEMBRIS. Octava Gereonis. SICUT IN DIE. SEQUENTIA LXVIII.

TERTIO KAL. NOVEMBRIS. Troia civitate, quæ Xanctis dicitur translatio sancti Victoris martyris.

NONIS NOVEMBRIS. Translatio sanctorum martyrum Candidi et Victoris. XCV.

III IDUS NOVEMBRIS. Commemoratio Thebæorum. MIRACULUM XCVIII.

VIII KAL. DECEMBRIS. Colonia Agrippina translatio sancti Gereonis et sociorum ejus Thebæorum, qui a domino Frederico primo, Coloniensium archiepiscopo, et Rodulpho sancti Panthaleonis abbate facta est, anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo vicesimo primo. Item Colonia in ecclesia prædicti martyris sancti Gereonis commemoratio beati Gregorii et sociorum ejus martyrum. MIRACULUM LXXX. MISSA SICUT IN DIE.

VI KAL. DECEMBRIS. Commemoratio Thebæorum. CXXXIII.

3° [De Passione sanctorum Thebæorum] (fol. 45r-55v).

Fragmentum Passionis editæ apud Surium ad d. 22 Sept. Initio mutila incipit: *Requirunt itaque quid Maximianus Cæsar ira dictante mandasset...* In fine hæc sunt add. 1° miracula de quibus supra p. 330, 44° ac 45° α; 2° prodigiosa apparitio S. Mauritii qua monachus quidam regulæ suæ observantissimus ab interna tribu-

(1) *Usuardi mart.* — (2) Ibid., edit. Lubeco-Col. — (3) Ibid., edit. Lubeco-Col.

latione liberatus est; 3° ea quæ edita sunt in *Leg. Aur.*, p. 632, numm. 4, 5; 4° narratio diræ illius vindictæ quæ divinitus sumpta est de Udone Parthepolitano archiepiscopo, vid. *Act. SS.*, ad d. 22 Sept., tom. VI, p. 403, num. 260; 5° encomium Ambrosianum de sanctis martyribus edit. in *Leg. Aur.*, p. 631.

4° Passio S. Gereonis et sociorum ejus (fol. 58v-62r).

Passio auctore Helinando edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Oct., tom. V, p. 36 sqq.; in cod. prol. om.

5° Versus sculti in feretro S. Exuperii in abbatia Gemblacensi (fol. 62v).

In primo latere.

Egreditur Rhoma legio Thebaidis alma :
Hanc Marcellianus confirmat papa beatus;
Quæ baptizata prius est a præsule sancto
Hierusalem, ficta postponens omnia Christo.
Cæsaris ad jussum tendit post Maximianum.

In secundo latere.

Exuperant Alpes jam Gallica rura petentes,
Maximianus agit, sua thure colant sacra sancti.
Cæsar ut accepit sanctos ad cuncta reniti,
Accendit rabiem, cunctam quærit legionem;
Sors decimos sorbet, monet, armat signifer omnes.
Vescitur atra cohors; victor cadit ultimus heros
Sustollunt Angli sanctos super ethera cæli.

In tertio latere.

Artificem trux pœna rapit, paralytica surgit,
Flens genitrix raptum lætatur psallere natum.
Pignora sanctorum stagni tumida æquora sternunt.

In quarto latere; et dirigitur hic sermo ad martyres.

Thebæi proceres clari per secula, testes
Mactat sacrilegus gladio quos Maximianus;
Vestra frequentantem defendite munia plebem.

In fine quarti lateris et dirigitur sermo ad conventum.

Plebs pia sanctorum votivum suscipe donum,
Quo tua sacra misach condens te munerat abbas
Commissis veniam cujus deposce benignam.

6° Epytaphium cujusdam sancti ex legione Thebæa in majori ecclesia Bonnensi (fol. 62v).

Hæc socium sacræ me claudit petra cohortis,
Quos Agrippinæ vasta Thebæa dedit.

7° Legenda S. Mauritii, emeriti militis Christi et ducis celestis exercitus Thebæorum (fol. 63r-67r).

Inc.

Postquam Salvator mundi de virgine nasci
Dignatus, nostri se corporis induit artus,
Evolvit centum bis cursus temporis annos
Cum decies octo septemque monarchia regni
Rhomani donata fuit Diocletiano

Des.

O felix, tibi jam placeat meminisse tuorum,
Qui sunt devoti tibi sicut ego; memor ergo
Sis Reyneri (1), cui de floribus ex paradiso
Mittas cum micis, quæ de mensa dominorum
Infra cadunt, addas mustum quod inebriat ipsos
Ut sibi nil sapiat nisi Christus, atque in odore
Currat aggaudens, ejus ructet bona verba
Et mens plena quoque dulcore, Jesu sic amore
Æstuet intus, membra Jesum sua singula laudent.
Et post hanc vitam quod spe tenet, hic habeat re,
Lætetur semper cum sanctis omnibus. Amen.

8° Galterius de Castellione in quinto Alexandreidos allusio (fol. 67r).

Vide Migne, P. L., tom. CCIX, p. 481, vers. 31 sqq.

9° Ex martyrologio metrico magistri Henrici Yserenlon (fol. 67r-67v).

Idola Cesar arat, in Amandum Maximianus
Tristia bella parat, non Gallia, non Helianus
Mentis Yperbolicæ stragem metuit regionis,
Cesar magnifice turbam format legionis,
Fortis ut invadat legio bene compositorum.
Hæc sex milia dat pariter sexcenta virorum
Sexaginta sex, jutrix veniunt ex oriente.
Huic est altera lex, nam Cesare phana colente
Preterit Octodorum * legio, pausans in agone,
Se recreat nemorum sub divo numine fanno,
Cesareo jussu gladii decimatur in ore
Cujus percussu fluitant nova prata cruore,
Octodorum repetit pars altera, parte perempta,
Quam miser irretit Cesar, vita sibi dempta.

* *cod.* Octodarum.

(1) Innotescit ergo nomen auctoris; forsan est Reinerus Leodiensis, monachus Sanlaurentianus.

Sanguine purpureo sparsim croceantur ut arva,
Federe funereo sunt magnis subdita parva,
Mauriti qui das turbæ solamina pressæ,
Non pie formidas legioni martyr inesse.

10° [De reliquiis sanctorum Thebæorum sancto Norberto concessis] (fol. 92r).

Vid. *Act. SS.* ad d. 10 Oct., tom. V, p. 55, num. 50.

11° Inventio S. Gereonis (fol. 93r-96r).

Epistola Rudolphi Trudonopolitani abbatis edita ibid., p. 58 sqq.

12° Passio sanctorum Maurorum (fol. 96v-98r).

Inc. *Temporibus Diocletiani et Maximiani imperatorum de Mauritania...* Major Passionis pars constat narratione inventionis eorumdem a S. Annone Coloniensi edit. in *Act. SS.,* ad d. 14 Oct., tom. VII, p. 14, num. 15-17.

13° Passio S. Alexandri militis, qui fuit unus ex legione Thebæorum (fol. 98r-98v).

Vid. Martyrologium Adonis ad d. 26 Aug.

14° [Miraculum] (fol. 98v).

Narratio desumpta ex Vita S. Mauri edit. in *Act. SS.*, ad d. 15 Jan., tom. I, p. 1039 sqq.; scilicet numm. 25, 26. — Fol. 108r litteris rubricatis descripta sunt quæ leguntur apud Vincentium Bellovacensem *Speculum Hist.* lib. xxv, cap. 93 de ense ac vexillo S. Mauritii a rege Franciæ Hugone regi Angliæ collatis.

15° De sanguine martyrum a terra erumpente beati Martini oratione (fol. 110v-111v).

De hoc miraculo vid. *Anal. Boll.*, tom. III, p. 223, lin. 6 *(Dum beatus Martinus).* Cod. desinit : *fideliter adstipulantibus* (ibid., p. 224, lin. 9).

16° Passio sanctorum Felicis et sororis suæ Regulæ martyrum (fol. 111v-112v).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 11 Sept., tom. III, pp. 772, 773.

17° De sancto Antonino martyre (fol. 112v-113r).

De hoc sancto martyre actum est in *Act. SS.,* ad d. 4 Julii, tom. II, p. 7 sqq.

18° De sanctis Victoris et Urso martyre (fol. 113r).

Vid. Adonem ad d. 30 Sept.

19° De sanctis Maloso et Victore et sociis martyribus (fol. 113r).

Annuntiatio paulo longior iis de quibus fit mentio in *Act. SS.,* ad d. 10 Oct. tom. V, pp. 19, 20, num. 27.

20° Exemplum (fol. 113v-114r).

Enarratio vindictæ quæ sumpta est de clerico, in partibus Burgundiæ degente,

superbo nimis ac tumido qui ob usurpata bona S. Mauritii, conflicturus in acie miserrimam mortem obivit.

21° Exemplum (fol. 114v-115r).

Inc. *In extremis Belgarum finibus juxta Britannici litus oceani oppidum est barbaro prorsus vocabulo Zierickzee nuncupatum, totius provinciæ, quam paulo mitius Zelandiam vocant, quasi arx quædam et caput...* Narratur quomodo mortuus natus ad memoriam S. Mauritii vita donatus fuerit.

22° In Rationali divinorum de sancto Mauritio et sociis ejus (fol. 115r).

Vid. Durandum *Rationale divinorum officiorum*, lib. VII, cap. 31 (1).

23° Vexillum S. Mauritii in urbe Madeburga reservatur, de qua in quadam chronica ita habetur (fol. 141v).

Paucis commemoratur Parthenopoli in ecclesia S. Mauritii asservari corpus S. Mauritii hydriam unam ex Cana Galilææ ac beati Mauritii vexillum quod annis singulis ostenditur. — Inde (fol. 141v-142r) descripta sunt hæc : 1° brevis notitia SS. Mauritii, Exuperii, Candidi ac Victoris ; 2° brevior narratio de adventu reliquiarum sanctorum Thebæorum in civitatem Autisiodorensem (vid. supra); 3° brevissima notitia S. Alexandri (vid. supra).

24° De sancto Secundo (fol. 145r).

Brevis notitia sanctissimi martyris de quo actum est in *Act. SS.*, ad d. 26 Aug., tom. V, p. 792 sqq. ; in cod. præmissum est de etymologia nominis.

25° De sancto Conrado episcopo (fol. 145r-145v).

Vita haud multum diversa ab ea quæ edita est in *Leg. Aur.*, pp. 863, 864.

26° De sancto Mauritio et sociis ejus. Etymo nominis (fol. 146v).

Desumptum ex *Leg. Aur.*

(1) A fol. 116r ad 141v descripti sunt sermones plures qui legi possunt in festivitate sancti Mauritii et sociorum ejus scilicet : 1° *Sermones venerabilis doctoris fratris Jordani Ordinis heremitarum pii patris nostri sancti Augustini de sancto Mauritio et sociis ejusdem ;* 2° *sermo unicus venerabilis doctoris Meffret de eisdem ;* 3° *sermones venerabilis doctoris Jacobi de Voragine de eisdem ;* 4° *sermones venerabilis doctoris pœnitentiarii papæ domni Martini de sanctissimis martyribus Mauritio et sociis ejus* ; 5° *sermo Alberti magni de sanctis Mauritio et sociis ejus.*

CLX. Codex signatus n° 9810-14.

Hic codex constat codicibus duobus inter se bene distinctis : priorem misera sua negligentia compactor ita divisit ut inter folia 178 ac 179 alterum codicem inseruerit. Prior codex, foliorum 198, formæ mediæ (0m,289 × 0,212; a fol. 179 latitudo inter 0,18 ac 0,19 continetur), lineis plenis partim stylo ferreo, partim graphide ductis exaratus est triplici manu quarum duæ ad sec. XII, tertia ad sec. XIII pertinet. Singula folia jam pridem numeris signata fuere exceptis tamen tribus primis, quæ notavimus I, II, III. Tituli subinde rubricati sunt itemque litteræ majores, quæ etiam aliquando subornatæ sunt.

Posterior codex, foliorum 13, formæ mediæ (0m,289 × 0,212), binis columnis, lineis graphide ductis, nitide exaratus sec. XIV.

Codex fuit olim S. Laurentii apud Leodium; quod patet tum ex manu quæ fol. Ir indicem contentorum sec. XV descripsit, tum ex catalogo librorum quem fol. 202 (seu ex antiqua notatione fol. 195) conscriptum reperies hoc præposito titulo : *Nomina librorum sancti Laurentii in suburbio Leodii.*

1° [Vita S. Theobaldi] (fol. IIv-IIIr).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 30 Junii, tom. V, p. 592 sqq.; in cod. omm. prol. ac numm. 14, 15.

2° Vita Stæ Genovefæ virginis (fol. IIIv-7v).

Vid. supra, p. 62, 36°.

3° Passio Stæ Luciæ virginis et Auceiæ regis Persarum Kal. Julii (fol. 8r-8v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Junii, tom. V, pp. 13, 14.

4° Passio Stæ Margarethæ virginis. Quæ est VI idus Julii (fol. 8v-12v).

Edita apud Mombritium, tom. II.

5° Passio Stæ Cristinæ virginis. Quæ est VIIII Kal. Augusti (fol. 12v-19r).

Edita ibid., tom. I.

6° Passio SS. Rufinæ et Secundæ virginum (fol. 19r-20r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Julii, tom. III, pp. 30, 31.

7° Passio SS. martyrum Fidis et Caprasii (fol. 20r-22r).

Edita ibid., ad d. 20 Oct., tom. VIII, p. 823-825.

8° Passio Stæ Benedictæ virginis (fol. 22r-24v).

Edita ibid., ad d. 8 Oct., tom. IV, p. 219-222.

9° Passio SS. Luciæ et Geminiani martyrum (fol. 24^{v}-27^{v}).

Edita stylo hinc inde paululum mutato apud Mombritium, tom. II.

10° Passio S^{tæ} Justinæ virginis et Cypriani episcopi (fol. 27^{v}-30^{v}).

Pars I et III Passionis SS. Justini et Cypriani. Pars I edita est in *Act. SS.*, ad d. 26 Sept., tom. VII, p. 217 sqq.; pars II apud Martene, *Thesaurus novus,* tom. III, p. 1645 sqq.

11° Passio SS. Domitillæ, Theodoræ, Eufrosinæ et SS. Sulpicii et Serviliani (fol. 30^{v}-31^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 12 Maii, tom. III, pp. 12, 13, num. 21-25, in Passione SS. Nerei et Achillei; ad finem annexa sunt quædam de S. Cæsarii martyris præclara confessione ac Luxurii dira morte. Cfr. ibid., tom. I Nov., p. 106 sqq.

12° Passio S^{tæ} Barbaræ virginis (fol. 31^{v}-32^{v}).

Edita apud Zaccariam, *Dissertationes latinæ,* tom. I, p. 137-142.

13° Passio SS. virginum Maximæ, Donatillæ atque Secundæ. Quæ est III Kal. Augusti (fol. 32^{v}).

Edita ex Adone in *Act. SS.*, ad d. 30 Julii, tom. VII, p. 147.

14° Passio S^{tæ} Susannæ virginis (fol. 33^{r}-35^{v}).

Edita in *Act. SS.*, prior pars ad d. 18 Feb., tom. III, p. 61-64, posterior ad d. 11 Aug., tom. II, pp. 631, 632.

15° [Passio S^{tæ} Luciæ] (fol. 36^{r}-40^{r}).

Passio metrica, auctore Sigeberto Gemblacensi, de qua conf. Mabillon, *Annal. O. S. B.*, tom. IV, p. 373. Edita est Panormi a. 1758, opera et studio Joannis de Joanne in opusculo *Acta sincera S. Luciæ V. et M.*, p. 61-107. Sed in codice caret ultima parte, quæ est de translationibus; desinit in verba : *Ecclesiæque fides honore* (de Joanne, p. 100). Hinc nominatim absunt sex strophæ editæ ap. Mabillon, l. c., et ex eo ap. Migne (P. L., tom. CLX, p. 831).

16° Passio SS. Seraphiæ et Sabinæ (fol. 40^{v}-42^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Aug., tom. VI, p. 500-504. Cod. incipit : *Tempore Adriani imperatoris cum dies metuendus.*

17° Passio S^{tæ} Martinæ virginis et martyris Kal. Januarii (fol. 42^{v}-44^{v}).

Compendium Passionis editæ ibid., ad d. 1 Jan., tom. I, p. 11 sqq.

18° Passio S^{tæ} Macræ virginis et martyris. Quæ est VIII idus Januarii (fol. 44^{v}-45^{r}).

Edita ibid., ad d. 6 Jan., tom. I, pp. 325, 326. In cod. annexa est translatio edita ibid., p. 326, numm. 7, 8.

19° Passio S^tæ^ Martianæ virginis et martyris v idus Januarii (fol. 45^r^-45^v^).

Edita ibid., p. 569. *Inc.: Erat quædam virgo in diebus Licinii imperatoris... civis Ceuritani municipii ... ante arcus qui apodemi vocantur (sunt namque proximi Positanæ)...*

20° Passio S^tæ^ Dorotheæ virginis et martyris viii idus Feb. (fol. 45^v^-47^r^).

Edita ibid., ad d. 6 Feb., tom. I, p. 773-776.

21° Passio sanctarum virginum Justæ et Rufinæ, xiiii Kal. Augusti (fol. 47^r^-47^v^).

Passio paulo amplior Passione edita ibid., ad d. 19 Julii, tom. IV, p. 585, numm. 10, 11.

22° Passio SS. Victoriæ et Anatholiæ (fol. 47^v^).

Breve compendium Passionis editæ in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 157 sqq.

23° Passio S^tæ^ Faustæ virginis xii Kal. Octobris (fol. 47^v^-48^v^).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Sept., tom. VI, p. 144-146.

24° Passio S^tæ^ Simphorosæ et mariti ejus Getulii et septem filiorum (fol. 48^v^-49^v^).

Constat Passione S. Getulii edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Junii, tom. II, pp. 265, 266 et Passione sanctæ Symphorosæ edita ibid., ad d. 18 Julii, tom. IV, pp. 358, 359.

25° Passio S^tæ^ Julittæ martyris et Cyrici filii ejus. Quæ est xvi Kal. Julii (fol. 49^v^-51^v^).

Passio stylo sed non rebus diversa ab ea quæ edita est ibid., ad d. 16 Junii, tom. III, p. 28 sqq.

36° Passio SS. martyrum Nathaliæ et Liliosæ, Aurelii, Georgii et Felicis, vi Kal. Septembris (fol. 51^v^-53^v^).

Contracta ex Passione edita ibid., ad d. 27 Julii, tom. VI, p. 451 sqq.

27° Passio S^tæ^ Caterinæ virginis et martyris, vii Kl. Decembris (fol. 53^v^-56^r^).

Translatio est ex græco (v. infra citata): generatim quidem, substantiam rerum quod spectat, multum accedens ad passionem editam apud Mombritium, tom. II, stylo tamen, ac etiam non raro sententiis ipsis ab illa discrepans; at multo magis recedit tum ab editione Suriana ex Metaphraste (ad d. 25 Nov., p. 528), tum a textu *codicis Salmanticensis (V. Catal. codd. hag. bibl. reg. Brux.*, tom. II, p. 126), qui sæpe nobis occurrit. Sic incipit codex:

Regnante Maxentio Cæsare, Maximiani Augusti filio, qui cum Diocletiano multos pro fide Christi necaverat, erat ingens persecutio christianorum: adeo ut pæne totus mundus diversis idolorum erroribus repleretur, omnes-

que Dominum Deum creatorem cæli ac terræ ignorantes studiose creaturis ac simulacris deservirent. His temporibus quibus hæc gerebantur et sanctæ romanæ sedis pontificatum beatus Silvester agebat, ipse prædictus Maxentius volens augere idolorum culturam, quam Diocletianus et Maximianus genitor ejus cœperant, propter hoc in omni loco ditionis suæ epistolas destinare studuit...

Sequenti modo refertur mors sanctæ virginis :

[Iniquissimus Cæsar] tandem aliquando sententiam dedit ut virgo Domini gladio vitam finiret. Lictores autem ministri scelerum illam accipientes eduxerunt extra civitatem, ut jussa Cæsaris adimplerent. Videntes autem populi atque mulieres quod duceretur ad mortem, commoti sunt omnes et fletu largissimo super eam plorabant. Igitur dum venisset ad locum in quo decollanda erat, rogavit spiculatores ut licentiam orandi acciperet; illi autem paruerunt illius sancto desiderio. Accepta itaque orandi facultate, sanctissima virgo expandit manus suas ad cælum et his verbis Dominum exorare cœpit : *Domine,* inquiens, *Jesu Christe, creator cælorum et angelorum, qui humano genere condolens, ut eum de laqueo Satanæ eriperes, de cælis venire dignatus es, servile corpus assumere, crucem subire et mortis gustare amaritudinem, exaudi me famulam tuam ad te clamantem et de tua misericordia præsumentem, ut animam meam suscipiant angeli tui et deducant in requiem sanctam quam præparasti diligentibus nomen tuum. Interea et hoc peto, Domine Deus, ut omnes fideles qui in sancti nominis tui honore et gloria nostra quæsierint patrocinia, de quacumque petitione clamaverint ad te, exaudias vocem illorum et esto eis auxilium in perpetuum, quoniam tu es Dominus Deus benedictus in sæcula seculorum.* Cumque finisset orationem, vox de cælo facta est dicens ad eam : *Exaudita est oratio tua. Veni, gloriosa, veni, sanctissima virgo; accipe præmium certaminis tui inter choros angelorum, quoniam ecce assunt præstolantes adventum tuum.* Hoc cum audisset beata Caterina, læta effecta de cælesti promissione, surrexit ab oratione. Satellites autem accipientes eam, secundum Cæsaris jussionem decollaverunt eam vicesimo quinto die mensis novembris. Statimque de corpore ejus lac pro sanguine ubertim defluxit in testimonium virginei pudoris ad laudem Dei omnipotentis. Angeli quoque gloriosæ martyris corpus accipientes exanime, in montem Synai detulerunt, ubi per eam innumera divina virtus operari non desinit miracula. Siquidem de sepulcro ejus fons olei indeficienter manare videtur, quo peruncta debilium corpora optatæ sospitatis reportant gaudia.

Post hæc pergit codex ,

Finito autem illius sanctissimo certamine, in fide sanctæ Trinitatis et christianæ religionis amore ego Athanasius scriptor, cum essem famulus ipsius sanctæ martyris et virginis dominæ meæ Caterinæ, hanc passionem ejus seriatim cum omni diligentia scribere curavi ad honorem illius sanctissimæ et posterorum fidelium memoriam profuturam.

(Hæc reperiuntur etiam in *Actis Sanctorum Hiberniæ*, p. 734, ubi præterea asseritur Athanasium hunc postea fuisse Alexandriæ civitatis episcopum.)

Tum in codice nostro additur :

Hanc passionem græco primum eloquio scriptam a præfato Athanasio, a variis translatoribus postmodum constat fuisse vitiatam, adeo ut legi in cœtu fidelium minime posset. Ego Arechis fidelium fratrum devotione compulsus atque amore ipsius sanctissimæ martyris; de inepto famine elevans, magis sensum quam verba sequens, incomposita resecans et necessaria addens, plenissime latinis auribus tradere curavi ad laudem et gloriam nominis Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

(De scriptore cui nomen Arechis fuerit, conf. *Anal. Boll.*, tom. I, pp. 76, 78.)

28° Vita et miracula S^tæ Brigidæ virginis, quæ multis miraculis in mundo resplenduit (fol. 56r-60v).

Compendium Vitæ editæ in *Act. SS.*, ad d. 1 Feb., tom. I, p. 118-134.

29° [De Sta Scholastica] (fol. 60v-61v).

Vita auctore S. Gregorio edita ibid., ad d. 10 Feb., tom. II, pp. 401, 402. — Vitæ vero annectitur locus de translatione beatæ virginis in Galliam, scilicet num. 10 relationis auctore Adalberto editæ ibid., ad d. 21 Martii, tom. III, p. 302-305, et quidem sermone prolixiori.

30° [De Sta Reparata] (fol. 62r).

Annuntiatio haud multum absimilis ab ea quæ edita est ibid., ad d. 8 Oct., tom. IV, p. 24, num. 2; in cod. oratiuncula ad beatam martyrem additur.

31° Passio S^tæ Agnetis virginis, cujus depositio est XII Kal. Februarii (fol. 62r-65v).

Vide supra, p. 33, 7°.

32° Vita beatæ Aldegundis virginis. Quæ est III Kal. Februarii (fol. 66r-71v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 30 Jan., tom. II, p. 1035-1040. In cod. num. 16 descriptus est uti refertur in annot. *a;* num. 25 incip. : *Igitur tertio anno egressionis ejus a corpore...;* num. 27 ita de ejus translatione fit mentio : *in quo et multo latuit tempore, quoad Christo donante translatum est corpus ejus in municipium Malbodium.*

33° Vita beatæ Waldedrudis. Quæ est III nonas Februarii (fol. 71v-77r).

Edita ibid., ad d. 9 Aprilis, tom. I, p. 837-841.

34° Passio S^tæ Agathæ virginis et martyris (fol. 77r-79v).

Vide supra, p. 34, 12°.

35° Passio S^{tæ} Julianæ virginis quæ est XIIII Kal. Martias (fol. 79^{v}-82^{v}).

Contracta ex Passione edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Feb., tom. II, p. 873 sqq.

36° Vita S^{tæ} Aldedrudis (fol. 82^{v}-85^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Feb., tom. III, pp. 510, 511; sed sub finem quædam adduntur, nescio unde petita, quæ vide in appendice.

37° Vita S^{tæ} Gertrudis virginis cujus depositio est XVI Kal. Aprilis (fol. 85^{r}-91^{r}).

Edita ibid., ad d. 17 Martii, tom. II, p. 594-599.

Num. 19 sub fin. post *fortasse videatur,* ita cod.: *Qui scripsit Deum omnipotentem adhibet testem quoniam oculis suis vidit et hortatu eorum qui simul viderunt chartulæ tradidit.* — His additur miraculum enarratum p. 599, Append. I, num. 1; in fine addita est temporis notatio quæ in impressis initio num. 1 ponitur. Tandem virginis encomium additur.

38° Passio S^{tæ} Theodosiæ virginis et martyris. Quæ est nonas Aprilis (fol. 91^{v}-97^{v}).

Edit. supra, tom. I, p. 164 sqq.; in cod. subinde quædam omm.

39° De Sta Felicitate cum septem filiis (fol. 97^{v}-98^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Julii, tom. III, pp. 12, 13.

40° Passio S^{tæ} Theodotæ cum tribus filiis (fol. 98^{v}-102^{r}).

Edita in *Bibliotheca Casinensi,* tom. III, Florilegii p. 179-183, sub hoc titulo: *Passio S. Anastasiæ et sociorum martyrum.*

41° Passio S^{tæ} Anastasiæ (fol. 102^{r}-103^{r}).

Prosecutio ejusdem Passionis, pp. 183, 184.

42° Passio sanctarum virginum Agapis, Chyoniæ et Hyrenis (fol. 103^{r}-104^{v}).

Pars posterior Passionis editæ apud Mombritium, tom. I, sub hoc titulo: *Passio sanctorum Chrysogoni, Anastasiæ, Agapes, Chrysoniæ, Irenes et Theodotæ.*

43° Passio S^{tæ} Columbæ virginis et martyris (fol. 104^{v}-105^{r}).

Passio proxime accedens ad eam quæ edita est apud Mombritium, tom. I.

44° Passio SS. Perpetuæ et Felicitatis (fol. 105^{r}-106^{r}).

Edita supra, tom. I, p. 158 sqq.

45° Vita sanctæ Dei genitricis Mariæ (fol. 106^{v}-110^{r}).

Dimidia pars evangelii pseudo-Matthæi, quod Tischendorf edidit (*Evangelia apocrypha,* Lipsiæ, 1853). Continetur scilicet in hoc codice ea pars quam Thilo jam vulgaverat (*Codex apocryphus Novi Testamenti,* tom. I, Lipsiæ, 1832,

p. 340-400), sive cap. I-XXV ap. Tischendorf (l. c., p. 53-87); nullus vero adest prologus, nullæ etiam litteræ prooemiales. Codicis lectio generatim accedit magis ad Thilonis textum.

46° Assumptio ejusdem sanctæ Dei genitricis (fol. 110r-111v).

Liber de transitu virginis Mariæ, sæpe editus sub ementito sancti Melitonis nomine (Migne, P. G., tom. V, p. 1231). Deest in codice prologus, seu cap. I; offenduntur autem maculæ quæ acriter a Beda reprehenduntur in *Retractatione in Act. apostol.*, cap. VIII (Migne, P. L., tom. XCIII, p. 1014); scilicet, cap. II : *Secundo itaque anno postquam Christus devicta morte cælum conscenderat;* item cap. V : *Adfuit et Paulus cum eis, nuper ex circumcisione conversus, qui assumptus fuerat cum Barnaba in ministerium gentium.* — Cum jam initium Vitæ S. Mariæ Magdalenæ descripsisset amanuensis, animo habuit ad laudem Dei Genitricis Mariæ addere quædam miracula ejus intercessione patrata, ideoque inseruit membranam ceteris minorem ; in hac, præposito titulo : *Miracula ejusdem Dei Genitricis a Gregorio Turonensi episcopo edita,* exscripsit ea quæ edita sunt apud Migne, P. L., tom. LXXI, p. 712-717 seu ex lib. I *Miraculorum,* capp. IV, IX, X, XI.

47° Vita Stæ Mariæ Magdalenæ (fol. 111v-112v).

Edita apud Faillon, tom. II, p. 433 sqq. Sed inter prologum *Licet plerisque,* qui in cod. Vitæ præfixus est, ac initium *Post Dominicam,* ex sermone Odonis edito in *Act. SS.,* ad d. 22 Julii, tom. V, p. 218 sqq. positus est num. 171.

48° Translatio Stæ Mariæ Magdalenæ (fol. 112v-113v).

Narratio de qua in *Anal. Boll.,* tom. I, p. 516, 69°.

49° Vita Stæ Potentianæ virginis (fol. 113v-114r).

Vita de qua ibid., p. 510, 24°.

50° De conversione Stæ Afræ (114v-116v).

Edit. in *Act. SS.*, ad d. 5 Aug., tom. II, pp. 55, 56, num. 1-14.

51° De passione [ejusdem] (fol. 116v-118r).

Editum ibid., p. 58, num. 15-21. In fine add. quædam haud diversa ab his quæ edita sunt p. 59, annot. *m.*

52° Vita Stæ Madelbertæ gloriosæ virginis Christi (fol. 118r-120r).

Edita ibid., ad d. 7 Sept., tom. III, p. 109-111. Prologus de quo ibid., p. 106, num. 15, in cod. Vitæ præfixus est.

53° Passio Stæ Eufemiæ virginis, quæ est XVI Kal. Octobris (fol. 120r-124v).

Edita apud Mombritium, tom. I.

54° Passio Stæ Reparatæ (fol. 124v-125v).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 8 Oct., tom. IV, pp. 39, 40.

55° Conversio S^{tæ} Pelagiæ (fol. 125^{v}-129^{v}).

Edita ibid., ad d. 8 Oct., tom. IV, p. 261-266; exordium nonnullas præbet lect. var.

56° S^{tæ} Ceciliæ Vita, cujus solemnitas est x Kal. Decembris (fol. 129^{v}-134^{r}).

Edita apud Mombritium, tom. I. Abrumpitur narratio in his verbis: *eorum articulum revocemus* (p. 6, col. 2, lin. 4).

57° Passio S^{tæ} Ceciliæ cum Tiburtio et Valeriano (fol. 134^{r}-138^{r}).

Edita ibid., continuo post antecedentia.

58° Passio S^{tæ} Eulaliæ virginis (fol. 138^{r}-142^{r}).

Edita apud Florez, *España sagrada,* tom. XIII, p. 398-406.

59° Passio S^{tæ} Eugeniæ virginis quæ martyrizata est ipso die natalis Domini (fol. 142^{v}-147^{v}).

Vide supra, tom. I, p. 119, 64°.

60° Passio S^{tæ} Mariæ (fol. 147^{v}-150^{v}).

Edita ope hujus codicis in *Act. SS.,* ad d. 1 Nov., tom. I, p. 201 sqq.

61° Passio S^{tæ} Luciæ virginis. Quod est II idus Decembris (fol. 160^{v}-163^{r}).

Edita apud Surium ad d. 13 Decemb. In folio 162, quod descripta jam Passione interpositum fuit, legitur ista dissertatio de qua supra, p. 332, 9°.

62° Vita S^{tæ} Radegundis reginæ (fol. 163^{r}-168^{v}).

Vita auctore S. Venantio edita in *Act. SS.,* ad d. 13 Aug., tom. III, p. 67-74.

63° Passio SS. virginum Fidei, Spei, Caritatis et Sapientiæ (fol. 168^{v}-170^{v}).

Edita in *Legenda Aurea* (edit. Coloniensis 1483), foll. 443, 444.

64° De obitu Petronillæ et passione Feliculæ (fol. 170^{v}-171^{r}).

Edit. in *Act. SS.,* ad d. 12 Maii, tom. III, pp. 10, 11, num. 15-17.

65° De transitu beatæ virginis Praxedis mense Julio die vicesimo (fol. 171^{r}-171^{v}).

Epistola Pastoris presbyteri ad Thimotheum presbyterum urbis Romæ, edit. ibid., ad d. 19 Maii, tom. IV, p. 300, num. 5-8.

66° Sermo in festivitate beatissimæ societatis XI milium virginum (fol. 171^{v}-173^{v}).

Editus ibid., ad d. 21 Oct., tom. IX, pp. 154, 155. Probabiliter ope hujus cod. edidit Crombrachius hunc sermonem; cfr. ibid., p. 155, annot. *a*.

67° Passio S^{tæ} Teclæ virginis (fol. 173^{v}-176^{v}).

Edita apud Mombritium, tom. II.

68° De inventione capitis S^{ti} Joannis Baptistæ (fol. 176^{v}-178^{v}).

Editum in *Act. SS.*, ad d. 24 Junii, tom. IV, p. 716-718 et p. 724-728, seu num. 113-118 et num. 144-157. Ad finem scripta est :

Ammonitio ad populum, nempe ut memor sui finis declinet homo a malo et bonum operetur.

69° Passio S^{tæ} Catherinæ (fol. 179^{r}-191^{v}).

Edita in *Act. SS. Hiberniæ*, p. 681 sqq.; in cod. num. 42 om.

70° Passio sanctarum virginum undecim milium (fol. 192^{r}-192^{v} ac 203^{r}-208^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Oct., tom. IX, p. 157-163; om. ultima phrasis (*Passæ...*).

71° Revelatio Elizabeth de XI millibus virginibus et aliis inter eas passis (fol 193^{r}-199^{v}).

Edita ibid., p. 163-172; prologus om., et illa quæ num. 18 uncinis inclusa sunt (*Quoniam-neglecta sunt*).

Deinde in cod. (fol. 199^{v}-200^{v}) annexa sunt cap. IV-V, quæ edita sunt in libro *Revelationum SS. Virginum Hildegardis et Elizabethæ Schœnaugiensis* (Coloniæ 1638), pp. 211, 212.

72° Visio Elizabet quam vidit in Sconaugiensi cenobio de resurrectione beatæ Mariæ (fol. 200^{v}-201^{v}).

Edita ibid., in libro *Revelationum*, pp. 204, 205.

Appendix ad cod. 9810-14.

DE SANCTA ALDEDRUDE. (Cfr. supra, pag. 376, 36°.)

1. Videns quædam religiosa soror (1) venientem Dadonem, qui alio cognomine Audoenus vocatur, ad eam, jussit recitari vitam ejus coram se, veluti Sobnias abba de Nivialla monasterio fecit, virginis Christi Aldegundis; cupiens visionem dominæ suæ narrare, sed minime audebat. Orationi se succubuit postulans, cum lacrimis dicens : *Domine Jesu Christe, qui sedes super Cherubim, et judicas æquitatem, discerne causam meam.* Post dies non plures vidit in visione noctis venientem

(1) Cfr. *Act. SS.*, tom. III Feb., p. 510, num. 10 init.

domnam Waldedrudem matrem ejus et dixit : *Ubi est dilecta mea Aldedrudis? Dic ei quoniam sancta Aldegundis jubet ut veniat ad eam, et accipiat coronam, quam ei præparavit Dominus Jesus Christus.* Et secundum consuetudinem vigilias custodiebat, sedens ad prunas in habitaculo sacratæ virginis Aldegundis. Vidit ingredi magnum splendorem * per ostium oratorii, ubi sancta virgo migraverat a seculo; et introivit in lectum, ubi domna Aldedrudis fessa sopore jacebat. Territa soror nimio splendore ceteris innotuit miraculum sororibus; sed hoc sacratæ virgini non ausa fuit indicare.

* *cod.* spendorem *et sic deinceps.*

2. Post aliquot tempus vidit in visu beata virgo Aldedrudis quasi staret in porticu oratorii; venit vir ad eam angelicum habens introitum, et interrogavit quali ætate resurrecturi essent homines in die judicii. At illa dixit : *Quid hoc interrogas? an nescis quia omnis homo in triginta annorum ætate resurget in die judicii?* Hæc dicens audivit sonitum quasi magni tonitrui, simulque videbat magnum splendorem fulgentem in aere continentem se in uno volumine; et introiens per ostium sedit super eam. Et cum hoc mirasset stupefacta quid hoc esset, fecit signum crucis in fronte, et dixit : *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Signo peracto crucis, introivit in os ejus; quod usque ad interiora ventris pervenit; statimque expergefacta * a visione surrexit, sensitque volumen illud spirituale in ventre suo, vocavitque puellam, mox interrogans qua hora diei esset; et dixit ei : *Vade ad horologium et vide.* Quæ festinans renuntiavit diei horam esse quintam. A plenitudine Spiritus obumbratam se senserat; jam melliflua pabula Christi prægustata viscera ejus repleverant suavissimis epulis. Expergefacta surgens a stratu suo, flagrabat domus omnibus odoramentis aromatum plena, ita ut quæ aderant mirarentur tantæ suavitatis odorem. Gestum fuit hoc in ipso oratorio, in quo sancta Aldegundis virgo Christi immaculatum Deo reddidit spiritum. Illa commotis visceribus, præ gaudio psallebat dicens : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine; super mel et favum ori meo.*

* *cod.* experta.

3. Insequenti vero nocte apparuit lucifluo vultu beata virgo Aldegundis cuidam sorori, dixitque ei : *Vade, et dic dilectæ meæ Aldedrudi, quoniam angelus Gabrihel circumfulsit eam;* et dixit secundo : *Vade, nuntia ei quoniam angelus Domini circumfulsit eam.* Tali ex visione pavefacta, tremens nuntiavit ei omnia quæ viderat. Illa orans flexis genibus cum gaudio profusis lacrimis dicebat : *Gratias ago tibi, Pater cælestis, quia non despexisti humilitatem ancillæ tuæ, cum sim indigna nimis.*

4. Quidam presbyter vir religiosus, in monasterio deserviebat; qui quadam nocte dominica post festivitatem sancti Martini surrexit de stratu suo solito more vigilias peragere; statimque distincte toto ex corde cantando peregit psalterium. Matutinali peracto officio, cum paulisper se in accubitu reclinasset, vidit domum cælesti in igne nimia claritate perfusam, parietibus inque resectis plurima apparuerant ostia, per quæ diversa claritatis micuerant luminaria; ibique domina venerabilis ac gloriosa virgo Aldedrudis sedens, librum tenebat in manibus aureis litteris scriptum, et erat multitudo astantium virginum circa eam. Mirabili ex visione stupefactus, cognovit quod in proximo transitura esset virgo Christi a

seculo. Interrogavit circumstantes choros virginum psallentium, cujus hæc esset mansio tam mirabilis. Una ex his responsum dedit: *Est mansio ista cælestis Iherusalem, in qua domina vestra cum his lucifluis virginibus in æternum permanebit cum Domino.* Et fluvius magnus currebat clarissimus ac valde mirabilis juxta eam. Interrogavit iterum quis esset fluvius tam mirificus; quæ respondens dixit: *Hic est fons salientis aquæ in vita æterna.*

5. Cum dulci a somnio evigilassem *, memini * evangelici sermonis dicentis: *sic.
Nihil opertum, quod non revelabitur, et occultum, quod non scietur: non dubitans hanc se vidisse visionem pro virtute ac meritis beatæ memoriæ Aldedrudis abbatissæ, quæ jam de morte transierat ad vitam; et collocatam jam viderat in cælis, quam in terris positam nimio * amore dilexerat; videns eam coronam recipere beatitudinis, quæ in orationibus, in vigiliis, in jejuniis, in elemosinis, in mansuetudine, in mira pietate, in castitate, in fletu et planctu, in ardore fidei, incessanter laboravit in terris. * *cod.* nimo

6. Et ne paginola nostra fastidium generet, hæc quæ per idoneos testes audivimus, — in veritate dico, non mentior. — pauca quæ carpsimus, stylo prænotavimus; majora quæ restant, quæ revelavit Dominus sacratissimæ virgini, silentio abscondit: timens illud * evangelicum sermonem qui dicit: *Ite potius ad vendentes, et emite vobis;* et David considerans prophetam dicentem: *Oleum autem peccatorum non impinguet caput meum.* Soli Domino, cui omnia patent, præfixit sollertiam; ab humana sequestrata laude, ad sedem pervenit æternam, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per infinita secula seculorum. Amen. *sic.

CLXI. Codex signatus n° 9823-34.

Foliorum 161, formæ mediæ (0^{m},312 × 0,205), binis columnis seculo XII exeunte totus exaratus, nisi quod fol. 161^{v} aliqua seculo XIV-XV adscripta sunt. Litteræ initiales rubro cæruleove colore depictæ sunt et pluries arte ornatæ. Tituli rubricati, necnon in marginibus foliorum 2-56 versus leonini minio depicti, qui operis Roberti monachi *Historiæ Hierosolimitanæ* compendium exhibent. Non prætermittenda fol. 157^{r} singularis quædam delineatio urbis Hierusalem locorumque adjacentium, similis illi quæ repræsentata est in opere *Recueil des Historiens des croisades, Hist. Occidentaux,* tom. III, p. 510, at illa etiam luculentior.

Fol. 1^{v} post indicem contentorum legitur hæc nota: *Collegii Societatis Jesu Brugis ex dono R^{mi} D. Jacobi Pamelij.* Inter fol. 1 et fol. 2 insertum est duplex folium chartaceum formæ minoris, in quorum priore recto notæ de Roberto monacho ex Possevini *Bibliotheca selecta* desumptæ subjecta est hujusce notæ a Bongarsio reprehensio.

Unicum in codice reperitur documentum aliquatenus hagiologicum, nempe

Relatio miraculi in regione Saxonum facti tempore sancti Heriberti Coloniensis archiepiscopi (fol. 146^{r}-147^{r}).

Narratio quæ invenitur etiam in cod. Parisiensi lat. 5129 sec. XIII (ubi loco *Heriberti* legitur *Herigeri*, teste Pertzio in Archivo suo, tom. VII, p. 56); item in codice Lipsiensi CXCIV, olim Rep. II, fol. 64, sec. XII extremi, (ubi villa miraculo illustrata vocatur *Colbizce*), et in codice Hagensi 906, in hac parte sec. XIII, (ubi auctor narrationis se non *Otbertum*, sed *Stephanum* nominat). Ejusdem narrationis compendium insertum est compendio vitæ S. Heriberti quam exhibet codex Bruxellensis 8515. In appendice textum cod. 8515 textui cod. 9823-9834 subjiciemus.

Appendix ad cod. 9823–34.

Relatio miraculi in regione Saxonum facti tempore sancti Heriberti Coloniensis archiepiscopi.

Omnibus Deum diligentibus et magnalia ejus magnificando amplectentibus universus Saxonicæ regionis populus divina expertus miracula nuperrimis temporibus inaudita, ex quo primus homo est conditus, prosperitatem transitoriæ hujus vitæque cælestis perennitatem angelicis cum civibus.

Ego peccator nomine Othbertus, etsi vellem tegere peccatum meum, indicio esset mearum inquietudo venarum et motus membrorum. Quod ut quisque agnoscat ob quam culpam acciderit, et ut mihi elemosinam orationis pro Deo impendat, legere volentibus per ordinem pandam. Eramus decem et octo, quindecim viri et tres mulieres, in villa Colovize regionis Saxonicæ, ubi sanctus Magnus martyrium consummavit. Qui in sanctissima nativitate Domini, expletis matutinis, cum missarum sollemniis interesse deberemus, suadente diabolo, choros in cimiterio duximus. Presbyter vero nomine Robertus jam primam missam inchoaverat; sed heu! ita nostra cantilena impediebatur, ut idipsum inter sacra verba personaret. Commotus hac importunitate nostra, nos adiit, monens nos ut quiescentes a tali insania ecclesiam intraremus. Spretus ergo a nobis, hac imprecatus est voce : *Utinam potentia Dei et merito sancti Magni martyris sic inquieti cantãdo annum ducatis.* Nos ejus verba subsannantes, perstitimus cantantes. Erat vero una trium mulierum filia prædicti presbyteri, nomine Mersent. Quam jussu patris frater ipsius mulieris, vocatus Johannes, brachio apprehendens, conabatur a choro retrahere. Sed mox brachium a corpore abstraxit; attamen una gutta

sanguinis non manavit; quodque dictu mirabile, sine brachio nobiscum cantando et terendo pedibus secundum imprecationem presbyteri annum peregit. Ergo sex mensibus evolutis, usque ad genua terræ immersi sumus. Post annum redeunte eadem sanctissima nativitate Domini, usque ad latera demersi in circuitu choros duximus; et tunc per domnum et sanctum Heribertum Coloniæ civitatis episcopum, Christo volente, ita liberati sumus. Idem ad nos eadem die nativitatis Domini veniens et orationem super nos complens, a ligatura, qua invicem manu ad manum tenebamur, solvit nos; et ante altare sancti Magni pretiosi martyris ecclesiæ reconciliavit. Sic demum gravissimus sopor invasit nos; atque ibi ante altare obdormivimus, et tribus diebus cum tribus noctibus, Deum testamur, continue dormivimus. Unus ergo ex nobis, Johannes nomine, cum supradicta filia presbyteri et cum aliis duabus feminis ante ipsum altare prostrati terræ spiritum statim emiserunt. Post excitationem nostram ad propria reversi accepimus cibum, et ita hactenus tremor membrorum in signo recordationis vel potius approbationis non nos deserit. Sic in toto anno illo non manducavimus neque bibimus, nec somnum cepimus, nec pluvia irrigati sumus. Nihil sensimus, nihil egimus, quia cantantes sine sensu fuimus. Frequenter super nos fabrica tecti ad arcendas pluvias erigebatur; sed hæc nutu Dei dissipabatur. Vestimenta atque calciamenta nostra * nec ungula capillive in modico creverunt; sed ita ut cœpimus insensati, per totum annum mansimus. Aliqui jam ex nobis obierunt, et miraculis coruscant; aliqui liberati Deo laudes decantant. Acta hæc anno dominicæ incarnationis M°XX°I°, indictione IIII^{ta}, regnante Henrico secundo. Has litteras in monte sancti Michaelis die octavarum epiphaniarum renovari fecimus; quia priores quas portabamus nimio sudore ac vetustate corruptæ erant, quas nobis domnus Peregrinus *, Coloniensis episcopus, præfati domni Heriberti successor fecerat venerandus.

* *supple* non sunt attrita.

* *sup. lin. man. sec. XII-XIII:* vel Pilegrinus.

RELATIO EJUSDEM MIRACULI EX COD. BRUX. 8515.

Anno Domini millesimo tertio decimo, Henrico secundo imperante, et Benedicto papa decimo præsidente, in quadam villa Saxoniæ, ubi erat ecclesia Magni martyris, in vigilia natalis Domini Robertus presbyter primam missam inchoaverat, et in cimiterio quidam Obertus nomine, cum decem et octo sodalibus viris et quindecim feminis choream ducens, et cantilenas seculares perstrepens, ita sacerdotem impediebant, ut ipsa verba eorum inter sacra missarum sollemnia intus resonarent. Ille mandat ut tacerent; quo neglecto, imprecatus est Deum dicens : *Placeat Deo et sancto Magno, ut ita cantantes maneatis usque ad annum.* Verba itaque pondus habuerunt, et ita per totum annum permanserunt. Filius presbyteri Johannes sororem suam cantantem per brachia arripuit, et statim istud a corpore evulsit; sed sanguis non exivit. Illa vero toto anno cum ceteris permansit choreas ducens. Et pluvia non cecidit super eos, non dolor, non frigus, non sitis, non fames, non lassitudo eos affecit; indumenta eorum vel calciamenta non sunt attrita; sed quasi vecordes cantabant. Primo usque ad genua, deinde usque ad femora terræ divulsi sunt. Fabrica recta aliquando super eos erigebatur

nutu Dei, ut pluvias arceret. Anno evoluto, hic sanctus Heribertus Coloniensis archiepiscopus, eos absolvit a nodo quo manus eorum ligabantur, et ante altare sancti Magni reconciliavit. Filia presbyteri cum aliis duobus continuo exstincta est. Ceteri vero continuis tribus diebus et noctibus dormierunt, et postea obierunt, et miraculis, ut fertur, claruerunt, quia valde pœnituerunt; ceteri vero pœnam suam corporum tremore perdiderunt.

CLXII. Codex signatus n° 9845-48.

Codicem hunc, inter Ennodianos omnium longe præstantissimum, quum Ennodii operibus præfarentur, maxima cum cura descripserunt vv. cc. Gulielmus Hartel (1) et Fridericus Vogel (2). Post quorum utilissime navatam operam, illud nobis fuit reliqui, ut quæ stabilita sunt majoris momenti compendio referremus, paulo tamen longius in perscrutandis codicis historia sive fatis immoraremur.

Codex foliorum 206 (3), formæ mediæ (0^{m},293 × 0,192), seculo IX exaratus.

Habuit olim folia saltem 208; nam unum inter fol. 149 et 150 intercidit, alterum inter fol. 153 et 154. Horum primum nondum perierat quando anno 1569 hocce codice in paranda Ennodii editione principe utebatur editor Basileensis (4); ast illud jam desiderabat anno 1607 Andreas Schottus, qui codicem volvens hoc loco, nempe fol. 149^{v} in margine inferiore adnotavit: *Hic in excuso sunt amplius quattuor epistolæ, pag.* (numerus jam delituit). Alterum folium certe anno 1569 a codice jam aberat, immo diu ante, testante illo qui fol. 153^{v} in margine inferiori seculo XIV-XV scripsit : *Hic quædam desiderantur.* Illa autem 208 folia quaterniones 26 efficiebant, quorum plerique integri, aliqui vero singulis foliis additis interpolati, decisis alii mutili erant (5). Folia insuper aliqua vel foliorum partes vacua relicta sunt, quod tamen non accidit nisi immediate ante quaternionem sive fasciculum, non in fasciculo. Quo etiam loco pluries accidit ut quæ in fine fasciculi unius scripta sunt, initio sequentis iterata reperias, ita tamen ut alterutra superductis lineis tunc deleta sint (6).

Quarum omnium rerum explicatio in promptu est, scilicet in conscribendo codice non unum, sed tres certe vel quatuor librarios simul operam navasse; quamvis enim eamdem ætatem omnes partes præ se ferant, non parum tamen inter se discrepant litterarum forma et atramenti color; ita facile distingues partes : fol. 1-15, 16-55, 56-61, 62-81, 82-91, 91-124, 125-167, 169-206; quarum tres

(1) *Magni Felicis Ennodii opera omnia*, in *Corpore Script. Eccl.* Vindobonensi, vol. VI (1882), p. I-IIII. — (2) *Magni Felicis Ennodi opera*, in *Mon. Germ. Hist.*, auct. ant. tom. VII (1885), p. XXXII-XXXV. — (3) In recentiori numerorum singulis foliis apposita indicatione, erronee omissus numerus 168, ita ut fol. 167 sequatur fol. 169; contra post fol. 192 numero vacuum relictum est unum folium (192bis). — (4) Vide Vogel, p. XXXIV. — (5) Horum accuratum elenchum vide apud Vogel, p. XXXII. — (6) Vide Hartel, p. II.

1-15, 56-61, 169-206 eidem scribæ tribui possunt, ceteræ aliis (1). Jam vero partito inter librarios opere, factum est ut quaternionibus folia singula addere vel adimere, seu vacua relinquere res ipsa postulaverit, atque etiam ut verba aliqua in initio quaternionis errore præcepta bis exarata reperiantur. Quo etiam explicatur perturbatus sæpius quaternionum inter se ordo, ex qua re accidit ut pluries mutati sint numeri arabici quibus singula folia designantur. Fuit enim quum folia 98-105 ante 90-97, itemque folia 191-197 ante 183-190 collocata essent (2). Pauci autem sunt quaterniones quorum ordinem antiqua manus litteris adscriptis significaverit (3).

At quam hucusque fortunam codex habuerit, ut non ita perspicuum est, nec adeo accurate adhuc est declaratum. Nam quomodo codicem sibi comparaverit Grynæus, ut illo in prima editione adornanda uti liceret, non liquet (4); certe tamen adhibitus ille ad hoc est. Quum enim codex Vindobonensis num. 745, ex quo maxima pars hujus editionis defluxit (5), duobus ingentibus lacunis mutilus sit, harum altera turpiter neglecta, alteram adhibito codice nostro explevit. Id non solum lectionum consensus demonstrat, sed etiam conditio foliorum 131-174, quibus opera in Vindobonensi omissa codex Bruxellensis complectitur; hæc enim folia, ut in operariorum manus mitterentur, compluribus numeris, notis lineisque designata sunt ac misere defœdata (6). — Post Grynæum codicem habuit, immo possedit, Franciscus Modius; quum enim Bollandus S. Epiphanii Vitam secundum lectiones hujusce codicis edebat (7), unde documentum hauriret adnotabat his verbis : *e vetusto Francisci Modii codice descripserat Rosweydus* (8). Jam Franciscus Modius postquam Lovanii anno 1573 juris utriusque laurea donatus ibi annos aliquot consumpsisset, in Germaniam secedens Coloniæ aliquantisper substitit (9); ibi vel forte Herbipoli, ubi apud Erasmum Neustetterum triennio moratus est, codicem nostrum nactus est. Ex quo etiam varias lectiones panegyrici Theoderico dicti cum Sylburgio communicavit, ut ex hac nota a Bongarsio eidem panegyrico typis excuso apposita constat : *Varias lect. ex Ms. habeo a Fr. Sylburgio qui a Franc. Modio* (10). Modius autem post annum 1587, quo *Rerum criminalium praxes* Francofurti edidit, in Galliam migravit, munusque Canonici in fano S. Audomari adeptus, ibidem seu, ut alii volunt, Aeriæ apud Artesios, anno 1597 (al. 1599) obiit. His vero temporibus Rosweydus, tum juvenis, Duaci degens, harum regionum monasteria bibliothecasque sedulo visitabat; quo intelligitur quomodo Modii codice uti potuerit. — E vita migraturus Modius codicem reliquit collegæ suo Richardo de Pan, inter canonicos S. Audomari recens cooptato; cujus nomen

(1) Vide Vogel, p. XXXII. — (2) Ibid. — (3) Ibid.; Hartel, p. I. — (4) Prodiit hæc Basileæ anno 1569 in volumine qui inscribitur Joh. Jac. Grynæi *Monumenta S. Patrum Orthodoxographa*, inter *Epistolas Orthodoxographorum Theologorum latinorum*, p. 269-480. — (5) Vide Hartel, p. VII-XI. — (6) Vide Vogel, p. XLIX; Hartel, p. III. Nulla hujusmodi inquinamenta passus est reliquus codex ; in quo nonnisi raræ Schotti vel aliorum correctiones inveniuntur. — (7) *Act. SS.*, ad d. 21 jan., tom. II, p. 364 sqq. — (8) Ibid., p. 364, num. 2. — (9) Foppens, *Bibl. belg.*, tom. I, p. 300. — (10) Hagen, *Catalogus codicum Bernensium (bibl. Bongarsiana)*, Appendix p. 528.

fol. 1r in margine inferiore descriptum quoniam multis jam negotium facessivit, illud hic cum adscriptis numeris quibus indicabatur locus codici Ennodiano in Richardi bibliotheca assignatus, accurate repræsentandum duximus, ut tandem mota controversia sopiatur.

Jam vero nomen gentilicium in prima linea exaratum legerunt alii *du F(?)a(?)i* (1), alii *du Bas* (2); recentissimus omnium Vogel primam ultimi verbi litteram *B* esse non negabat, quamquam litteræ *S* similiorem esse arbitrabatur; tertiam vero quæ esset vel num omnino esset aiebat se nescire (3). Nos quidem primo aspectu *du Pon* legendum esse ducebamus; sicque nomen idem manu eadem descriptum in codice bibliothecæ Audomaropolitanæ num. 730 legerat v. cl. Michelant; ibi enim testatur ille in folio insiticio seculo XVI inscriptum esse : *Ex libris Richardi du Pon XV, .2. classis* (4). A nobis autem rogatus R. P. Henricus Dussart S. J., postquam accurate æque atque humaniter huic rei indagandæ operam præstitit, respondit legendum esse in codice tum Bruxellensi, tum Audomaropolitano *Richardi de Pan* vel *du Pan*. " Richardus siquidem de Pan presbyter, licentiatus in jure, canonicus Aeriensis, conferente domno Episcopo factus est die 2 julii 1597 canonicus ecclesiæ cathedralis S. Audomari cum præbenda S. Austrebertæ, inde archipresbyter anno 1598; pænitentiarius mense augusto anni 1602; archidiaconus tum Flandriæ die 27 maii 1605, tum Artesii die 26 septembris anni 1608; obiitque anno 1614. „ Hæc ex codice Audomaropolitano 896 gallice scripta nobis tradidit Dussart noster, quæ toti quæstioni maximum jam afferunt lumen. Legendum igitur est : *Ex libris Richardi du Pan. Secundæ classis, 97. 4°*. Numeri autem *97* et quæ in ima margine etiam leguntur *n° 29* duabus aliis manibus adscribenda sunt. A Richardo post mortem, ut videtur, ipsius, codicem acceperunt Jesuitæ qui anno 1566 Audomaropoli collegium fundaverant. Quod docemur nota fol. 1r in margine superiore seculo XVII inscripta : *Collegij Soctis Jesu Audomari.* Non ab his, sed ab ipso, ut arbitramur, Richardo commodatum codicem et Antverpiam missum habuit anno 1607 P. Andreas Schottus, quo in paranda Ennodii editione usus est. Testatur enim in dedicatione ad ill. Card. Borromæum se Ennodii opera *nunc quidem integre ex optimis membranis in Morinis Belgarum ultimis pridem a se repertas edenda curavisse* (5). In nostro vero codice folio insiticio

(1) Hartel, p. II. — (2) Apud Vogel, p. XXXIV. — (3) Ibid. — (4) *Manuscrits de la bibliothèque de Saint-Omer*, in *Catal. gén. des mss. des bibl. publ. des départements*, tom. III, p. 325. — (5) *Beati Ennodii Ticinensis episcopi opera.* Tornaci 1611. — Iisdem fere verbis loquitur Schottus in dedicatione ad Antonium Salmatium anno 1610 Ennodii *Poematibus sacris* præfixa.

verso hæc idem inscripsit Schottus : *Contuli hunc Ennodium Ticinensem Episcopum ad editionem Germanicam inter Orthodoxographos magno operæ precio, cum et quaternionem integrum in edito desiderari observarim : carmina omnia trajecta esse totumque adeo opus vitiose excusum deprehendo. Honos itaque habendus scriptis libris et amicis gratia qui utendum dederunt et nunc restituo. Andreas Schottus Antverpianus de Societate Jesu 1607.* Amicos illos esse tum Richardum, tum Patres Audomaropolitanos, qui operam suam interposuerint, facile crediderim. — Sed Antverpiam rediit codex et Museo Bollandiano tributus ; signum enim hujusce Musei ✠ MS 104 a Papebrochio, ut videtur, inscriptum fert fol. 1r et fol. insiticio verso.

Mirum vero quod numquam de eo sermo in *Actis Sanctorum* habitus est, nec quum de S. Ennodio edebatur commentarius historicus (1) nec quum aliqua ex ipsius operibus subinde proferebantur (2).

Codex totus est de Ennodio, nisi quod pauca de XI milibus virginum addita sunt. Ennodii autem opera tantum non omnia continet, ut fuse exponunt Hartel et Vogel in præfationibus.

1° Dictio Ennodii in natale Laurenti Mediolani episcopi (fol. 1r-3v).

Elogium S. Laurentii editum ex parte in *Act. SS.*, ad d. 27 Jul., tom. VI, pp. 437, 438 ; integre apud Hartel, p. 423-430 et apud Vogel, p. 1-4.

2° Dictio quæ habita est in natale sancti ac beatissimi papæ Epiphanii in annum tricentesimum sacerdotii (fol. 27r-30r).

Elogium editum apud Hartel, p. 531-539, et apud Vogel, p. 40-45.

3° Vita beatissimi viri Epifani episcopi Ticiniensis ecclesiæ (fol. 58r-77v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Jan., tom. II, p. 364-377 ; apud Hartel, p. 331-383 ; apud Vogel, p. 84-109.

4° [Carmina de SS. Ambrosio Mediolanensi ejusque undecim successoribus] (fol. 106r-108r).

Hartel, p. 581-587 ; Vogel, p. 162-167.

5° Dictio data Stephanio V. S. vicario dicenda Maximo episcopo (fol. 110r-111r).

Elogium S. Maximi Ticinensis episcopi, etiamtum viventis, ab Ennodio scriptum. Hartel, p. 433-435 ; Vogel, pp. 171, 172.

(1) Ad d. 17 Jul., tom. IV, p. 271-276. — (2) Tom. V Aug., p. 823 ; tom. VI Aug., p. 51 ; tom. V Sept., p. 252 ; tom. VI Oct., p. 31.

6° Epitafium sancti Victoris Novariensis episcopi (fol. 111r).

Hartel, p. 589; Vogel, p. 172.

7° [Vita S. Antoni monachi Lirinensis] (fol. 119r-123r).

Hartel, p. 383-393; Vogel, p. 185-190.

8° [Hymni de SS. Cypriano, Stephano, Ambrosio, de ascensione Domini, de SS. Euphemia, Nazario, de B. V. Maria, de SS. Martino, Dionysio] (fol. 162v-164v).

Hartel, p. 542-555; Vogel, p. 251-256.

9° [Eucharisticum de vita sua] (fol. 191r-193r).

Confessio Ennodii. Hartel, p. 393-401; Vogel, p. 300-304.

10° In natale XI milium virginum (fol. 206v).

Particula officii (a Completorio ad medium usque primi nocturni), neumatibus notati.

CLXIII. Codex signatus n° 9871-4.

Ex duobus codicibus constat, quibus simul sumptis continentur folia membranea 155, præter membranam insiticiam initio. Formæ ejusdem est codex uterque, mediæ scilicet ($0^m,28 \times 0,185$); uterque etiam lineis graphide ductis, binisque columnis, seculo XIII descriptus, sed manu non eadem, ita ut scriptura minor sit in altera parte quam in priore.

Quænam fuerint hujus codicis fata, id nequit certo signo determinari. Inscriptiones, si quæ erant in marginibus, pumice deletæ fuerunt. Hæc tamen nota occurrit fol. 45r manu recenti inscripta : *Frater Anthonius Pelliserius, Divionensis, religiosus Cisterciensis, puer bonæ indolis.* Præterea margini inferiori, post singulos quaterniones foliis octo constantes, inscribuntur numeri intra quorumdam nimborum ambitum inclusi. Tituli documentorum minio sunt descripti; litteræque initiales aliquantisper ornatæ et grandiusculæ, præsertim in priore parte. In folio tandem insiticio leguntur, præter duplicem contentorum indicem, quatuor versus morales.

Quod materiam spectat, secundam partem (fol. 86-155) adimplet Gaufridi Monemutensis *Historia regum Britanniæ.* Fol. 85 occurrunt tres columnæ scriptura primum vacuæ, quibus variis ætatibus additæ fuerunt orationes nunc fere deletæ. In prima vero parte, præter homiliam S. Bernardi *super Missus est,* et sermones duos morales S. Petri Damiani de S. Joanne evangelista, (Migne, P. L., tom. CXLVI, p. 857-875) occurrit documentum unicum hagiographicum, quod est

Actus sancti Joannis theologi et Prochori ejus discipuli (fol. 1^r-49^r).

Editi in *Maxima Bibliotheca veterum Patrum* (Lugduni 1677), tom. II, p. 46-47. Sed versio codicis sat sæpe ab impressa discrepat, minusque recedit a textu græco, qualis curante cl. Th. Zahn editus nuper est Erlangæ (1880); habet etiam narrationem μεταστάσεως sive transitus apostoli, quæ in *Maxima Bibliotheca* desideratur. Quam partem per modum appendicis addimus infra, ut codicis hujus specimen quoddam habeatur. Comparari potest cum narratione pseudo-Melitonis (Migne, P. G., tom. V, p. 1249), Metaphrastæ (ibid., tom. CXV, p. 703) et Joannis a Voragine. Conf. Lipsius, *Die apocryphen apostelgeschichten*, tom. I, (1883), pp. 358, 489 sqq.

Unica tantummodo rubrica partialis in codicis textu occurrit, hæc nempe (fol. 45^v) : *De sancto evangelio secundum Johannem quomodo enarravit illud et in quo loco et in qua hora.*

Appendix ad cod. 9871-4.

De transitu sancti Joannis apostoli.

Demoravimus autem in Ephesum postquam regressi sumus ab exilio annos viginti sex ; et in Pathmos mansimus annos novem. Erat autem beatus Johannes apostolus quando venimus in Ephesum ab Jerusalem annorum quinquaginta et mensium septem. Et ego Prochorus discipulus eram annorum triginta et mensium octo. Cum complerentur autem anni viginti sex, postea venimus de Pathmos in Ephesum.

Egressus est autem Johannes de domo Dei et assumpsit septem de discipulis suis, me et alios sex, et dixit nobis : *Accipite funditoria in manus vestras et sequimini me.* Et fecimus ita. Venimus quoque in locum quemdam, et dixit nobis : *Sedete hic.* Et ipse recessit a nobis quantum jactus est lapidis. Et oravit stans, et nemo ex nobis appropinquavit ubi erat Johannes usque ad mane. Post igitur cum impleret orationem suam, dixit nobis : *Venite ad me, fratres.* Et venimus ad eum. Dixitque nobis : *Cavate in longitudinem meæ staturæ in similitudinem crucis secundum extensionem manuum mearum.* Et cavavimus ita.

Iterum vero stetit et oravit. Postquam autem oravit, osculatus est omnes nos; et posuit seipsum in cavum, quod cavavimus, extensis manibus. Ac postea docebat nos et dixit : *Attrahite, fratres, meam matrem terram, et cooperite me usque genibus meis.* Et fecimus ita. Itemque oravit et osculati sumus eum, et dixit : *Attrahite, filii, meam matrem terram, et cooperite me usque ad collum.* Et fecimus ita. Iterum autem oravit et dixit mihi : *Fili Prochore, vade in Jerusalem, quia illic debes consummatus esse.* Et ait nobis : *Afferte, filii mei, linteum mihi, et osculantes me ponite*

super faciem meam; quia jam non videbitis faciem meam in hac vita. Tunc cadentes super eum osculati sumus eum, et flentes amare cooperuimus linteo faciem ejus. Sol ortus est et ipse tradidit spiritum. Terram vero duximus super faciem ejus et absconditus est ab oculis nostris.

Igitur ingressis nobis in Ephesum civitatem, viderunt nos ceteri discipuli ejus et dixerunt nobis : *Ubi est magister noster?* Et annuntiavimus eis omnia. Cogerunt quoque nos sequi et ostendere eis locum. Cum veniremus autem in eodem loco et perfoderemus, invenimus nihil. Tunc flevimus omnes nimis; et stantes in oratione, adoravimus eum locum. Discessimus itaque inde, glorificantes Patrem et Filium et Spiritum sanctum in secula seculorum. Amen.

CLXIV. Codex signatus n° 9920-31 (1).

Foliorum 169, formæ mediæ (0^{m},275 × 0,175), lineis plenis exaratus seculo XI. Quam ætatem ei jam tribuebat opinio apud monachos S. Laurentii Leodiensis, quorum erat codex, olim vigens. Etenim illa manus seculi XV, bene nota iis qui codices Sanlaurentianos revolvunt, postquam juxta contentorum indicem (2) quem descripserat, addidisset *MCCCCL* 2^{a} *januarii*, continuo subjecit : *Præsentem librum dedit ecclesiæ sancti Laurentii domnus Reginardus episcopus Leodiensis in die qua dedicavit eam anno M°XXXIIII°*. Eadem manus rescripsit (fol. 1^{v} ac fol. 2) initium operis Gregorii Turonensis, itemque folia 7, 8. Tituli rubricati sunt et litteræ majores.

1° [De Gloria martyrum] (fol. 1^{v}-35^{r}).

Libellus Gregorii Turonensis edit. apud Migne, P. L., tom. LXXI.

2° De sancto Juliano martyre qui Alvernis passus est (fol. 35^{r}-36^{r}).

Capp. I, II de miraculis S. Juliani, edit. ibid.

(1) Omisimus codicem signatum n° 9916-17, quem inspecto inventario generali aliquis in hagiologicos recensere posset ideo quod ibi scriptum est ad num. 9916 *Portrait de S. Grégoire.* Codex tamen nobis tantum exhibet dialogos sancti pontificis, quibus manus seculi XV præposuit fragmenta Vitæ S. Gregorii auctore Joanne diacono editæ in *Act. SS.*, ad d. 12 Martii, tom. II, p. 137 sqq., scilicet numm. 84, 86 libri IV; et in fine codicis eadem manus descripsit epilogum versibus concinnatum, ibique editum p. 211. Insignis est iste codex picturis bene multis quibus artifex artis suæ haud ignarus exprimere conatus est præcipua gesta de quibus in dialogis sancti pontificis fit mentio. Juvabit etiam hunc codicem conferre cum codice 9645-49 de quo supra p. 348. — (2) Hæc fol. 1^{r} in margine superiore scripta sunt : *Iste liber pertinet monasterio Sancti Laurentii extra muros Leodienses et continentur in eo ea quæ sequuntur.*

3° De miraculo imaginis Christi (fol. 36r-38r).

Narratio stylo tantum absimilis huic quæ edita est apud Migne, P. G., tom. XXVIII, p. 811 sqq.

4° Vita S. Symeonis heremitæ (fol. 38r-43v).

Vide supra, p. 268, 5°.

5° Vita S. Abrahæ heremitæ (fol. 43v-51r).

Vide supra, p. 208, 1°.

6° Vita S. Pachomii confessoris (fol. 51r-74r).

Vide supra, p. 32, 5°.

7° Liber Gregorii Turonici episcopi super quorundam patrum sanctorum vitas (fol. 74r-108v).

Ed. apud Migne, tom. cit.

8° Liber Gregorii Turonici de vita et virtutibus confessorum (fol. 108v-128r).

Ed. ibid., in cod. aliquot capp. omm.

9° Vita S. Sabæ abbatis (fol. 128r-153r).

Versio latina Vitæ græcæ auctore Cyrillo Scythopolitano (conf. Fabricium, *Biblioth. græc.*, 1802, tom. VIII, p. 345), quam edidit Cotelerius, *Ecclesiæ græcæ monumenta*, tom. III, p. 220-376. Versio ut plurimum est accurata; prologus nonnihil mutatus. In fine item eadem occurrunt quæ in textu Cotelerii, ad Sabæ successores pertinentia.

10° Vita S. Brendani abbatis et confessoris (fol. 153r-166r).

Edita apud Jubinal *La légende latine de S. Brandaines*, p. 1 sqq. In cod. non paucæ lect. var.

11° De sudario capitis Domini (fol. 166r).

Narratum est quomodo sudarium dominicum a Judæis furtim ablatum, insigni facto prodigio adjudicatum fuerit christianis, quum lis, quam ipsi cum Judæis ad Domini reliquias sibi vindicandas agebant, ad Maumiam Saracenorum regem delata fuerit.

12° Narratio quomodo Tiberius visa imagine Salvatoris Jesu Christi ab infirmitate sua convaluit (fol. 166r-168r).

Inc. Factum est Tyberio et Vitellio consulibus cum Tyberius cesar gubernaret imperium necesse fuit ut in partibus Iherosolimorum virum prudentem Volusianum nomine dirigeret, quia multa miracula de Jesu salvatore humani generis audierat, quia scilicet mortuos suscitaret, infirmos verbo sanaret tam per se quam per discipulos suos.

Explicit. Respondit Volusianus: *In quantum didici nulla alia, nisi ut baptizetur*

unusquisque nostrum in aqua, et credat eum esse Dei filium. Dixit Tyberius Cesar : *Væ mihi quia non merui eum videre in corpore isto.* Post menses vero novem credidit in Jesum Tyberius Cesar et baptizatus est et sanus a plaga syringii, defunctus est in lectulo suo.

13° De conversione cujusdam meretricis Thaysis nomine (fol. 168r-168v).

Edit. in *Act. SS.,* ad d. 8 Oct., tom. IV, p. 225.

CLXV. Codex signatus n° 9968-72 (1).

Hunc codicem foliorum 130, formæ minoris (0^{m},26 × 0,201), exaratum sec. X, ideo recensemus quia præter multa Prudentii Aurelii poemata etiam ejus *Peristephanon* (fol. 17r sqq.) continet. Codex descriptus est partim binis columnis, partim lineis plenis, lineis semper stylo ferreo ductis. Tituli, litteræque majores ut plurimum rubricata.

Carmen inscriptum *Psychomachia* exornatum est tabulis quæ res versibus decantatas vividius sub oculis reponunt. At delineator opere suo non magnam sui commendationem apud posteros stabilivit. Codex olim fuit S. Maximini Trevirensis. Etenim manus seculi XVI folio 116r hanc notulam scripsit : *Codex monasterii S. Maximini extra muros Treverorum. Si quis abstulerit anathema sit.* Inde transit in Museum Bollandianum, quod patet ex signo ✠ MS 63 impresso chartulæ, quæ tegumento agglutinata est.

(1) Codex signatus 9935 qui olim fuit S. Laurentii prætermittendus est quum contineat opus Ruperti abbatis Tuitiensis in librum Job, vid. Migne, P. L., tom. CLXVIII, p. 961 sqq. Folio codicis ultimo descripti sunt hymni duo in honorem Stæ Mariæ Magdalenæ quorum prior, incipit :

Lauda, mater ecclesia,
Lauda Christi clementiam,
Qui septem purgat vitia
Per septiformem gratiam.

Posterior qui dicendus erat in Laudibus incipit :

Æterni Patris Unice,
Nos pio vultu respice,
Qui Magdalenam hodie
Vocas ad thronum gratiæ.

CLXVI. Codex signatus nº 9987-91.

Hic codex foliorum 157, licet ultimum signatum sit 154, propterea quod numeri 21, 44, 88 repetuntur, formæ minoris (0^m,235 × 0,162), seculo XI exaratus, continet inter varia Prudentii opera carmen *Peristephanon* (fol. 17^r sqq.). Descriptus est tum binis columnis, tum lineis plenis, styli ferrei vestigiis ubique remanentibus. Tituli rubricati, itemque litteræ majores. Tabulæ quibus exornatur *Psychomachia* non ita rudes quam in cod. 9968-72.

De codicis fatis aliquid certo novimus ex sequentibus quæ fol. 1^r inscripta sunt: 1º in margine inferiore : *Theodoro Pulmanno Joannes dono dabat anno CIↃIↃLXXX die XI Decembris.* 2º sinistrorsum in angulo superiori ✠ MS 66. Quod est signum Musei Bollandiani.

CLXVII. Codex signatus nº 10038-53.

Foliorum 178 (1) formæ mediæ (0^m,213 × 0,106), lineis plenis graphide ductis, triplici manu exaratus seculo XII-XIII. Tituli rubricati, litteræ majores tum rubro tum viridi colore depictæ. In *Anticlaudiano Alani* (fol. 97^r-144^v) litteræ singulæ singulos libros incipientes auro deductæ, viridi rubeoque adhibitis coloribus venuste exornatæ sunt.

In codice qui nullis indiciis suam originem manifestat, hoc unum documentum hagiologicum continetur :

Vita S^tæ^ Mariæ Ægyptianæ (fol. 83^r-96^r).

Vita metrica auctore Hildeberto Cenomanensi edita apud Migne, P. L., tom. CLXXI, p. 1321 sqq.

CLXVIII. Codex signatus nº 10274-80 (2).

Hic codex formæ mediæ (0^m,29 × 0,218), duplici codice constat. Prior foliorum 18, binis columnis exaratus est sec. XII; posterior vero foliorum 80, linis plenis stylo ferreo ductis ineunte sec. XI. Ad finem nescio quo casu annexum est folium

(1) In notatione singulis foliis recenti tempore apposita perperam bis scriptus est num. 172. — (2) In cod. signato 10066-77, qui fuit S. Laurentii prope Leodium, foll. 86^a ac 87^r descripta est pars divini officii in S. Nicolai festivitate legendi, scilicet antiphona ad Magnificat, responsoria versiculique lectionum, et antiphonæ de

unum avulsum a quodam Missali ad usum ecclesiæ Leodiensis. Tituli rubricati sunt, itemque majores litteræ. Fuit S. Laurentii ut conjici licet ex notulis quibus indicatur locus quem in bibliotheca obtinebat.

Præter missam in festo die S. Lamberti, in qua inserta est hæc sequentia :

Lambertus martyr in conspectu Domini
Die ista apparuit cum gloria,
Congratulemur in laude tua,
Deus, cum caterva
Concinnentes angelica.

Continetur hoc documentum :

Vita S. Hieronymi presbyteri et confessoris (fol. 12^{v}-17^{r}).

Hæc vita proxime accedit ad illam quæ edita est apud Migne, P. L., tom. XXII, p. 201 sqq.

CLXIX. Codex signatus n° 10615-729 (1).

Foliorum 232 (2), mediæ formæ (0^{m},277 × 0,192), binis plerumque columnis, lineis tum graphide tum stylo ferreo ductis, seculo XII exaratus litteris minusculis, ut scriba nobis significare videatur se in mente habuisse maximam documentorum vim minimo spatio concludere. Nec eum spe sua frustratum fuisse ultro fatebitur qui sive in *Inventario generali*, sive apud de Reiffenberg (3), sive in *Archiv* (4) oculis perstrinxerit seriem documentorum quæ codex complectitur, quorum quidem hæc est natura, ut fere nemo mediævalia poemata rhytmosve scientifice edere possit, quin codicem aliquantisper conferat. Quod factum fuisse testantur et mo-

Laudibus ; itemque fol. 87^{r} antiphonæ dicendæ in festivitate sanctæ Mariæ in cœlos assumptæ. Tria etiam prima folia, jam tertia suæ latitudinis parte ab inscio compactore præcisa, pertinuere olim ad quoddam breviarium. — Codex signatus 10096-97, olim Sanlaurentianus nullo modo ad hagiographicos pertinet. — (1) Obiter notamus codicem signatum 10470-73, in quo seculo X descripta sunt poemata plurima, maxime Miconis monachi S. Richarii *(Saint-Riquier)* continere hymnos duos, a Micone, ut videtur, confectos, alterum de S. Richario (fol. 43^{r}) qui incipit : *Annua festivitas hodie ;* alterum de S. Martino (fol. 44^{r}), qui incipit : *Sacra dies colitur.* Reperitur in eodem codice martyrologium, quod dicitur metricum, vulgo Bedæ adscriptum (fol. 12^{r}-13^{v}), tum descriptio reliquiarum, quæ in singulis aris ecclesiæ reconditæ erant (fol. 79^{r}-80^{r}). — (2) Bina folia notantur tum numero 51, tum numero 213 ; ast excisum est jam folium quod signatum erat 97 ; ita ut demum folium ultimum notatum sit 231. — (3) *Annuaire de la bibliothèque royale de Belgique,* 1843, p. 51 sqq. — (4) Tom. VIII, pp. 535, 536.

dernæ codicis in Germaniam peregrinationes et notæ asservatæ in libro informationum Regiæ Bruxellensis.

Codex olim fuit *Hospitalis S. Nicolai prope Kuss.* Hæc inscripta sunt fol. primo alterius codicilli papyracei membranis præfixi (1) in margine superiore ; vox autem *Kuss* nescio quo pravo consilio atramento obducta vix nunc legi potest. Inde transiit in Museum Bollandianum ubi signabatur ✠ MS 120. a (2).

Ad res hagiologicas quod spectat hæc notanda sunt :

1° Liber florum epytaphii sanctorum (fol. 13^{r}-21^{r}).

Opus Thiofridi abbatis Epternacensis editum apud Migne, P. L., tom. CLVII, p. 314 sqq.

2° Ipsa visio quæ fratri nostro Vuettino revelata est pridie ante transitum ejus (fol. 85^{v}-87^{r}).

Heitonis Visio Wettini edit. ope hujus codicis in *Mon. Germ.*, Poet. lat. tom. II, p. 267 sqq.

3° Item alia visio (fol. 87^{r}).

Edit. apud Wattenbach, *Deutschlands Geschichtsquellen* [5], tom. I, pp. 260, 261.

4° De Visione Wettini versus ejusdem (fol. 88^{r}-90^{v}).

Visio Wettini Walahfrido edit. ope hujus codicis ibid., p. 301 sqq.

5° De S^{to} Dyonisio (fol. 91^{v}).

Incipit : *Speciales Francorum protectores sunt Dyonisius martyr Domini pretiosus et socii ejus, qui primi eorum prædicatores fuerunt et insuper quos fide illuminaverunt, martyrio consecrarunt.* — Auctor paucis contendit Parisiorum patronum esse ipsum Areopagytam.

6° Hymnus de sancto Gorgonio (fol. 178^{v}).

Orbis, Christe, salus atque redemptor,
Nos in laude tua fac sine culpa
Hunc transire diem, quo celebratur
Festum Gorgonii martyris almi.
Hic pro te socio cum Dorotheo
Mundi delicias atque furorem
Contempsit procerum, multiplicesque
Pænas sustinuit mente potenti.
Ardens igne tuo cordis in imo
Flammas non timuit, sed speravit;
Non tormenta timens, vincla, flagella
Constanter tolerans, prospera calcans
Pugna multimoda fortiter eta,
Tandem victor init cælica regna.
Et quoniam regis spreverat aulam,
Nunc te dante tua regnat in aula.
Qui * nos ut vitiis exoneratos **
Ipsius meritis atque beandos

* *prius* quo
** *prius* exoneratus

(1) Siquidem ante 232 folia supra demonstrata, reperiuntur : 1° folia duo membranea undique excisa, in quorum fol. 1^{v} et 2^{r} descriptum est exemplar cujusdam bullæ Eugenii papæ IV; 27 codicillus papyraceus foliorum 2, formæ brevioris, quam reliquus codex est ; in quibus descriptus est contentorum aliquis index parum accurate confectus ; 3° codicillus alter foliorum 9. — (2) Illud signum descriptum est tum in parte aversa secundi folii membranei in capite codicis positi, tum in parte recta folii papyracei sequentis.

Carnis post obitum scandere dones
Devotis precibus, Christe, rogamus.
Sit cum patre tibi Spirituque
Sancto, nate Dei, gloria perpes,
** prius* sustentas Virtus, imperium, lausque perennis;
Qui solus moderans cuncta gubernas.
** prius* potestes Amen.
Sancte Gorgoni, plebi meæ subveni,
Et nos ab hoste defendendo protege;
Sicque devote famulantes effice,
Ut tibi nostrum placeat obsequium.
Juva nutantem ordinem monasticum,
Succurre clero et gementi populo,
Principes doce sectari justitiam,
Et simul totam sustenta * ecclesiam,
Sit Trinitati sempiterna gloria,
Honor, potestas * atque jubilatio,
In unitate cui manet imperium,
Ex tunc et modo per æterna secula.
Amen.

7° De sancta Lucia (fol. 212^{v}-214^{r}).

Carmen editum apud G. Harster : *Novem Vitæ sanctorum metricæ*, p. 127 sqq.

CLXX. Codex signatus n° 10849-54.

Foliorum 132, formæ mediæ (0^{m},24 × 0,174), lineis plenis stylo ferreo ductis, nitide exaratus sec. XI. Primitus inter Martyrologium Usuardi desinens fol. 69^{v} ac regulam S. Benedicti quæ incipit fol. 71^{r}, vacua remanserant fol. 69^{v} ac 70^{r}. Nam versum fol. 70^{r} adhibuerat rudis quidam delineator ut pingendo nobis repræsentaret æterni Patris Filium in sede suæ majestatis, qui beatum patrem Benedictum a dextris subsidentem regulam recte vivendi edocebat. A sinistris stat monachus attentis auribus præcepta vitæ exhauriens. Hoc ergo spatio usus est amanuensis alius subæqualis ad describendum initium vitæ sancti Folliani, quam fol. 70^{r} ac sub finem codicis fol. 130^{v} prosecutus est tertius scriba fere ejusdem ætatis. Nam et ibi supererant folia tria cum dimidio. Foll. 129^{v} ac 130^{r} conscripta est quædam constitutio domni Heribrandi abbatis S. Laurentii.

Tituli rubricati sunt, itemque litteræ majores quarum tres aliquo ornatu insigniores. Fol. 3^{v} delineator de quo supra conatus est nobis exhibere Christi nativitatem. Fol. 1^{r} manus sec. XV indicem contentorum descripsit. Codex olim fuit Sanlaurentianus. Etenim præter siglum LL quater hæc aut similia scripta sunt : *Liber monasterii S. Laurentii Leodiensis.*

[Vita S. Foillani] (fol. 69^{v}-70^{r} ac fol. 130^{v}-131^{v}).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 30 Oct., tom. XIII, p. 391 sqq.

CLXXI. Codex signatus n° 10953-55.

Foliorum 178, formæ mediæ ($0^{m},224 \times 0,157$), lineis graphide ductis, exaratus seculo XIV-XV. Tituli rubricati; litteræ initiales fere semper rubro, subinde rubro cæruleoque colore ornatius depictæ. Manus una fol. 1^{r}-162^{r} descripsit; vacantibus fol. 162^{v}-166^{r}, manus altera fol. 166^{v}-177^{v} implevit; fol. 178 vacuum etiam est relictum.

Fata codicis partim describuntur nota fol. 1^{r} descripta : *Bibliothecæ Regiæ Bruxellensis 1698* (prius *1694). Aubertus Miræus hic posuit jussu Serenissimi Principis Archiducis Alberti, 1618.* Ejusdem Auberti manu apposita est fol. 8^{v} hæc nota : *Liber* I (Vitæ S. Gertrudis) *est a clerico aut canonico Nivellensi conscriptus circa an. 1000; sed liber* II *est scriptus a vetusto auctore, S. Gertrudis coætaneo, hortante Dominica tertia abbatissa Nivellensi. Liber* III *est partim a vetusta, partim ab eadem recentiore manu.* AUB. MIRÆUS.

1° Hæc est nobilissima et gloriosissima prosapia ducum Brabantiæ (fol. 1^{r}-2^{v}).

Sub hoc titulo venit aliquod stemma quod exhibet ducum Lotharingiæ genealogiam a Karlomanno ad Joannem tertium; eadem eorum series est, additis Joanne I, II, III, quæ in *Genealogia ducum Brabantiæ metrica* a J. Heller edita in *Mon. Germ.*, Scr. tom. XXV, p. 400 sqq. (Cfr. ibid., p. 399, l. 25 sqq.). Primis nominibus usque ad Ludovicum pium appositi sunt versiculi ut plurimum duo (quatuor in Karolo Martello), iidem nempe qui in *Genealogia metrica* reperiuntur.

2° Hæc est prosapia modernorum regum Franciæ ... ex quo stirps Karoli Magni ... cessavit regnare in Francia (fol. 2^{v}-3^{v}).

Edit. ope hujus codicis in *Mon. Germ.*, tom. cit., pp. 397, 398.

3° [Vita S. Gertrudis] (fol. 3^{v}-106^{r} et 166^{v}-177^{v}).

Edita apud Ryckel, *Vitæ S. Gertrudis historicæ narrationes tres,* p. 105 sqq. et 35 sqq. Propter discrimina multimoda cum Ryckelii editione recensemus jam quæ et quo ordine in codice veniant.

1° Prologus editus supra, tom. I, p. 595 sqq., cum indice capitulorum edit. ibid., p. 596 sqq. — 2° Liber I edit. apud Ryckel, p. 107 sqq., cum iisdem omnino variantibus lectionibus quæ ex codice Bruxellensi 5649-67 indicatæ sunt supra, tom. I, p. 597-600. — 3° Post rubricas : *Explicit liber primus de carnali generositate sanctæ Gertrudis. Incipit de nobilitate ipsius spirituali liber secundus,* venit prologus libri II (Ryckel, pp, 142, 143), tum prologus qui Vitæ S. Gertrudis alteri præponitur in codice Reginæ Sueciæ *(Act. SS.*, tom. II Mart., p. 594, annot. *a)*, inde initium Vitæ alterius ex eodem codice (ibid., annot. *c)*. et ejusdem Vitæ num. 2 prima phrasis paulum amplificata. — 4° Vita edita apud Ryckel, p. 35 sqq.; sed deest additio ex codice Bruxellensi 5649-67 indicata supra, tom. I, p. 600 med.; et capita XIV, XV,

XVI (Ryckel p. 66-77) aliis verbis narrata fere sunt et paulo brevius. — 5° Prologus in lib. III (Ryckel, pp. 145, 146), tum libri III, cap. I-XII, eodem modo disposito, atque in cod. 5649-67 (Vide supra, p. 600 med.). — 6° Miraculum editum in *Act. SS.*, tom. II Mart., p. 600, num. 5 usque ad verbum *veneratur*. — 7° Tandem fol. 166ᵛ-177ᵛ additum est caput XIII, libri III (Ryckel, p. 181-193).

4° De sancta Ydulberga (fol. 106ᵛ-113ʳ).

Lectiones novem eædem, ut videtur, de quibus Henschenius in *Act. SS.*, tom. II Maii, p. 308, num. 5.

5° [Sermo in laudem sanctæ Gertrudis] (fol. 113ᵛ-130ʳ).

Sermo de quo supra, tom. I, p. 600, 2°.

6° [Sermo alter de eadem] (fol. 130ʳ-145ʳ).

Inc. *Mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia. Secretum regis celare bonum est; opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est. Thob. IX. — Propter quod ego dubitans...*

7° Genealogia illustrissimorum ducum Lotharingiæ et Brabantiæ ... (fol. 145ᵛ-162ʳ).

Edit. ope hujus codicis in *Mon. Germ.*, Scr. tom. XXV, p. 392-397.

CLXXII. Codex signatus n° 11448.

Foliorum 60, formæ minoris (0^m,185 × 0,144), lineis plenis, una manu exaratus anno 1223 si fidem facit hæc ipsa temporis notatio ascripta, sed alia manu, ultimo folio ad calcem. Tituli rubricati sunt, litteræ majores alternis vicibus rubeo cæruleoque colore depictæ nitide ac venuste exornatæ sunt. Ipse scriba codicis originem manifestam fecit hac nota quam ad finem addidit : *Liber sanctæ Mariæ in Parcho Dominorum juxta Lovanium. Si quis abstulerit, anathema sit. Amen. Amen. Fiat, fiat.* Alia vero manus subjunxit : *Explicit liber sanctæ Mariæ in Parcho. Si quis abstulerit, anathema sit. Amen;* tertia iterum : *anno 1223;* quarta tandem : *Me usus est frater Petrus Scievaerts Leuwensis nondum professus a° 1598 29 maii. Requiescat in pace.* In initio codicis præfixa sunt folia chartacea duo in quibus nonnulla levioris momenti seculo XVI descripta fuerunt. Olim coreo tegumenti inustum est ex utroque latere scutum, quod improbus quidam fere penitus corrasit, sed ex collatione hujusce codicis cum codice 11550 certo concludi potest scutum illud fuisse Parchense. Totum codicem complet documentum unum, cujus titulus conscriptus in recto folii papyracei 1 talis est

Vita sanctissimi patris nostri Norberti archiepiscopi Magdeburgensis, fundatoris Ordinis Præmonstratensis.

Edita in *Act. SS.*, ad d. 6 Junii, tom. I, p. 819 sqq.

CLXXIII. Codex signatus nº 11449-51.

Hic codex formæ minoris (0^m,194 × 0,135) constat tribus codicibus quorum primus chartaceus foliorum 96 et secundus membraneus foliorum 64 nihil ad hagiologiam spectant. Restat ergo ut de tertio, membraneo, foliorum 19 agatur.

Hic lineis plenis graphide ductis exaratus est sec. XIV. Tituli rubricati, litteræ majores alternis vicibus rubeo cæruleoque depictæ ac venuste exornatæ sunt. Ex codicis tegumento patet ipsum olim fuisse Parchensem.

1º Vita S. Leonardi abbatis (fol. 1^r-11^r).

Edita apud Arbellot, tom. sæpe cit.

2º Translatio sive miracula S. Leonardi (fol. 11^r-19^r).

Hic in cod. descripta sunt hæc miracula ibid. edita, scilicet miracula edit. p. 289, § 1, p. 59 sqq. num. II, III, gallico sermone, p. 290 sqq., §§ 2, 3, p. 62 num. VI gallico sermone, p. 292 sqq., 29 § 4-6.

CLXXIV. Codex signatus nº 11550-55.

Hic codex formæ majoris (0^m,416 × 0,284) primitus constabat foliis 227, quibus seculo XVII a compactore annexa fuerunt fragmenta quinque ætate, manu, immo longitudine ac latitudine diversa. Ipse codex binis columnis, lineis graphide ductis, exaratus una manu sec. XIII ineunte divisus est in partes duas, quarum utrique, scilicet foll. 1^v, 80^v, amanuensis indicem contentorum præscripsit. Vix necesse est moneatur, codice jam compaginato, priori indici asscripta fuisse quæ singulis fragmentis continentur. Tituli rubricati sunt, itemque litteræ majores, quæ sæpius ita exornatæ sunt ut flexionibus suis phantasticum quoddam reptile exhibeant. Reliquis omnibus insigniores sunt litteræ illæ duæ quibus tam prior quam posterior pars incipit. Harum enim interiora complet veluti musivum aliquod opus aureis lineolis fulgens. Tandem in artificis commendationem notasse juvabit S. Nicolai effigiem initio ejusdem pontificis Vitæ. Codex pertinuit ad abbatiam Parchensem. Etenim fol. 1^r hæc scripta sunt: *Parcum Dominorum prope Lovanium.* Insuper tegumento ex utroque latere scutum abbatiæ impressum erat. Illud improbus quidam eradere tentavit at minori successu, nam in sinistro latere diligenter inspicienti hæ voces *Bibliotheca Parchensis* manifesto apparent.

1º Vita S. Nicholai episcopi (fol. 1^v-12^r).

Edita apud Falconium sæpe cit., in cod. in singulis numeris, scilicet V et seqq., usque ad num. X nonnulla sunt omm.; numm. XII, XIII, descripti sunt secundum

versionem Mombritianam. Subsequitur in cod. ex Falconio num. xiv*bis* impressus p. 126 usque ad *more pristino cœpit,* deinde num. xiv (p. 122) et sqq.; post num. xix inserta sunt miracula duo edita in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 151-156, omissa ultima phrasi *(Ejus itaque),* postea num. xxi om. prima phrasi *(Restat-judicavimus),* num. xxii, ac num. xv*bis* editus inter annotata p. 126.

2° Passio S^tæ^ Luciæ virginis (fol. 12r-13v).

Edita apud Surium ad d. 13 Decembris.

3° Passio S. Thomæ apostoli (fol. 13v-18v).

Edita apud Mombritium, tom. II, in cod. multæ occurrunt lect. variantes.

4° Vita S. Silvestri papæ (fol. 18v-28v).

Contracta ex Vita edita apud Mombritium, tom. II.

5° Vita S. Hylarii episcopi (fol. 28v-31r).

Vita auctore Fortunato edita in *Act. SS.*, ad d. 13 Jan., tom. I, p. 790-793; prol. om.

6° Vita S. Remigii archiepiscopi (fol. 31r-42r).

Vita auctore Hincmaro edita ibid., ad d. 1 Oct., tom. I, p. 131-166. In cod. prologus, ac passim multa sunt omm.

7° Passio S. Sebastiani martyris (fol. 42r-53v).

Edita ibid., ad d. 20 Jan., tom. III, p. 265-278.

8° Passio Stæ Agnetis virginis et martyris (fol. 53v-56r).

Edita ibid., p. 351-354.

9° Passio S. Vincentii martyris (fol. 56r-59r).

Edita ibid., p. 394-397.

10° Passio Stæ Agathæ virginis (fol. 59v-61r).

Edita ibid., ad d. 5 Feb., tom. I, p. 615-618, num. 1 om.

11° Sermo de Sto Mathia apostolo (fol. 61r-62r).

Incipit : *Cum præclara beati Mathiæ apostoli festivitas per anni cursus revolutionem se repræsentat, maximæ jocunditatis gaudium nobis merito multiplicat.*

12° Vita beati Gregorii papæ (fol. 62r-67r).

Vita edita in *Act. SS.*, ad d. 12 Martii, tom. II, p. 130. In cod. foll. 63r ac 63v insertæ membranulæ duæ, in quibus amanuensis descripsit quæ prius oscitantia omiserat.

13° Passio S. Marci evangelistæ (fol. 67r-68r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Aprilis, tom. III, p. 347-349, sub titulo *Apostolatus Alexandrinus.*

14° Passio beati Jacobi apostoli fratris Domini (fol. 68r-69r).

Vide supra, tom. I, p. 203, 4°.

15° Assumptio S. Phylippi apostoli (fol. 69r-69v).

Vid. ibid., p. 202, 3°.

16° De inventione sanctæ Crucis (fol. 69v-71v).

Edit. apud Mombritium, tom. I.

17° Vita S. Servatii Tungrensis episcopi (fol. 71v-80v).

Contracta ex Vita auctore Jocundo, de qua cfr. *Monum. Germ.*, Scr. tom. XII, p. 85 sqq.

18° Passio SS. Johannis et Pauli martyrum (fol. 81r-83r).

Vide supra, p. 217, 12°.

19° De septem dormientibus (fol. 83r-85v).

Vide supra, ibid., 13°.

20° Translatio S. Benedicti Abbatis (fol. 85r-88v).

Narratio auctore Adalberto edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Martii, tom. III, p. 302-305.

21° Passio beatorum apostolorum Petri et Pauli (fol. 89r-94r).

Epistola Marcelli.

22° Passio S. Petri apostoli (fol. 94r-97r).

Lib. I epistolæ beati Lini.

23° Passio S. Pauli apostoli (fol. 97r-100v).

Lib. II epistolæ beati Lini, cui in cod. præmissi sunt ex lib. II *Historiæ apostolicæ*, num. I-V.

24° Vita beati Marcialis apostoli (fol. 100v-109r).

Edita apud Surium, ad d. 30 Junii, num. I-XXIII.

25° Transitus ejusdem apostoli ad Dominum (fol. 109r-110v).

Edit. ibid., num. XXIV-XXVII.

26° Transitus Stæ Mariæ Magdalenæ (fol. 110v-111v).

Editus apud Faillon sæpe cit., tom. II, p. 433-436. In cod. Vitæ præpositus est prologus. Desinit vero *introeat, ac si fides poscentis meretur, larga exinde annuente Christo quisque tam animæ quam corporis reportat beneficia, cui est honor et gloria per immortalia secula amen.*

27° Translatio corporis Stæ Mariæ Magdalenæ (fol. 111v-113r).

Vid. *Anal. Boll.*, tom. I, p. 516, 69°.

28° Passio S. Jacobi apostoli (fol. 113r-115r).

Edita apud Mombritium, tom. II.

29° Relatio de inventione reliquiarum S. Stephani prothomartyris, Gamalielis et aliorum (fol. 115^{r}-117^{r}).

Edita apud Surium ad d. 3 Augusti.

30° Passio S. Syxti episcopi (fol. 117^{r}-118^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 6 Aug., tom. II, pp. 140, 141. Incipit vero : *In diebus illis Decius Cesar et Valerianus præfectus...*

31° Passio S. Laurentii martyris (fol. 118^{r}-120^{r}).

Edita apud Mombritium, tom. II.

32° Passio S. Ypoliti martyris sociorumque ejus (fol. 120^{r}-121^{v}).

Edita ibid., tom. II.

33° Passio S. Bartholomei apostoli (fol. 121^{v}-123^{v}).

Vide supra, p, 37, 39°.

34° Vita beati Augustini episcopi et confessoris (fol. 123^{v}-134^{r}).

Vita auctore Possidio edita in *Act. SS.*, ad d. 28 Aug., tom. VI, p. 427-440. In cod. descripta est epistola ad Honoratum episcopum omissa in *Act. SS.*, (vid. annot. *i*, p. 441) edita vero apud Migne, P. L., tom. XXXIII, p. 1013 sqq., epist. CCXXVIII.

35° Vita S. Egidii abbatis (fol. 134^{r}-136^{v}).

Edita ibid., ad d. 1 Sept., tom. I, p. 299-303.

36° Vita S. Remacli Tungrorum episcopi (fol. 136^{v}-138^{v}).

Edita ibid., p. 692-695.

37° De miraculis ejusdem sancti viri (fol. 138^{v}-141^{r}).

Editum ibid., p, 696-703. Sed in cod. num. 18-29 om.; prologus habet variantes lectiones editas ibid., annott. *a*, *b*, p. 696.

38° In exaltatione $S^{tæ}$ Crucis (fol. 141^{r}-142^{v}).

Edita apud Mombritium, tom. I.

39° Passio S. Lamberti martyris (fol. 142^{v}-148^{v}).

Passio auctore Stephano Tungrorum episcopo edita in *Act. SS.*, ad d. 17 Sept., tom. V, p. 581-588. Sed om. num. 31 et pars num. 32 *(Quid plura — et ipsi opere insidiari)*, et pro his ponuntur ex Vita auctore Sigeberto Gemblacensi edita ibid., p. 589 sqq., num. 33-45, p. 595-598, om. tamen ultima phrasi num. 40 *(Helias in cælum-calicem Domini)*.

40° Passio S. Mathei apostoli (fol. 148^{v}-152^{r}).

Edita apud Mombritium, tom. II.

41° Passio S. Mauricii sociorum ejus (fol. 152^{r}-154^{v}).

Edita apud Surium ad d. 22 Sept.; prol. om.

42° Vita beati Ieronimi presbiteri (fol. 154^{v}-157^{v}).

Edita apud Migne, P. L., tom. XXII, p. 201-214. Sed in cod. reperiuntur lect. variantes de quibus fit mentio p. 203, ann. *b*, p. 209 ann. *c*, ac p. 213 ann. *c*.

43° Passio SS. Dyonisii martyris sociorumque ejus (fol. 157^{v}-166^{v}).

Edita apud Surium ad d. 9 Oct., in cod. præfixus est prologus editus in *Act. SS.*, tom. IV Oct., pp. 925, 926, numm. 1, 2.

44° Inventio ejusdem martyris a rege Dagoberto (fol. 166^{v}-168^{r}).

Vide supra, p. 3, 13°.

45° Revelatio quæ ostensa est sancto papæ Stephano (fol. 168^{r}-168^{v}).

Ibid., 14°.

46° Sermo in natale S. Gereonis martyris sociorumque ejus (fol. 168^{v}-171^{r}).

Sermo auctore Helinando monacho Cisterciensi editus in *Act. SS.*, ad d. 10 Oct., tom. V, p. 36-40.

47° Sermo in solemnitate sanctarum undecim milium virginum (fol. 171^{r}-172^{v}).

Editus ibid., ad d. 21 Oct., tom. IX, pp. 154, 155.

48° Passio earumdem (fol. 172^{v}-175^{v}).

Edita ibid., p. 157-163. Sed in cod. incipit: *Fuit in Britanniæ finibus rex quidam Deo notus*... Deinde num. 16 om., num. 21 præter primam phrasim *(Famula igitur-laudibus impendatur)*, ac num. 22.

49° Passio beatorum apostolorum Simonis et Judæ (fol. 175^{v}-179^{r}).

Vide supra p. 211, 5°.

50° Passio S$^{t\ae}$ Ceciliæ virginis (fol. 179^{r}-182^{r}).

Pars prior Passionis editæ apud Mombritium, tom. I.

51° Passio Tyburtii et Valeriani martyrum (fol. 182^{r}-184^{v}).

Edita ibid., continuo post præcedentia.

52° Passio S. Clementis papæ et martyris (fol. 184^{v}-187^{r}).

Edita apud Mombritium, tom. I; sed non paucæ occurrunt variantes lectiones.

53° Passio S. Andreæ apostoli (fol. 187r-188v).

Epistola ecclesiarum Achaiæ.

54° Relatio Miletonis episcopi Laodicensis de miraculis S. Johannis apostoli et evangelistæ et assumptione ejus (fol. 188v-192r).

Vide supra, p. 281, 57°.

55° Passio Caterinæ virginis (fol. 192r-201r).

Edita in *Act. SS. Hiberniæ*, num. 42 om.

56° Vita S. Lucæ evangelistæ (fol. 201r-202r).

Incipit : *Lucas juxta traditionem veterum ecclesiæ tractatorum syrus natione Antiocensis, medicinæ artis peritissimus extitit, magisque græcas litteras quam hebreas scivit.*

57° Vita S. Alexii (fol. 202r-203v).

Edita supra tom. I, p. 223 sqq.

58° Vita S. Gertrudis virginis (fol. 203v-209v).

Retractatio satis prolixa Vitæ edit. in *Act. SS.*, tom. II Martii, p. 594 sqq., num. 1-19, cum Appendice I (ibid., p. 599). Diversa multum est hæc scriptio in vita Gertrudis narranda a Vita edita apud Ryckel, p. 35-101; conveniunt tamen verbo tenus retractationis loci aliqui miraculorum cum Ryckeliana editione, ut cum iis quæ habentur, p. 88 *Igiur postquam...*, usque ad p. 101.

59° In natale Stæ Julianæ virginis ac martyris (fol. 209v-212r).

Passio edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Febr., tom. II, p. 873 sqq. In cod. inc. *Temporibus Maximiani imperatoris, persecutoris christianæ religionis, erat quidam senator in civitate.*

60° Vita S. Vedasti episcopi (fol. 212r-212v).

Fragmentum Vitæ auctore Alcuino editæ in *Act. SS.*, ad d. 6 Feb., tom. I, p. 794 sqq.; scilicet num. 5-8.

61° Passio S. Policarpi martyris (fol. 212v-214r).

Vide supra, p. 270, 32°.

62° Passio sanctorum martyrum Gervasii et Prothasii (fol. 214r-215r).

Passio auctore Sto Ambrosio edita in *Act. SS.*, ad d. 19 Junii, tom. III, pp. 821, 822, num. 17-23.

63° Passio sanctorum Marcellini presbyteri et Petri exorcistæ (fol. 215r-216r).

Edita ibid., ad d. 2 Junii, tom. I, p. 171-173; num. 14 ultima phrasis *(Quorum corpora...)* om., cfr. ann. *n.*, p. 173.

64° Passio SS. Primi et Feliciani (fol. 216r-217v).

Vide supra, tom. I, p. 10, 37°.

65° Vita S. Symeonis qui in columpna stetit (fol. 217v-219v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 5 Jan., tom. I, p. 269 sqq.

66° Passio S. Gordiani martyris (fol. 219v-220v).

Edita ibid., ad d. 10 Maii, tom. II, p. 552-553.

67° De obitu Petronillæ et passione Feliculæ (fol. 220v-221r).

Editum in Passione SS. Nerei et Achillei in *Act. SS.*, ad d. 12 Maii, tom. III, pp. 10, 11, num. 15-17; sed prima phrasis num. 15 et ultima num. 17 omm.

68° Passio SS. Nerei et Achillei et Domitillæ Euphemiæ et Theodoræ (fol. 221r-222v).

Edita ibid., p. 6-9, num. 1-11.

69° Hæc scripta de passione ejus (fol. 222v).

Edita ibid., p. 11, num. 18, cum initio num. 19 itemque num. 20 usque ad: *rapuit populus christianorum, et cum magno honore sepulto in Christi nomine super eum basilicam fabricavit.*

70° Passio S. Christophori martyris (fol. 222v-224r).

Incipit: *Fuit igitur gloriosus sanctus Christophorus in humana effigie Chananeus, sed operibus bonis christianus. In quo Christus ut palma floruit, quem etiam divino imbre nubis baptizavit.*

71° Passio S. Eustachii martyris sotiorumque ejus (fol. 224r-227v).

Vid. supra, p. 9, 67°.

72° [Passio Stæ Margaretæ virginis et martyris] (fol. 227r-232v).

Edita apud Mombritium, tom. II.

73° In translatione beati Augustini (fol. 233r-233*bis* r) (1).

Narratio auctore Philippo abbate Bonæ Spei edita apud Migne, P. L., tom. CCIII, p. 1230-1234. Incipit: *Nunc videtur congruum...* (ad calcem p. 1230).

74° Textus miraculorum Sti Andreæ apostoli (fol. 240r-250r).

Vide *Anal. Boll.*, tom. III, p. 189, 1°.

(1) Fol. 233*bis* nullo numero signatum est, nam non est nisi dimidia folii pars.

CLXXV. Codex signatus n° 12014-41.

Foliorum 294, formæ mediæ (0m,292 × 0,226), binis columnis, lineis graphide ductis, a diversis manibus exaratus sec. XIII jam adulto. Tituli fere omnes rubricati, litteræ majores rubeo cæruleoque depictæ parce at nitide exornatæ sunt.

Hæc sunt codicis fata. In membrana tegumento adhærenti hæc scripta : 1° *Hic est Augustinus de Confessionibus cum aliis libris multis et est unum de tribus voluminibus legatis* * *monasterio S. Jacobi Leodiensis ex parte magistri Berneri de Nivella, ecclesiæ sancti Martini Leodiensis quondam cantoris, ut reponatur in archivo librorum cum aliis ad perpetuam refectionem spiritualem fratrum, qui in eisdem legere voluerint.* — 2° *Liber monasterii sancti Jacobi Leodiensis* (1). — 3° Scutum Domini *Le Candele* chartulæ papyraceæ impressum agglutinatum est eidem tegumento. Ad hagiologiam quod spectat, hoc unum notandum est documentum :

* *cod.* legatus.

Epistola S. Dyonisii ad Tymotheum super morte Apostolorum Petri et Pauli (fol. 162v-163v).

Vide supra, tom. I, p. 334.

CLXXVI. Codex signatus n° 12131-50.

Hic codex foliorum 159 (2), formæ minoris (0m,139 × 0,097), constat fragmentis pluribus in unum compaginatis, quæ tum ad sec. XII tum ad XIII pertinere videntur. Conscripta vero sunt lineis plenis, partim stylo ferreo, partim graphide deductis. Tituli non pauci rubricati sunt, itemque litteræ majores, quæ subinde paululum exornatæ sunt. Codicis origo innotescit ex sequenti nota manu antiqua inscripta fol. Iv *liber [cœno]bii S. Jacobi Leodiensis* ac *Jacobi R. 24.* Aliquid simile scilicet *Liber S. Jacobi in Insula,* scriptum est 176v manu recenti. In cod. præter libellum de *Pœnis purgatorii* editum apud Colgan *Trias Thaumaturga,* p. 273 sqq. hæc notanda sunt :

1° Vita Joachim et Annæ Mariæ Virginis matris Domini (fol. 1v-16r).

Pseudo Matthæi evangelium editum apud Tischendorf, *Evangelia Apocrypha,* p. 50 seqq. In cod. om. prol.

(1) Hæc iterum bis scripta sunt fol. 294r. — (2) Omisso primo folio recens quædam manus folia singula usque ad fol. 134 numeris signavit ; at desiderantur foll. 28, 78-93. In documentorum indice codicis notationem secuti sumus.

2° De miraculis beatæ Mariæ (fol. 134r-134v et 142r-143r).

Hic 1° relata sunt tria miracula quæ contigerunt in Dolo civitate; scilicet quomodo in ore oculisque Josberti monachi jam vita functi rosæ subito effloruerint; quomodo statua lapide impetita sese quasi vivens commoverit, sanguinemque emiserit; quomodo Anselmus de Marbais sanitatem recuperaverit. 2° vindicta quæ cælitus sumpta est de decano de Christkerka, haud procul Wintonia sita, quod argenti fame cæcatus ecclesia sua ejecerit illos, qui feretrum beatæ Mariæ circumferebant.

3° Miracula S. Jacobi majoris (fol. 139v-141v).

Præmissa brevi narratione de adventu corporis S. Jacobi in Hispaniam (vid. supra, tom. I, p. 66 sqq.) factaque mentione de peregrinatione Caroli Magni ad S. Jacobum relata sunt, stylo paululum immutato, miracula quæ edita sunt in *Act. SS.*, ad d. 25 Julii, tom. VI, p. 47 sqq., num. 190-198.

4° De miraculis quæ Deus fecit pro Carolo magno imperatore et Rothlando nepote suo (fol. 150v-151v).

Capita XVII et XVIII historiæ Pseudo Tulpini, (apud Reuber, *Veter. Scr.*, p. 107-110), quorum primum paulo, alterum multo contractius est scriptum.

5° Miracula beati Stephani prothomartyris (fol. 151v-157r).

Narratio contracta ex ea quæ edita est apud Migne P. L., tom. XLI, p. 833 sqq.; in cod. add. ex lib. XXII *De civitate Dei*, num. 10-17 (Migne, ibid., p. 766, 767).

6° Translatio S. Stephani (fol. 157r-159r).

Vide supra, tom. I, p. 36, 64°.

7° [De inventione capitis beatæ Margaretæ virginis et martyris] (fol. 159r-159v).

Edit. in *Anal. Boll.*, tom. VI.

8° Miraculum de sancto Stephano (fol. 160r-161r).

Edit. supra, tom. I, p. 77-79, num. 7-10, et initium num. 11 *(ingrata flagella)*.

9° Aliud miraculum de sancto Stephano (fol. 161r-161v).

Vid. ibid., num. 12.

10° Miracula beati Martini (fol. 163v-165v).

In cod. relata sunt hæc miracula : 1° de sanguine Thebæorum vid. supra, p. 33, 45° B ; 2° miracula de quibus mentio fit supra tom. I, p. 486, cap. XIV-XVIII; 3° ea quæ edita sunt in *Anal. Boll.*, tom. III, p. 231 sqq., num. 3-10.

11° De sancto Hieronimo et Leone (fol. 165v-166r).

Vide supra, p. 40, 72°.

12° Iterum de sancto Martino (fol. 166r-166v).

Relatum est de his quæ Pictavis contigerunt, dum huc, propter aliquam seditionem in Turonica civitate exortam, sancti Martini corpus delatum est.

CLXXVII. Codex signatus n° 14582-90.

Foliorum 103, formæ minoris (0^m,224 × 0,14), lineis ut plurimum plenis, stylo ferreo ductis, exaratus sec. XII ineunte. Titulorum non pauci rubricati, alii manu seculi XVI præscripti. Litteræ majores, sat sæpe rubro colore depictæ non ineleganter exornatæ sunt. Ex tegumento, in quo etiamnunc scuti olim inusti vestigia deprehenderis, statues codicem ad Parcum Dominorum pertinuisse.

Inter varia Prudentii opera quæ in codice continentur, reperies fol. 8 sqq. carmen *Peristephanon* nuncupatum.

CLXXVIII. Codex signatus n° 14650-59.

Hic codex formæ mediæ (0^m,286 × 0,208), dum olim compactori traditus fuit, complectebatur saltem folia 251, at postea ab improbo quodam avulsa fuere folia signata numeris 1 ad 81. Sed jam inde a seculo XV, ut conjici licet, plures codices in unum coadunati erant, quorum omnium præcipuus is erat qui a folio 84 ad folium 243 pertinet, quique saltem seculo X exaratus est. Folia 82 ac 83 sunt seculi XV, nec alius ætatis folia 244-248 licet folia 247v ac 248, alia manu descripta sint, folium 249, quod ut præcedens numero caret, potius seculi XIV dicemus.

Codex seculi X descriptus lineis plenis stylo ferreo ductis. Tituli alias rubricati, alias manu seculi XV vel etiam recentiori præscripti. Litteræ majores aliquando rubeo colore depictæ, aliquando oppletæ sunt rubro flavoque colore. Quædam multo insigniores venustam illam speciem præbent quæ in codicibus ævi Carolingici non semel offenditur. Ad codicis fata hæc ex notis ascriptis certa sunt. In chartula tegumento agglutinata impressum hoc Musei Bollandiani signum **P** MS 16 (1). Ipsi vero membranæ tegumento adhærenti inscripta sunt sequentia *Cornelii Duijn Aëmstelredamensis Hagæ Comitis Hollandiæ anno Domini MVI^cVIII,* quæ iterum leges fol. 82r, (ibi annus notatur *MDCVII)* ubi etiam invenies aliquem contentorum indicem.

(1) Scriptum est in adversa parte folii primi quod signo numerico vacat, æque ac fol. 82r.

1° Vita S. Remacli episcopi (fol. 83v-89r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 3 Sept., tom. I, p. 692-695; prol. om.

2° Tractatus de miraculis S. Remacli (fol. 89r-98v).

Edit. ibid., p. 696-703; in cod. numm. 18-24 ac 27-29 omm.; cfr. ibid., ann. *e*, p. 703.

3° Versus in laude beati Lantberti (fol. 99r-99v).

Editi in *Bulletin de l'Institut archéologique liégeois*, tom. XIII, p. 418-420.

4° Vita et passio beati Lantberti episcopi (fol. 100r-116v).

Edita ex hoc cod. in *Act. SS.*, ad d. 17 Sept., tom. V, p. 581-588. — Fol. 100r in margine superiori a manu sec. XV hæc scripta sunt: *Stephani Tungrorum episcopi ad Hermannum Coloniensem archiepiscopum descriptio Vitæ sancti Lantberti Leodiensis episcopi post Godescalcum diaconum.*

5° Unde supra. Antiphonæ et Responsoria [de S. Lamberto] (fol. 117r-119v).

Officium S. Lamberti edit. in *Bull. de l'Inst. arch. liég.*, tom. cit., p. 389 sqq.

6° Antiqua Dei miracula in honore Lantberti martyris nostris temporibus innovata (fol. 119v-122v).

Edita ibid., p. 515 sqq.

7° [Vita metrica S. Lamberti] (fol. 127r-140v).

Edita ex hoc cod. apud de Reiffenberg *Annuaire de la Bibliothèque royale*, an. 1847, p. 104 sqq.; excerpta non pauca sunt in *Act. SS.*, tom. cit., p. 519 sqq., num. 11 seqq. Edita quoque est ex cod. Vaticano 8565 a Jos. Dumarteau in *Bulletin de l'Institut archéologique liégeois*, tom. XIII, p. 395 sqq.

8° Ymnus sancti Lantberti (fol. 140v).

Edit. ibid., p. 418, et apud de Reiffenberg, tom. cit., p. 126.

9° Vita et passio beati Leodegarii (fol. 141r-166v).

Edita ope huj. cod. in *Act. SS.*, ad d. 2 Oct., tom. I, p. 483 sqq.

10° Vita beati Amandi episcopi atque confessoris (fol. 167r-180v).

Vita auctore Baudemundo edita ibid., ad d. 6 Febr , tom. I, p. 849 sqq. — Fol. 168 manus sec. XV notavit: *Philippi abbatis Elnonensis descriptio, ut putatur, vitæ S. Amandi,* at continuo manus sec. XVI correxit addendo *Imo potius Baudemundus.*

11° Textus Vitæ almi Hugberti antistitis (fol. 181r-210r).

Vita auctore Jona edita ope hujus cod. ibid., ad d. 3 Nov., tom. I, p. 806 sqq.

12° De miraculis ejusdem almi Hucberti (fol. 210v-221v).

Edit. ex hoc cod. ibid., p. 819 sqq.

13° Vita ac virtutes felicissimi patris Trudonis presbiteri (fol. 222r-243r).

Vita auctore Donato edita in *Act. SS. Belgii*, tom. V, p. 23 sqq.; in cod. ob folia avulsa quædam desiderantur : ita finis cap. VIII, cap. IX et initium cap. X; deinde fere totum cap. XIX, cap. XX-XXVIII, tandem initium cap. XXIX.

14° Vita S. Eucherii episcopi Aurelianensis (fol. 244r-247v).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 20 Feb., tom. III, p. 217 sqq.

CLXXIX. Codex signatus n° 14775-76.

Foliorum 8, formæ mediæ (0m,305 × 0,198), una manu exaratus extremo seculo XI. Tituli rubricati; litteræ initiales rubro etiam colore depictæ. In compaginando male ordinata sunt folia, ita ut hoc ordine volvenda sint : 1, 2, 6, 4, 5, 3, 8, 7. Quod ceteroquin indicatur numeris recentiore tempore in foliorum capite appositis. Codex, cujusnam ævo recentiori fuerit, manifestum facit scuto gentilicio quod chartulæ impressum parti aversæ tegumenti agglutinatum est. Continentur in codice mutilo :

1° [De vita Karoli Magni] (fol. 1r-3r).

Vitæ Pseudo Tulpini ultima capita, scil. ab extremo cap. XXVI *(quatuor plagas cæli; et sic digna morte discerptus interiit)* ad finem (apud Reuber, *Veter. Script.* [3], p. 118-123). Subjunguntur nonnulla de Rolando, Tulpino, Altumajore Cordubæ, edita apud de Reiffenberg, *Chronique rimée de Philippe Mouskes,* tom. I, p. 629-632.

2° Translatio sancti Jacobi apostoli fratris Johannis evangelistæ quæ III kal. januarii celebratur, qualiter a Jerosolimis translatus est in Galetiam (fol. 3r-4v).

Edit. supra tom. I, p. 66-69 (usque ad num. 8, lin. 37, *in secula seculorum. Amen.*) et ex hoc codice a de Reiffenberg, *Bulletins de l'Acad. roy. de Bruxelles,* tom. XI, part. I, p. 178-183. Præmissus est in codice locus de Navarris editus ibid., pp. 177, 178. Sequitur vero (fol. 4v-8v) narratio captæ urbis Hierusalem et belli sacri a Friderico I imp. suscepti, qualis ex hoc codice edita est ibid., p. 45-65.

CLXXX. Codex signatus n° 14924-34.

Hic codex formæ mediæ (0^{m},276 × 0,207), constat duobus codicibus inter se bene distinctis. Prior foliorum 8, duplici columna, lineis graphide ductis exaratus est sec. XIV. Tituli rubricati sunt, litteræ majores alternis vicibus rubeo cæruleoque colore depictæ nitide exornatæ sunt. Posterior foliorum 153, binis columnis exaratus est ineunte sec. XII. Tituli rubricati itemque litteræ majores fere omnes. Subinde variis coloribus adhibitis vermiculator eas nimio ornatu venustare sategit. Meliora forsan suæ artis documenta reliquit, dum æterni Patris speciem fol. 1^{r} ac sancti Bartholomei effigiem fol. 59^{r} repræsentavit. Codex olim fuit S. Petri Lobbiensis. Etenim ipse scriba sec. XII fol. 9^{r} continuo post indicem contentorum addidit : *Liber sancti Petri Lobbiensis ecclesiæ. Servanti benedictio, tollenti maledictio. Amen.* Paulo inferius manus recentior : *Liber sancti Petri Lobiensis ecclesiæ anno 1568.* Animadvertatur tandem ad calcem fol. 8^{v} sequentia scripta esse : *Lan M $\overset{ccc}{III}$ $\overset{x\,x}{IIII}$ et XVIIII III join devant gisereche fut vestis dan Jehan Gile de Barbenchon en leglize saint Piere de Lobbes et le vestit le abbes dan Biertran de Montigni et tous li convens per le grasse de Dieu. Amen. Amen.* Unde manifestum et priorem codicem fuisse Lobbiensem.

1° Dulcis et egregii Gisleni vita patroni (fol. 1^{r}-8^{v}).

Edita ope hujus cod. in *Anal. Boll.*, tom. V, p. 212 sqq.

2° Assumptio S. Johannis apostoli apud Ephesum (fol. 41^{v}-48^{r}).

Epistola Melitonis.

3° Relatio de sancto Johanne secundum ecclesiasticam historiam (fol. 48^{r}-49^{v}).

Est narratio de adolescente ad meliorem frugem reducto per apostolum.

4° Passio S. Jacobi Domini (fol. 53^{v}-54^{v}).

Vide supra, tom. I, p. 203, 4°.

5° Assumptio S. Philippi apostoli Domini nostri Jesu Christi (fol. 54^{v}-55^{v}).

Vide ibid., p. 202, 3°.

6° Passio S. Jacobi apostoli fratris beati Johannis evangelistæ (fol. 55^{v}-59^{r}).

Edita apud Mombritium, tom. II.

7° Passio S. Bartholomei apostoli, quæ celebratur nono kalendas Septembris (fol. 59^{r}-63^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Aug., tom. V, p. 34 sqq.

8° Translatio reliquiarum S. Bartholomei apostoli in Italiam (fol. 63v-65r).

Edit. ibid., p. 57 sqq., numm. 30, 36, 50-56.

9° Item translatio reliquiarum S. Bartholomei apostoli (fol. 65r-66v).

Edit. ibid., p. 61-62, num. 56-61.

10° Passio S. Mathei apostoli et evangelistæ (fol. 66v-72r).

Edita apud Mombritium, tom. II.

11° Passio sanctorum apostolorum Symonis et Judæ (fol. 72r-78v).

Edita ibid.

12° Passio S. Thomæ apostoli (fol. 78v-87r).

Edita ibid. Fol. 78v in margine alia manu descripta est *expositio vocabulorum palatii*, de qua vid. supra, tom. I, p. 252, 9°.

13° Vita S. Nicholai (fol. 87r-98v).

Edita apud Carminium Falconium, tom. sæpe cit.; in cod., ut jam sæpe, num. XII descriptus est secundum lectionem Mombritianam.

14° Item miracula beatissimi Nicholai episcopi atque confessoris (fol. 98v-106v).

In cod. scripta sunt : 1° quæ edita apud eumdem Falconium numm. XVII*bis*, XIV-XVII, XVIII-XX; 2° miracula duo edita in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 151-156; 3° quæ apud Falconium, numm. XXI, XXII.

15° Translatio corporis S. Nicholai episcopi (fol. 106v-107v).

Brevissimum compendium narrationis editæ in *Anal. Boll.*, tom. IV, p. 169 sqq.

16° Passio Stæ Agnetis virginis (fol. 107v-112r).

Passio auctore S. Ambrosio.

17° Passio Stæ Agathæ virginis (fol. 112r-115v).

Vide supra, p. 34, 12°.

18° Vita Stæ Aldegundis (fol. 115v-123v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 30 Jan., tom. III, p. 1035 sqq.


19° Vita Stæ Waldedrudis (fol. 123v-129r).

Edita ex hoc cod. in *Analectes pour servir à l'hist. eccl. de Belgique*, tom. IV, p. 218 sqq.

20° [Vita Stæ Gertrudis] (fol. 129r-154r).

Ea de qua supra, tom. I, p. 595 sqq. Omittuntur in codice prologus, capitula et

ultimum cap. lib. III. — Ante vitam hæc scripta sunt : *Sub Lothario, Dagoberto, regibus, rexit regnum major domus et gloriosus princeps Pippinus.*



21° Passio sanctorum undecim milium virginum (fol. 154^r-160^r).

Vid. supra, p. 7, 46°.

22° Passio S^{tæ} Fidis virginis (fol. 160^r-161^v).

Edita in *Act. SS.,* ad d. 20 Oct., tom. VIII, p. 823 sqq. In cod. num. 1 om., et in fine mutila desinit : *O inaudita judicia et impietas cur sanctum Domini* (num. 9, initio).

CLXXXI. Codex signatus n° 15111-28.

Nunc foliorum 155, nam in fine, codice jam compaginato, plures quaterniones avulsi fuerunt, formæ minoris (0^m,208 × 0,133), lineis plenis stylo ferreo ductis, exaratus seculo XI. Tituli rubricati sunt itemque litteræ majores. Membranæ adhærenti tegumento hæc scripta sunt : *Ms. acheté à la vente de M. Barthélemy Mercier, abbé de St-Léger, à Paris, an. 1799. Ex libris van Hulthem.* Additum est etiam hoc quod nuncupari licet ejus eruditissimi viri scutum. Continetur in cod. hoc documentum :

Inventio sanctæ Crucis, quæ est v° nonas Maii (fol. 11^r-15^v).

Edita apud Mombritium, tom. I.

CLXXXII. Codex signatus n° 18108.

Codex foliorum 194, formæ mediæ ($0^m,312 \times 0,223$), binis columnis, lineis stylo ferreo ductis, exaratus ineunte seculo XII. Tituli rubricati sunt itemque litteræ majores. Codicis origo innotescit ex sequentibus: fol. 2^r bis scriptum est: *Liber sancti Laubiensis* semel distincte manu sec. XVI, semel vix aliqua litterarum vestigia supersunt. Ad codicis calcem scriptæ sunt seculo XVIII nonnullæ sententiæ a quodam monacho qui se manifestum fecit his additis : *Hæc scripsit frater Antonius Moreau.* Manus sec. XVI descripsit fol. 2 indicem contentorum ac subinde aliquot lineas rescripsit, quæ sive usu sive temporum injuria nimis pallescebant.

1° Vita et passio gloriosi martyris Christi Præjecti (fol. 4^r-8^r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Jan., tom. I, p. 633 sqq. In cod. prol. om., ac subinde quædam prolixius effata sunt.

2° Passio Juliani et Basilissæ cum sociis eorum (fol. 8^r-23^r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 9 Jan., tom. I, p. 575 sqq.

3° Passio sanctorum Marii et Marthæ, Audifax et Abacuc, quæ est XIII kal. Februarii (fol. 23^r-25^v).

Vide supra, tom. I, p. 142, 34°.

4° Passio beatæ Caterinæ virginis, quæ est VII° kal. Decembris (fol. 25^v-37^r).

Edita in *Act. SS. Hiberniæ*, loc. sæpe cit., ultimus num. om.

5° Passio S^tæ^ Barbaræ virginis et martyris (fol. 37^v-39^r).

Vide supra, p. 18, 44°.

6° Vita beatæ Mariæ Magdalenæ (fol. 39^r-40^r).

Edita apud Faillon, tom. sæpe cit., p. 440 sqq. In cod. præpositus est prol. ac pro *Femina-coronatus* (in fine) in cod.: *Ac si fides meretur poscentis, larga exinde annuente Christo quisque tam animæ quam corporis reportat beneficia.*

7° Translatio corporis ejusdem a Badilone monacho (fol. 40^r-42^r).

Vid. *Anal. Boll.*, tom. I, p. 516, 69°.

8° Vita beatæ Beggæ (fol. 42^r-45^r).

Edita in *Act. SS. Belgii*, tom. V, p. 111 sqq. In cod. omm. num. 17 cum sqq.; insuper prologus diversus ab eo qui editus est, præpositus est Vitæ.

9° Vita gloriosissimi Hylarii (fol. 45^r-47^v).

Lib. I Vitæ auctore Fortunato editæ in *Act. SS.*, loc. sæpe cit.

10° Miracula beatissimi Hylarii (fol. 47ᵛ-50ᵛ).

Lib. II ejusdem Vitæ. Insuper in cod. addita sunt miracula quinque quæ in *Actis* edita non sunt : horum primum seu ex ipsa cod. notatione decimum editum est supra, tom. I, pp. 157, 158; de reliquis cfr. Append. — Fol. 52ʳ alia manu descripta leges varia signa ex quibus de tempestate prudenter statuere potueris.

11° Vita S. Felicis presbyteri et confessoris, cujus festivitas agitur XVIIII° kal. Februarii (fol. 51ᵛ-52ʳ).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Jan., tom. I, p. 951, fine tamen paululum immutato.

12° Vita atque passio beatissimi Marcelli martyris gloriosi (fol. 52ʳ-55ᵛ).

Vita auctore Ursione abbate Altimontensi edita ibid., ad d. 16 Jan., tom. I, p. 9 sqq.

13° Narratio manifestationis, et itineratio S. Marcelli martyris (fol. 55ᵛ-58ᵛ).

Edita ibid., p. 12 sqq.

14° Passio S. Georgii martyris (fol. 59ʳ-62ᵛ).

Vide supra, tom. I, p. 148, 74°.

15° Passio S. Cyrilli episcopi, quæ est VII idus Julii (fol. 62ᵛ-63ʳ).

Vide supra, tom. I, p. 29, 32°.

16° Passio S. Teogenis, quæ est III° nonas Januarii (fol. 63ʳ-64ʳ).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 3 Jan., tom. I, pp. 134, 135.

17° Passio SS. Fructuosi episcopi, Augurii et Eulogii diaconorum (fol. 64ʳ-64ᵛ).

Vide supra, tom. I, p. 139, 23°.

18° Passio S. Babillæ episcopi cum tribus parvulis, quæ est VIIII kal. Februarii (fol. 64ᵛ-66ᵛ).

Optime convenit cum Passione de qua actum est tom. I, p. 140, 27°. In cod. Passioni, quæ mutila non est, nullus præscriptus est prol.

19° Passio S. Pantaleonis martyris (fol. 66ᵛ-69ᵛ).

Vide supra, tom. I, p. 242, 23°.

20° Vita S. Egidii abbatis (fol. 69ᵛ-74ʳ).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Sept., tom. I, p. 299 sqq.

21° Vita S. Remacli episcopi et confessoris (fol. 74ʳ-77ʳ).

Edita ibid., ad d. 3 Sept., tom. I, p. 692 sqq.; prol. om.

22° Passio Stæ Teclæ virginis, quæ est VIIII° kal. Octobris (fol. 77r-81r).

Edita apud Mombritium, tom. II.

23° Passio S. Theodardi episcopi (fol. 81r-83v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Sept., tom. III, p. 588 sqq. In cod. om. maxima pars prologi ac subinde ea quæ exornandæ dictioni inserviunt.

24° Vita S. Autberti Cameracensis episcopi (fol. 83v-84v).

Compendium Vitæ quæ tribuitur Fulberto Carnotensi, edit. in *Act. SS. Belg.*, tom. III, p. 538 sqq.; scilicet præmissa procemii loco ultima parte prologi a Fulberto scripti (a vocibus: *Id vero lector a nobis curiosius...*), numeros 29 priores ita contrahit compendiator ut sententias integras e Vitæ fere exscribat, at plurimas omittat intermedias.

25° Vita S. Wlmari abbatis; XIII kal. Aug. (fol. 84v-85v).

Edita ex hoc cod. in *Anal. Boll.*, tom. III, p. 449 sqq.

26° Vita S. Theodulfi abbatis, quæ est kal. Maii (85v-87v).

Edita apud Mabillon *Act. SS. O. S.*, sec. I, p. 346 sqq.

27° Passio SS. Alexandri, Eventii et Theodoli martyrum (fol. 87v-89v).

Vide supra, tom. I, p. 206, 11°.

28° Vita S. Servatii episcopi et confessoris (fol. 89v-90v).

Edita ope hujus cod. in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 94 sqq.

29° Gesta sanctissimi patris nostri Martialis episcopi et confessoris propinqui S. Petri et discipuli Domini, cujus festivitas agitur II kal. Julii (fol. 90v-100v).

Edita apud Surium. ad d. 30 Junii.

30° Vita beati Theoderici abbatis, quæ est kalendas Julii (fol. 101r-106r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Julii, tom. I, p. 64-70.

31° Vita sanctissimi Alexis confessoris (fol. 106r-108v).

Edita ibid., ad d. 17 Julii, tom. IV, p. 251 sqq.

32° Passio beati Sixti papæ et martyris, quæ est VIII° idus Augusti (fol. 109r-110v).

Edita ibid., ad d. 6 Aug., tom. II, pp. 140, 141; sed in cod. om. ultima phrasis *(Noctu etiam venerunt...)*, et incipit: *In tempore illo Decius cesar et Valerianus præfectus jusserunt.* — Post sancti pontificis Passionem hæc scripta sunt: *Passionem S. Laurentii in parato libro require.*

33° Passio S. Ypoliti sociorumque ejus, quæ est idus Augusti (fol. 110v-112v).

Edita apud Mombritium ; in cod. multæ lect. var.

34° Vita S. Ambrosii episcopi et confessoris, quæ celebratur II° nonas Aprilis, edita a Paulino (fol. 113r-121v).

Vide supra, p. 73, 23°.

35° Passio SS. Alexandri papæ, Eventii et Theudoli, quæ celebratur die tertio mensis Mai (fol. 121v-126r).

Vide supra, p. 272, 53°.

36° Vita S. Cassiani episcopi (fol. 126r-130r).

Convenit cum Vita cod. 7666-71; vide supra, p. 126, 7°.

37° Vita sive transitus sancti Gaugerici episcopi et confessoris, quæ recitatur III° idus Augusti (fol. 130r-134r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 11 Aug., tom. II, p. 672-675. In fine adjuncta est narratio utriusque miraculi ibi editi p. 689, numm. 55, 56, et p. 690, num. 69, sed aliis verbis, nec iisdem quibus in Vita inedita.

38° Vita vel passio S. Piati martyris, quæ est kal. Octobris (fol. 134r-137v).

Bene convenit cum Passione de qua actum est supra, p. 275, 2°.

39° Vita beati Dodonis Christi confessoris (fol. 137v-140v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 28 Oct., tom. XII, p. 634 sqq.

40° Epitaphium S. Eugenii episcopi, quod ipse de se edidit (fol. 140v-141r).

Editum in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 139.

41° Actus et passio S. Eugenii Toletanæ sedis episcopi et martyris, discipuli et ordinati pretiosissimi Dyonisii archiepiscopi et martyris. Quod est XVII° kal. Decembris (fol. 141r-146v).

Edita ibid., p. 131 sqq.; in cod. om. num. 18, ac pro *qui vivit...* (p. 138, lin. 6), cod.: *Quod si quis sequentia perlegerit, facile cognoscere poterit.* Ac continuo subjuncta sunt miracula edita ibid., tom. III, p. 58 sqq.

42° Vita atque passio S. Gengulfi martyris (fol. 146v-151v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 11 Maii, tom. II, p. 644 sqq.

43° Vita et passio S^tæ Reineldis gloriosæ virginis (fol. 151^v-155^r).

Edita ibid., ad d. 16 Julii, tom. IV, p. 176 sqq.

44° Passio S. Simphoriani martyris, quæ est xi° kal. Septembris (fol. 155^r-156^v).

Vide supra, tom. I, p. 40, 83°.

45° Passio beatissimorum martyrum Timothei et Apollinaris, quæ est x° kal. Septembris (fol. 156^v-158^r).

Vide ibid., 84°.

46° Passio S. Petri, qui et Balsami, quæ est iii° nonas Januarii (fol. 158^r-159^r).

Vide supra, p. 179, 5°.

47° Passio SS. Petri et Andreæ, Pauli et Dyonisiæ, quæ est idus Maii (fol. 159^r-159^v).

Vide supra, p. 305, 48°.

48° Vita S. Huberti episcopi (fol. 160^r-162^v).

Vita auctore Jona Aurelianensi episcopo edita in *Act. SS.*, ad d. 3 Nov., tom. I, p. 806 sqq.

49° De actibus Severi Sulpicii (fol. 162^v).

Caput xviii operis Gennadii *De Scriptoribus ecclesiasticis;* vide Migne, P. L., tom. LVIII, p. 1071.

50° Vita compendiosa beati Martini secundum Albinum (fol. 162^v-163^v).

Edita apud Migne, P. L., tom. CI, p. 657 sqq.

51° Passio S. Cucufatis martyris, qui passus est Barcinona civitate (fol. 163^v-166^r).

Edita apud Surium ad d. 25 Julii.

52° Passio sanctorum pontificum Saviniani et Potentiani, sociorumque eorum Altini, Serotini, Eodaldi, Victorini, quæ est xiiii kal. Novembris (fol. 166^r-169^r).

Edita apud Duru, *Bibliothèque historique de l'Yonne*, tom. II, p. 294-314; subinde encomiastica quædam in cod. omm.

53° Passio S. Christophori martyris, quæ est viii° kal. Augusti (fol. 169^r-170^v).

Vide *Anal. Boll.*, tom. I, p. 517, 73°.

54° Vita S. Eligii episcopi (fol. 171^r-172^v).

Inc. prol. Summo studio et magna cum sollicitudine mentis, fratres dilectissimi, intellegere debemus quod redemptor noster veniens de cælo mundum de jugo antiquæ servitutis absolvere et tenebris gentilitatis, quibus obscuratus est, ejicere, supplantavit fortem.

Des. Vos ergo fratres qui ad tanti antistitis sancti Eligii convenistis festivitatem, vitæ suæ primordium et incrementa ætatis bonis florentia virtutibus ac illius felicissimum ad Dominum exitum audire mente devota debetis.

Inc. Vita : Sanctus itaque Eligius in Lemodicino pago ex ingenuis parentibus, Eucherio patre et matre Teregia, ortus fuit. Qui cum ex cura parentum suorum sub regimine scolæ litteris esset imbutus...

Des. Non immerito ergo egregius hic pontifex in populo christiano claruit virtutibus, qui per manus pauperum et peregrinorum suum terrenum præmisit ad cælos thesaurum, ubi nec effodiunt fures nec furantur, nec ærugo nec tineæ comedere possunt. Sicque cotidianas elemosinas largiter egenis distribuebat, ut et de ipso propheticus sermo congrue exponatur dicens : " Dispersit dedit pauperibus : justitia ejus manet in seculum seculi ; cornu ejus exaltabitur in gloria. „

55° Vita S. Wandregisili confessoris Christi (fol. 172^v-182^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 22 Julii, tom. V, p. 272 sqq.

56° Vita S. Columbani abbatis et confessoris (fol. 182^v-194^v).

Vita auctore Jona jam sæpe citata. In cod. mutila est.

Appendix ad cod. 18108.

MIRACULA S. HILARII. (Cfr. supra, pag. 415, 10°.)

1. Videamus denique quod sequitur miraculum, quid audientibus innuat imitandum, ut et de ceteris similia capiantur. Cum aliquando cives divina inspiratione excitati ejusdem sancti limina studiosius frequentarent, veniens quisque offerebat donaria. Unde quædam femina rebus pauper, fide tamen abundans, conjugem sic alloquitur dicens : *Bonum mihi, marite, videtur, nos cum aliis tam devote ad sancti sepulchrum occurrentibus ire debere.* Quod ille minus libenter quam debuerit accipiens, se non habere quod sancto offerrent respondit. Tum illa, utpote ejus quæ in Evangelio legitur viduæ jam imitatrix effecta, ita ad virum ait : *En hoc ipsum, quod in manu mea habetur palliolum, credo, quamvis exigui sit pretii, quod gratum sit pontifici. Verum scit ipse me majus velle, si possem.* Consurgensque cœpit abire. Hoc vir ejus nolens, cum eam inter multos festinantem vix consecutus

fuisset, ipsum quod devoverat palliolum ita collo ejus suendo firmavit, ne se illo ad sanctuarium veniens, cum vellet, exuere posset. Solvit tamem caritativa mulieris devotio, quod conjugis avara innexuerat sollicitudo. Cum ergo atrium monasterii ingrederetur, mox omnis illa pallioli ligatura, citius quam ab aliquo disrupta fuisset, resolvitur. Quod, videntibus cunctis, mulier manu retinens intrat ecclesiam, pergensque ad beati præsulis tumulum aspexit, ut vere fatebatur, desuper eumdem sanctum astantem, cui quasi præsenti seque intuenti quod devoverat offerret. O virum gloriosum, omnique actione clarissimum. Ut autem humilium sive pauperum magistri sequens vestigia sibi devotionem acceptam declararet, non est dedignatus pauperi mulieri cum devotione venienti seipsum ostendere. Sed et illa manibus ad omnes, ad ipsum etiam clerum extensis, universis quasi sanctum ostendens, loquebatur dicens : *Ecce, ecce videtis : præsens adest dominus Hylarius, singula quæ hic fiunt, quæque inferuntur diligenter intendens.*

2. Alia venit toto debilis corpore femina ; quæ in beati viri pietate spem suæ salutis ponens, in ejus oratione precibus cum gemitu a Deo sibimet succurrere poscebat, cumque aliquantisper oratione simul ac fletu fatigata condormisset, illi benignus Domini præsul Hylarius apparuit, atque sic eam affatur dicens : *Surge hinc et eam quam quæris sanitatis gratiam, qualiter adipiscaris ad sancti Petri ecclesiæ hujus sedis limina quamtocius te promovere festina. Ipse te sibi a me directam miserando suscipiet atque optabili protinus sospitati restituet.* Quæ de tantæ pollicitationis munere secura, inde consurgens ad ostium beatissimi pervenit apostoli. Tangensque illud taliter custodibus proclamans ait : *Aperite, quæso, aperite miseræ, quam egregius confessor Hylarius maximo direxit apostolorum sanandam.* Cui manu cum devotione pulsanti dum aperuissent, illa mox utpote talibus medicata præsulibus sese erigit, atque omni membrorum vigore respersa ad altare usque progreditur ; ibique orans et gratias agens eatenus mansit, donec sospes amborum gratiosis comitata meritis ad seipsam læta rediret. Ecce pium antistitem post mortem etiam admirabilem apostoli auditorem. Quod autem idem apostolus viventibus dicit " Honore invicem prævenientes „ , hoc Hylarius carne mortuus, spiritu vivens, primo apostolorum exhibet Petro.

3. Quid referam aut versipellem Normannum falso suscepisse baptismum ? Ea denique tempestate, qua [s]æva Danorum classis circa locum Sancti Florentii residens, fines Aquitaniæ depopulando vastaret, quidam eorum se christianum fieri ficta fide simulans expetivit. Profitebatur se enim omni patriæ non mediocriter profuturum, dum tantum manibus nobilis Rannulfi comitis sacro levaretur a fonte. Quod sane illum expetisse pro munificis, ut ea gens assolet, arbitrari non est dubium albis. Cumque lavacrum illius qualiter sine gratia rite peractum fuisset, quod in eodem sacramento nefandum latuerat, almi præsulis Hylarii manifesta virtute omnibus declaratur. Non enim in sua domo tantæ hypocrisis fraudem passus est celari. Ergo sic baptizatus albisque admodum ei quidem desideratis vestitus, dum limen ecclesiæ, ubi sanctus Hylarius carus Dei amicus corpore quiescit, pedibus attigisset, licet magna cælo inesset serenitas, subito surgente turbine venti crismalis vestis patefacta simulatione ab ejus capite devellitur, atque per pavi-

mentum a spiritu, ut credo, maligno diu volutando raptatur. Neque enim fuerat, etsi veste recepta, indutus vestimento salutis, neque indumento lætitiæ circumdatus nec tan[ta] sponsa meruerat decorari corona... Invento postmodum occasionis loco revertitur similis cani vomitum repetenti ad suæ suorumque fœditatis nequitiam fitque....

4. *Ultimo loco relatum est quomodo mulier Gada nomine cæca genibusque contracta sancti pontificis intervenientibus meritis sanata sit. Multæ vero voces injuria temporum penitus evanuerunt, aliarum vix quædam supersunt vestigia.*

CLXXXIII. Codex signatus n° 18421-29.

Foliorum 149, formæ mediæ (0^{m},295 × 0,20), binis columnis, lineis graphide ductis exaratus diversis manibus sec. XII ac sec. XIII. Foll. 1 ad 12^{r} ad sec. XII pertinentia priorem quasi codicis partem constituunt. Fol. 12^{v} lineis plenis manu sec. XIII, cujus est posterior pars, descriptus est contentorum index litteris alternis vicibus rubro viridique colore depictis. Tituli rubricati; litteræ majores rubro viridique colore depictæ subinde eximia venustate exornatæ sunt. Insuper curiosus rerum antiquarum indagator monendus videtur de pluribus animantium delineatis imaginibus, quas inveniet a fol. 47^{r} ad fol. 70^{v}, in tractatu magistri Hugonis de sancto Laurentio, quem edidit Migne, P. L., tom. LXXVII, inscripsitque *De bestiis.* Inspiciat etiam tabulam fol. 45^{r} in qua mystica quadam interpretatione ad præcipuas vitæ christianæ virtutes deducta sunt hæc sacræ Scripturæ verba : " Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ et posteriora dorsi ejus in pallore auri ". Hujus vero tabulæ præcipuus ornatus est columba quædam centrum duorum circulorum radio disparium occupans.

Codex olim fuit sancti Martini Tornacensis; etenim in initio contentorum indicis scripta sunt hæc : *Liber sancti Martini Tornacensis.* Postea penes Dominum E. Lammens civem Gandavensem; quo mortuo, in auctione publica mense octobri anni 1840 comparatus est a Regia Bruxellensi francis ducentis. Notata sunt illa in verso prioris e duobus foliis chartaceis quæ compactor initio addidit.

1° Passio S. Livini martyris piissimi (fol. 1^{r}-9^{r}).

Edita apud Mabillon, *Act. SS. O. S. B.*, sec. II, p. 450 sqq.

2° Translatio S. Livini de Holthem in Gandavum (fol. 9^{r}-12^{r}).

Edita ope huj. cod. in *Act. SS. Belgii*, tom. III, p. 130 sqq,

3° Sermo Elizabeth ancillæ Domini de undecim milibus virginum aliisque martyribus passis inter eas Colo-

niæ, sicut ei multociens revelatum est divinitus angelica et sanctorum pia visitatione (fol. 31^r-37^r).

Editus in *Act. SS.*, ad d. 21 Oct., tom. IX, p. 163 sqq.; in cod. epistola Egberti om.

4° Passio sanctarum undecim milium virginum (fol. 37^v-42^r).

Edita ibid., p. 157 sqq.

5° Translatio Mariæ Magdalenæ (fol. 86^r-87^v).

Vide *Anal. Boll.*, tom. I, p. 516, 69°. In cod. additum est miraculum edit. apud Faillon, tom. II, p. 737, iv.

6° Vita S. Eligii episcopi (fol. 88^r-144^v).

Vita auctore B. Audoeno edita apud Migne, P. L., tom. LXXXVII, p. 479 sqq.

7° Incipit liber iii' vitæ S. Eligii alterius manu rethorice atque commatice expolitæ (fol. 144^v-148^v).

Editus supra, tom. I, p. 470 sqq.

8° Passio sanctorum septem martyrum (fol. 148^v-149^v).

Passio auctore Victore Vitensi episcopo edita in *Act. SS.*, ad d. 17 Aug., tom. III, p. 455 sqq. In cod. ob fol. excisum mutila est.

CLXXXIV. Codex signatus n° 18644-52.

Foliorum 107, formæ minoris (0^m,204 × 0,148), lineis plenis exaratus sec. XII. Tituli rubricati, sæpissime etiam litteræ majores. In ima parte tegumenti litteris aureis impressa sunt sequentia : *M^st XII. S. Sti Laurentii.* Ex charta membraneis præposita monemur codicem francis 175 comparatum fuisse Gandæ, die 9 maii anni 1842, in auctione publica manuscriptorum, qui fuerant cl. Domini E. Lammens.

1° Vita S. Amoris confessoris, qui Belisiæ quiescit (fol. 1^r-7^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 8 Oct., tom. IV, p. 343 sqq.; in cod. præscriptus est prol. edit. in *Anal. Boll.*, tom. I, pp. 72, 73.

2° Vita Stæ Landradæ (fol. 7^v-14^r).

Vita prolixior, de qua in *Act. SS.*, ad d. 8 Julii, tom. II, p. 633, num. 25 sqq.

3° Vita S. Anselmi Lucensis episcopi et confessoris (fol. 14^r-18^v).

Edita ex hoc cod. in *Monum. Germ.*, scr. tom. XX, p. 693-696 (1).

4° Epistola S. Anselmi ad Wipertum (fol. 21^v-26^v).

Edita apud Migne, P. L., tom. CXLIX, p. 445-456.

5° Vita S. Evermari martyris (fol. 27^r-34^r).

Edit. in *Act. SS.*, ad d. 1 Maii, p. 122-126.

6° Translatio corporis ejus (fol. 34^r-41^r).

Edita ibid., p. 126 sqq.

7° Textus miraculorum ejus (fol. 41^r-54^r).

Editus ibid., p. 130 sqq.

8° Vita S. Leonardi abbatis et confessoris (fol. 54^r-63^r).

Vita et miracula de quibus jam sæpius facta est mentio.

9° Vita SS. Severini et Victorini fratrum (fol. 63^r-68^v).

Res narratas quod spectat, Vita haud absimilis huic quæ edita est in *Act. SS.*, ad d 8 Jan., tom. I, pp. 500, 501. Sed non pauca addita ac mutata in prima parte, quæ est de S. Victorino, speciatim historia martyrii sicut legitur apud Adonem; vid. ibid., tom. II Sept., p. 492, num. 13, item ea quæ ex Adone edita sunt ibid., num. 10-12.

10° Vita S. Bonefacii Magontini episcopi (fol. 68^v-78^v).

Edita ex hoc cod. in *Anal. Boll.*, tom. I, p. 51 sqq.

CLXXXV. Codex signatus n° 18653-57.

Hic codex foliorum nunc 39, quæ inde a fol. 2 manus hujusce sec. XIX numeris signavit, formæ minoris (0^m,236 × 0,165), quatuor fragmentis in unum coadunatis constat. Primum complectitur folium nullo numero signatum et folia signata 1 usque ad 13. Lineis plenis, stylo ferreo ductis, exaratum est istud fragmentum sec. XII. Secundum foliorum septem in columnas duas divisum ad finem sec. XI pertinet. Excipias tamen ultimam partem fol. 19^v et ea quæ scripta sunt fol. 20; quæ sunt sec. XV: nam manus quam sæpe offendimus in codicibus Sanlaurentianis, ex quibus hic est, illa rescripsit, prioribus documentis erasis. Eadem etiam conditio est tertii fragmenti desinentis fol. 27. In secundo atque in tertio et quarto

(1) In cod. (fol. 18^v-21^v) subsequitur *Sermo Anselmi episcopi* qui incipit : *Radix est et fundamentum virtutum omnium caritas; in qua qui offendit, factus est omnium reus.*

fragmento tituli rubricati sunt, itemque litteræ majores. Ultimum tandem sive quartum est sec. XII ineuntis, exaratum lineis plenis, stylo ferreo ductis.

Codex, ut diximus, olim pertinebat ad S. Laurentium prope Leodium; nam hæ litteræ L L inscriptæ sunt in parte recta folii quod numero vacat, deinde fol. 13v a manu sec. XV sequentia: *Liber S. Laurentii in Leodio.* Postea per aliquod tempus remansit iste codex in insigni bibliotheca civis Gandavensis E. Lammens. Quo defuncto, Gandæ in auctione publica die 9 Maii an. 1842 comparatus fuit a Regia Bruxellensi pretio francorum 175. Hæc notata sunt in charta papyracea membraneis anteposita. Præter homilias de sancto Laurentio in ultimo fragmento descriptas hæc documenta hagiologica in codice reperies.

1° Vita S. Mauri abbatis discipuli sancti Benedicti (fol. 1r-13v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 15 Jan., tom. I, p. 1039 sqq.

2° Passio S. Foillani episcopi et martyris (fol. 13v-19v).

Edita ope hujus cod. ibid., ad d. 30 Oct., tom. XIII, p. 383 sqq.

3° Sequentia de ipso (fol. 19v-20r).

Edita ibid., p. 302, num. 55.

4° Vita S. Theobaldi presbiteri et heremitæ (fol. 21r-23r).

Edita ibid., ad d. 30 Junii, tom. V, p. 592 sqq. In cod. lect. var. non paucæ. — In fine Vitæ addita sunt excerpta quædam ex chronicis.

5° De sancto Frederico Trajectensi episcopo et martyre (fol. 23v-24v).

Excerptum, ut videtur, ex Vita edita ibid., ad d. 18 Julii, tom. IV, p. 460; ita ut ea quæ in hac Vita legantur num. 39-44, fere ad verbum in cod. exscripta sint, quæ autem sequantur omissa sint, ea vero quæ leguntur ab initio usque ad numerum 39, his paucis in compendium redacta sint: *Sanctus Fredericus octavus episcopus Trajecti inferioris post sanctum Willebrordum, vir per omnia laudabilis vitæ et sanæ doctrinæ, Lotharium Cesarem infestum habebat eo quod ab ipso reprehendebatur de illegitimo conjugio. Cum igitur vir Dei a regis ammonicionibus non cessaret,* [Num. 39] *rex in iram contra eum accensus de morte ejus tractare cœpit et reginæ beato viro insidianti consensit, dummodo in ejus absentia fieret: ipse autem ad Franciam perrexit; regina autem juxta Renum, ubi consederat, permansit...*

6° Passio Stæ Aureæ virginis et martyris (fol. 24v-26v).

Haud multum absimilis Passioni quæ edita est in *Act. SS.*, ad d. 24 Aug., tom. IV, p. 757 sqq.; insuper in cod. num. 18-20 omm., ac num. 17 inde a *Tunc Romulus tenuit.*

7° Ympnus (fol. 26ᵛ).

In *Act. SS.*, loc. cit. editus non est.

Divinis donis Aurea
Conforme nomen habuit,
Cujus caro virginea
Ut aurum pura nituit.

Aurum per ignem transiens
Probatur solidissimum :
Sic virgo pœnas patiens
Invictum probat animum.

Spectandam fulva species
Dat auro pulchritudinem :
Decorat pulchra facies,
Plus fides Sponsi virginem.

Sit Christo regi gloria
Qui coronavit Auream
Per cujus det suffragia
Perennem nobis lauream. Amen. (1).

8° De mortuo (fol. 27^r-27^v).

Legenda aliquando edenda in *Anal. Boll.*; cfr. *Act. SS.*, ad d. 15 Jan., tom. I, p. 1080.

CLXXXI. Codex signatus n° 18682-84.

Foliorum 20, formæ minoris (0^m,23 × 0,15), lineis plenis graphide ductis, adulto jam sec. XIII una manu nitide exaratus. Tituli rubricati, litteræ majores cæruleo colore depictæ. Ad codicis originem quod spectat, hoc tantum novimus, ipsum aliquando penes Dominum E. Lammens fuisse. A Regia Bruxellensi coemptus fuit francis quadraginta in auctione publica die nona maii anni 1842.

1° Miraculum beati Laurentii de calice (fol. 11^r-14^v).

Editum in *Act. SS.*, ad d. 10 Aug., tom. II, p. 533 sqq., num. 15-24.

2° Passio S. Justini presbyteri et martyris (fol. 14^v-19^v).

Passio paulo prolixior ea quæ edita est ibid., ad d. 17 Sept., tom. V, pp. 474, 475.

3° [De S^{to} Laurentio] (fol. 19^v-20^v).

Troparium neumatibus notatum edit. apud Mone, *Lateinische Hymnen des Mittelalters*, tom. III, pp. 390, 391.

---

(1) In cod. subsequuntur foll. 26^v ac 27^r quædam de Domini Passione : in quibus refertur Domini coronam spinis LXXII constitisse, et ipsum Dominum vulneribus 5475 affectum fuisse.

CLXXXVII. Codex signatus nº 18988-89.

Foliorum 72 (1), formæ minoris (0^{m},165 × 0,108), lineis plenis graphide ductis exaratus sec. XV. Tituli rubricati, itemque litteræ majores. In codice, vacuis remanentibus fol. 66^{v} et sequentibus, continentur hæc documenta.

1° Revelacio nova itineris et passionis undecim milium virginum (fol. 1^{r}-23^{r}).

Liber I Revelationum B. Hermanni Josephi edit. in *Act. SS.*, ad d. 21 Oct., tom. IX, p. 173 sqq.

2° Hystoria beatissimæ virginis et martyris Christi Barbaræ (fol. 23^{v}-48^{v}).

Vide supra, tom. I, 382, 2°.

3° De translacione beatissimæ virginis et martyris Christi Barbaræ (fol. 48^{v}-51^{v}).

Vide ibid., et pp. 392, 393.

4° Ex innumerabilibus quædam miracula de beatissima virgine et martyre Barbara (fol. 51^{v}-66^{r}).

Vid. ibid., p. 382, 2°.

CLXXXVIII. Codex signatus nº 19071.

Foliorum 15, formæ mediæ (0^{m},314 × 217), binis columnis, lineis graphide ductis, exaratus sec. XV. Tituli rubricati; litteræ majores, rubro cæruleove depictæ, haud ineleganter exornatæ sunt.

1° Conversio sanctissimæ virginis et martyris Christi Katherinæ (fol. 1^{r}-2^{v}).

Narratio quæ magnam similitudinem habet cum illa de qua actum est supra, p. 164, numm. 4, 5.

2° Vita et passio S^{tæ} Katherinæ (fol. 3^{r}-15^{v}).

Edita in *Act. SS. Hiberniæ,* loco sæpe cit.

---

(1) Ultimum folium signatum est 70, propterea quod ille qui singulis foliis numerum ascripsit, duo folia prætermisit, alterum post num. 46, alterum post num. 50.

CLXXXIX. Codex signatus n° 19385.

Foliorum 21, formæ majoris (0^{m},373 × 0,277). Qualis nunc habetur non est nisi fragmentum codicis amplioris, quo plures sanctorum Vitæ continebantur. Prima enim S. Lamberti Vita signata est *XXVI.* Nitidissime una manu, binis columnis, lineis stylo ferreo ductis, exaratus est seculo XII. Tituli rubricati, itemque litteræ majores; litteræ, quibus incipit prologus et utraque S. Lamberti Vita, variis adhibitis coloribus majori cura exornatæ sunt. His insignius est initium Vitæ auctore Stephano; ibi non tantum prima littera ceteris ornatu suo præcellit, sed etiam subsequentes aliquot verborum litteræ alternis vicibus rubro cæruleoque depictæ sunt.

De codicis origine commentatus est cl. vir baro de Reiffenberg (1); qui ex affinitate codicis cum textu edito a Chapeaville (2) opinatus est codicem forsitan fuisse sancti Petri Leodiensis. Decursu temporum devenit in bibliothecam Domini Lavalleye, cujus ultima manuscriptorum pars licitationi publicæ exposita fuit die 20 januarii anni 1845, in qua a Regia Bruxellensi solutis francis 345 comparatus est.

1° [Passio S. Lamberti episcopi] (fol. 1^{r}-10^{r}).

Vita auctore Stephano edita in *Act. SS.*, ad d. 17 Sept., tom. V, p. 581 sqq.

2° Vita et passio S. Lamberti episcopi et martyris (fol. 10^{r}-21^{v}).

Vita auctore Sigeberto edita ibid., p. 589 sqq.

CXC. Codex signatus n° 19525.

Foliorum 25, formæ minoris (0^{m},193 × 0,121) lineis plenis graphide ductis, exaratus sec. XIII. Tituli rubricati, itemque litteræ majores. Ex notula inscripta chartæ, quæ intrinsecus tegumento adhæret, novimus codicem in Regiam Bruxellensem repositum fuisse mense Julio anni 1846, solutis Domino Schayes francis 25. Cl. vir Baro de Reiffenberg asserit eum olim fuisse Sanctæ Mariæ de Villari in Brabantia (3).

Vita fratris Abundi monachi Villariensis (fol. 1^{r}-25^{v}).

Prologus ac capitulorum index editi apud de Reiffenberg, tom. cit., p. 96 sqq.;

(1) *Bulletins de l'Académie royale*, tom. XII, part. I, p. 171 sqq. — (2) *Gesta pontificum Tungrensium*, tom. I, p. 350 sqq. — (3) *Annuaire de la Bibl. royale*, an. 1846, p. 96.

excerpta ex Vita in libro *Chronicorum Villariensium (Mon. Germ.*, scr. tom. XXV, pp. 209, 210, 220, 232). Ipsa vero Vita gallice translata apud De Assigny in libro virorum illustrium Ordinis Cisterciensis, ut asserit Henriquez (1), qui de eo memoriam facit ad d. 19 martii. In *Act. SS.*, agitur de hoc venerabili viro sanctitate ac divinis charismatibus insigni ad 25 Aug., tom. IV, in vita beati Goberti. — In cod. ob folia avulsa Vita mutila est, et ante titulum manus sec. XVI litteris rubricatis scripsit : 5' *Chronicorum Villariensium.*

CXCI. Codex signatus n° 20020-25.

Foliorum 98, formæ minoris (0^m,208 × 0,143), lineis plenis, excepta tantum recta parte fol. 57, iisque graphide ductis, nitide exaratus ad finem vergente sec. XII. Excipi debent folia aliquot fol. 64 subsequentia, quæ sec. XV rescripta fuere. Tituli fere omnes rubricati ; litteræ majores rubro viridive colore depictæ, subinde parce exornatæ sunt. Fol. 63^v in ima parte litteris rubricatis hæc scripta sunt : *Liber Sanctæ Mariæ de Villari.*

Ad hagiologiam vix pertinet : nam non nisi sub fine (foll. 85^r sqq.) descripta sunt excerpta quædam e *Vitis Patrum*. Codex mutilus est.

CXCII. Codex signatus n° 20374-77.

His sub numeris asservati sunt in Regia Bruxellensi. 1° Liber typis vulgatus anno 1503 cui titulus est *Margarita philosophica, totius philosophiæ rationalis, naturalis et moralis principia dialogice duodecim libris complectens.* 2° Codex papyraceus inscriptus *Physica Johannis canonici.* 3° Codex membraneus foliorum 16, formæ minoris (0^m,208 × 0,145), lineis plenis graphide ductis, exaratus sec. XIII. Fuit olim Fratrum Minorum conventus Lovaniensis. Quod patet tum ex chartula intrinsecus tegumento agglutinata in qua typis expressa sunt sequentia : *Bibliothecæ FF. Min. Recollect. Lovan. ad SS. Trinit. renov. et auctæ 1791,* tum ex his quæ in margine folii 1^r libelli descripsit manus sec. XVII, scilicet : *Bibliothecæ FFr. Minorum reglr. obs. Lovanii Conv. Ssmæ Trinitatis.*

De sancta Catarina.

Passio edita in *Act. SS. Hiberniæ.* Passioni annexus hymnus neumatibus notatus qui incipit :

(1) *Menologium Cisterciense*, p. 88, *d.*

Hac in die mentes piæ
Cæli jungant armoniæ
Plausus et tripudia.

CXCIII. Codex signatus n° 20677-81.

Hic exhibentur in involucro papyraceo coadunata et ad invicem fune colligata fragmenta quædam codicibus suis avulsa. Horum quæ membranea sunt recensemus :

I. Foliorum 8, formæ minoris (0^m^,164 × 0,112) lineis plenis graphide ductis exaratum sec. XV. Tituli rubricati; itemque litteræ majores.

[De miraculis S^tæ^ Barbaræ].

Pars libelli de miraculis S^tæ^ Barbaræ de quo jam sæpe actum est.

II. Foliorum 8, formæ minoris (0,194 × 0,139), lineis plenis graphide ductis exaratum sec. XIV. Tituli rubricati, itemque litteræ majores. Fuit olim Musei Bollandiani, ut conjicere licet ex vocibus istis *D Ugelli* a Patre nostro Papebrochio fol. 1^r^ inscriptis.

1° Passio sanctissimi martyris Christi Mame de Cesarie Capadociæ, qui fuit translatus per venerabilem dominum Domnum patriarcham Aquileæ anno Domini *... in comitatu Aretii, in loco ubi dicitur sancto Mama (fol. 1^r^-5^v^).

* *in cod. spatium relict. vacuum.*

Edita apud Mombritium, tom. II.

2° Conversio beatæ Katerinæ virginis et martyris (fol. 5^v^-8^r^).

Vide supra, p. 164, 165, numm. 4, 5. — Sequitur in cod. *Recepta a fare buono onchiostro.*

III. Foliorum 16, formæ minoris (0^m^,153 × 0,112), lineis plenis stylo ferreo ductis, exaratum sec. XII. Fuit olim ut videtur Musei Bollandiani, nam fol. 1^r^ scripta sunt sequentia " Excerpta ex *Actis Sanctorum* pro 12 et 13 Octobris „ quod alludit ad Collectanea illa Bollandiana, quæ bene multa in Regia Bruxellensi asservata sunt.

Vita S. Adalrici [seu potius S^tæ^ Odiliæ Hohenburgensis].

Edita in *Act. SS. O. S. B.*, sec. III, part. II, p. 488 sqq.

IV. Foliorum 8, formæ minoris (0^m,193 × 0,146), lineis plenis graphide ductis, exaratum sec. XII. Tituli rubricati, itemque litteræ majores.

1° [De S^to^ Thoma] (fol. 1^r-4^v).

Finis Passionis editæ apud Mombritium, tom. II.

2° Passio S. Andreæ apostoli Domini nostri Jesu Christi, qui passus est in civitate Patras II kal. Decembris (fol. 4^v-8^r).

Epistola ecclesiarum Achaiæ, sæpe cit.

3° Passio S^tæ^ Luciæ virginis. Quod est idus Decembris (fol. 8^r-8^v).

Initium Passionis sæpe cit.

CXCIV. Codex signatus n° 20826-28.

Foliorum 46, formæ mediæ (0^m,307 × 0,224), lineis ut plurimum plenis stylo ferreo ductis exaratus sec. XII. Tituli ac litteræ majores sæpe rubricata sunt: subinde prioris scripturæ pumice deletæ vestigia supersunt. Fuit olim S. Jacobi prope Moguntiam. Etenim fol. 1^r inscripta sunt sequentia : *Codex S. Jacobi;* fol. 8^r: *Codex S. Jacobi apud Moguntiam;* insuper fol. 14^r descripta est constitutio quam in vigilia Valentini anno MCCLXXXIII fecit Henricus abbas, Rodulfus prior ac totus conventus S. Jacobi extra muros Moguntiæ ; quam suo etiam sigillo firmavit venerabilis abbas S. Albani. Tandem foll 14^v ac 29^v memorati sunt aliquot monasterii census.

1° Vita S. Pauli primi heremitæ (fol. 15^r-17^v).

Vide supra, p. 152, 7°. In codd. numm. 1, 17, 18 omm.

2° [De S^to^ Sebastiano] (fol. 17^v-27^v).

Vide ibid., p. 33, 5°. Hic num. 38 et sqq. omm.

3° [De Sta Agnete] (fol. 27^v-29^v).

Vide ibid., p. 33, 7°. Hic ultima pars num. 9 cum seqq. omm. — Fol. 30^v descriptæ sunt antiphonæ recitandæ in officio S. Jacobi.

4° De S^to^ Severo confessore (fol. 43^v-44^v).

Vita auctore Luidolpho edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Feb., tom. I, p. 88 sqq.; in cod. prol. om.

5° Vita S. Nicolai (fol. 45r-46r).

Brevissimum compendium Vitæ sæpe cit. — Ad fin. fol. 46v descripta sunt responsoria aliquot de Sto Jacobo.

CXCV. Codex signatus n° 21002.

Constat codicibus duobus, quorum prior membraneus est papyraceus alter. Posteriore nunc omisso, prior fol. 18, formæ minoris (0m,206 × 0,14) lineis plenis graphide ductis exaratus est sec. XV. Tituli rubricati, litteræ majores alternis vicibus rubro cæruleoque depictæ. Pertinuit olim ad altare S. Auberti in capella Bruxellensi ad Sanctam Mariam Magdalenam. Quod patet tum ex iis quæ initio (foll. 1v, 2r) de annuis expensis conscripta sunt, tum ex catalogo eorum qui in festivitate sancti Auberti de eo ad populum sermonem habuere; quem catalogum in fine alterius codicis invenies. Tandem animadvertatur in priore codice foll. 15-18 vacua remansisse ac fol. 1 ita lacerum repertum fuisse ut ejus recta pars chartæ agglutinata sit.

1° Vita S. Autberti episcopi et confessoris (fol. 3r-9v).

Compendium Vitæ desumptum ex Vita de qua supra, p. 17, 40°.

2° In elevatione S. Autberti et de ejus miraculis (fol. 9v-14v).

Præmissa narratione quæ edita est supra, tom. I, p. 230 *(Anno incarnationis-consecutus)*, relata sunt miracula quinque, quæ meritis beati pontificis Deus operari dignatus est.

CXCVI. Codex signatus n° 21177-79.

Hic codex foliorum 130, formæ minoris (0m,21 × 0,145), inter hagiographicos ideo recensendus est quod initio fragmenta duo fuerunt apposita in quibus descripta sunt documenta hagiologica. Itaque ceteris omissis hæc nobis sint curæ. Animadvertatur tamen folio 12r, quo incipit ipse codex, descriptam esse notam, cui bene attendet ille qui penitus cognoscere velit historiam litterariam insignis abbatiæ Leodiensis ad Sanctum Laurentium. Sic habet: *Iste liber pertinet monasterio Sancti Laurentii prope et extra muros Leodienses quem collegit et scripsit manu propria Nonnus Johannes de Yride, quondam supprior hujus loci ; et est tytulus ejus : Epylogus de officio missæ.*

E fragmentis hagiologicis alterum est seculo XIII lineis plenis exaratum; alterum seculo XIV ineunte, binis columnis; titulis litterisque majoribus rubro depictis.

Ad originem codicis significandam faciunt hæc verba *Sancti Laurentii Leodiensis* fol. 130r descripta.

1° [De Sta Prisca] (fol. 1r-2v).

Initium ac finis Passionis editæ in *Act. SS.*, ad d. 17 Jan., tom. II, p. 184 sqq.

2° Vita S. Judoci (fol. 3r-7v).

Edita apud Surium ad d. 13 Decembris.

3° Vita SS. Basilidis, Tripodis et Magdali (fol. 7v-9v).

Vide supra, tom. I, p. 24, 3°. Sequitur in cod. (fol. 9v-11r) descriptio reliquiarum *quæ olim positæ in summo altari S. Laurentii.*

CXCVII. Codex signatus n° 21848.

Foliorum 137, formæ mediæ (0m,32 × 0,21), binis columnis, lineis graphide ductis, nitide una manu exaratus seculo XII. Tituli rubricati sunt, litteræ majores parce exornatæ rubro viridique colore depictæ. Fol. 1v scripta sunt sequentia : *Liber sancti Martini Tornacensis. Servanti benedictio. Continens expositionem domni Bernardi abbatis super evangelium Missus est, et primam partem sermonum ipsius super cantica canticorum. Tollenti maledictio, fiat fiat.* Fol. 1r *liber sancti Martini Tornacensis,* ac fol. 137r *Liber sancti Martini Tornacensis. Servanti benedictio. Amen.*

Signa quæ in Alemannia per servum suum Bernardum abbatem Clarevallensem operatus est Deus (fol. 129r-137r).

Narratio edita in *Act. SS.,* ad d. 20 Aug. tom. IV, p. 331 sqq. In codice pro epistola Philippi de Claravalle edita in *Actis SS.*, p. 331 scripta est in cod. epistola ad Henricum novitium Clarevallensem, cujus hæc est inscriptio : *Domino desiderantissimo et totis visceribus caritatis amplectendo fratri Henrico vere regio pauperi salutem optant, qui cum abbate sunt fratres.* Deinde altera pars § II, num. 298 om. : desinit enim cod. *vidi agentem,* et continuo sequitur : *juxta capellam* (num. 300 ad fin.) ; epistola Gaufridi edita p. 342 om., et ea quæ eadem pagina relata sunt numm. 318, 319 ac initio num. 320 usque ad *ambo simul illuminati sunt.* Item om. ultima phrasis num. 327 ac seqq. usque ad *ageret inquisivit* (num. 329, med.). Tandem in cod. narratio desinit *sanata est ipsa hora* (num. 330, med.).

CXCVIII. Codex signatus n° 21885.

Foliorum 223, formæ mediæ (0m,36 × 0,247), binis columnis, lineis graphide ductis, una manu nitide exaratus anno Domini 1277. Tituli rubricati sunt, litteræ vero majores variis coloribus depictæ perbelle exornatæ. Ea autem est ornandi ratio ut litterarum pars interior diversimodis delineationibus compleatur, ipsisque litteris enascantur linearum sinuosi recursus qui subinde per totum folium deducti sunt. Ante indicem contentorum hæc fol. 1r litteris rubricatis leguntur : *In hoc volumine continentur passiones plurimorum sanctorum martyrum. Quorum nomina subscripta sunt. Et sciendum quod hoc volumen scriptum fuit anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, agente domino Egidio de Gaureng tunc priore. Servanti benedictio. Auferenti maledictio. Fiat, fiat.* Codex fuit S. Martini Tornacensis : nam præterquam quod majorem similitudinem refert cum aliis codicibus qui certo sciuntur olim ad Sancti Martini pertinuisse, Ægidius de Gaureng anno 1259 inter ejusdem cœnobii monachos annumerabatur. Quod constat ex charta quam dedit comitissa Flandriæ de decima coempta a Willhelmo de Bauduin Mont (1).

1° Passio S. Stephani papæ et martyris (fol. 2r-10r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Aug., tom. I, p. 139 sqq.

2° Inventio beati Stephani prothomartyris (fol. 10r-14r).

Epistola Luciani sæpe cit.

3° Passio SS. Donati episcopi et Hilarini monachi martyrum (fol. 14r-21r).

Constat Vita S. Donati episcopi ac Passione S. Donati episcopi et martyris editis apud Mombritium, tom. I.

4° Passio SS. Secundiani, Veriani et Marcelliani (fol. 21r-24v).

Passio paulo fusior ea quæ edita est in *Act. SS.*, ad d. 9 Aug., tom. II, p. 407.

5° Passio sanctorum martyrum Syxti, Laurentii et Ypolyti martyrum (fol. 24v-27v).

Fragmenta quædam Actorum quæ sub numm. 6°, 7° recensentur.

6° Passio S. Laurentii martyris (fol. 27v-30v).

Edita apud Mombritium, tom. II sub hoc titulo *Passio sanctorum Xysti episcopi Felicissimi et Agapiti martyrum.*

(1) *Cartulaire de S. Martin*, p. 260, in Archivo regio, sectio *Cartulaires et manuscrits*, n° 121.

7° Passio SS. Sixti, Laurentii et Ypoliti (fol. 30v-38v).

Sub hoc titulo descriptæ sunt in cod. Passiones SS. Sixti ac Laurentii edit. apud Mombritium tom. II; præpositus vero est prologus, qui incipit: *Operæ pretium est beati Laurentii fortia certamina describere, cujus virtus adversus rabiem nequissimorum principum stabilis et inconcussa fuit. Hic namque ex Hispania originem ducens....*

8° Passio S. Ypoliti sociorumque ejus (fol. 38v-42r).

Edita apud Mombritium, tom. II.

9° Passio S. Agapiti martyris (fol. 42v-46r).

Vide supra, tom. I, p. 40, 80°.

10° Passio S. Simphoriani martyris (fol. 46r-48r).

Ibid., 83°.

11° Passio S. Juliani martyris (fol. 48r-50r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 28 Aug., tom. VI, pp. 174, 175.

12° Passio sanctorum martyrum Felicis et Adaucti (fol. 50r-52v).

Passio confecta ex Actis SS. Felicis et Adaucti de quibus non semel actum est supra atque ex Actis S. Felicis presbyteri edit. in *Act. SS.*, ad d. 14 Jan., tom. I, pp. 951, 952.

13° Passio vel vita S. Antonini martyris (fol. 53r-58r).

Edita apud Labbeum, *Nova Bibliotheca manuscriptorum*, tom. I, p. 685 sqq.; prol. om.

14° Passio sanctorum martyrum Dorothei atque Gorgonii (fol. 58r-62r).

Vide supra, tom. I, p. 43, 102°.

15° De exaltatione sanctæ Crucis (fol. 62r-64v).

Ibid., p. 44, 104°.

16° Passio S. Cornelii (fol. 64v-66r).

Edita apud Mombritium, tom. I.

17° Passio S. Cipriani martyris (fol. 66r-68r).

Vide supra, p. 60, 4°.

18° Passio S Lamberti episcopi et martyris (fol. 68r-75v).

Passio auctore Godeschalco edita apud Surium, ad d. 17 Sept.; in cod. nonnulla omm.

19° Passio Stæ Faustæ virginis (fol. 75v-78r).

Vide supra, tom. I, p. 101, 24°.

20° Passio sanctorum martyrum Thebeorum Mauritii sociorumque ejus (fol. 78^{r}-84^{r}).

Edita apud Surium ad d. 22 Sept. In cod. prol. om.

21° Passio S^{tæ} Thecle virginis (fol. 84^{r}-90^{v}).

Edita apud Mombritium, tom. II.

22° Passio SS. Chosmæ et Damiani (fol. 90^{v}-96^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 27 Sept., tom. VII, p. 474 sqq.

23° Passio S. Piati martyris (fol. 96^{r}-101^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Oct., tom. I, pp. 22-24. Codex præbet additamenta quæ ibid. in Annott. edita sunt.

24° Passio S. Leodegarii episcopi et martyris (fol. 101^{v}-108^{v}).

Vita auctore Ursino edita ibid., ad d. 2 Oct., tom. I, p. 485 sqq.

25° Passio S^{tæ} Fidis virginis et martyris (fol. 108^{v}-112^{v}).

Edita ibid., ad d. 20 Oct., tom. VIII, p. 823-825; num. 1 om.

26° Passio S. Dyonisii Ariopagitæ et Atheniensium archiepiscopi (fol. 112^{v}-136^{r}).

Edita apud Surium ad d. 9 Oct.

27° Revelatio ostensa beato Stephano papæ de consecratione altaris sanctorum Petri et Pauli siti ante sepulcrum beati Dyonisii, quæ revelatio et consecratio acta est quinto kalendas Augusti (fol. 136^{r}-137^{v}).

Vide supra, p. 3, 14°.

28° Passio S. Kalixti papæ et martyris (fol. 137^{v}-141^{v}).

Ibid., p. 6, 37°.

29° Passio SS. Crispini et Crispiniani (fol. 142^{r}-146^{r}).

Ibid., p. 7, 49°.

30° Passio S. Quintini martyris (fol. 146^{r}-150^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 31 Oct., tom. XIII, p. 781 sqq., num. 1-13. In cod. præscriptus est prol. edit. ibid., p. 783, annot. *b*.

31° De inventione S. Quintini martyris (fol. 150^{v}-152^{v}).

Edit. ibid., pp. 785, 786, num. 14-19.

32° Passio S. Benigni presbiteri (fol. 152^{v}-155^{r}).

Edita ope huj. cod. in *Act. SS.*, ad d. 1 Nov., tom. I, p. 155 sqq.

33° Passio SS. Eustacii sociorumque ejus (fol. 155^{r}-166^{v}).

Vide supra, p. 9, 67°.

34° Passio S. Cesarii dyaconi (fol. 166^{v}-171^{r}).

Edita ope hujus cod. in *Act. SS.*, ad d. 1 Nov., tom. I, p. 105 sqq.

35° Passio sanctorum quatuor Coronatorum (fol. 171^{r}-178^{v}).

Vide supra, p. 14, 5°.

36° Passio S. Clementis papæ (fol. 179^{r}-185^{r}).

Edita apud Mombritium, tom. I.

37° Passio S^{tæ} Anastasiæ et Crisogoni martyrum (fol. 185^{r}-201^{r}).

Prior pars Passionis edita est apud Mombritium, tom. I, posterior in *Bibliotheca Casinensi*, tom. III, Florilegii p. 179 sqq.

38° Passio S. Sabini (fol. 201^{r}-205^{v}).

Vide supra, p. 17, 34°.

39° Passio S. Leocadiæ virginis (fol. 205^{v}-207^{r}).

Ibid., 36°.

40° Passio SS. Fusciani, Victorici et Gentiani martyrum (fol. 207^{r}-214^{r}).

Ibid., 38°.

41° Passio S^{tæ} Luciæ virginis (fol. 214^{r}-217^{v}).

Ibid., p. 18, 42°.

42° Passio S. Nichasii sanctæque sororis ejus Eutropiæ sociorumque eorum (fol. 217^{v}-223^{v}).

Maximam affinitatem habet cum Passione de qua actum est in *Anal. Boll.*, tom. V, p. 341, 57°. In cod. foliis excisis mutila est.

CXCIX. Codex signatus II n° 700.

Foliorum 91, formæ minoris (0^{m},148 × 0,102), lineis plenis graphide ductis, exaratus sec. XIII. Tituli rubricati, litteræ majores, rubro cæruleove colore depictæ, eleganter exornatæ sunt. Fuit olim cœnobii Oigniacensis. Etenim folio papyraceo quod anno 1740, dum iterum libellus compactus fuit, membranis præpositum est, inscribitur: *Bibliotheca Oigniacensis;* deinde fol. 1^{r}: *Spectat ad cœnobitus dicti Oegnies 1641,* ac fol. 91^{r}: *Reddatur monasterio dictus Oengnies 1641.*

In cod. continetur hoc documentum :

Vita sanctæ Christi ancillæ Mariæ de Oegnies.

Vita auctore Jacobo de Vitriaco ope hujus codicis edita in *Act. SS.*, ad 23 Junii, tom. I, p. 636-666; cfr. num. 18, p. 634.

CC. Codex apud D. Phillipps signatus n° 324, 327 (1).

Foliorum 154, formæ mediæ (0^{m},325 × 0,238), binis columnis, lineis graphide ductis exeunte seculo XII a diversis manibus exaratus. Tituli rubricati sunt; ad litteras majores deducendas adhibitus est rubeus, cæruleus atque viridis color. Ultimam codicis partem scelesta manus potius quam flammæ incendium vastavit. Ad originem vero cognoscendam offendimus fol. 1^{r} notam forsitan ab ipso domino Phillipps scriptam quæ sic habet : *from the abey of St Bertin near Valenciennes* (forte pro sancto Audomaro).

1° Miracula S. Benedicti abbatis (fol. 1^{r}-19^{r}).

Edita in *Mon. Germ.*, scr. tom. XV, part. I, p. 478-500.

2° Translatio corporis S. Benedicti atque Scolasticæ sororis ejusdem (fol. 19^{r}-22^{v}).

Ibid., p. 480 sqq.

3° Sermo Odonis abbatis in translatione vel tumulatione sancti Benedicti abbatis (fol. 22^{v}-26^{r}).

Editus apud Marrier, *Bibliotheca Cluniacensis*, p. 138 sqq.

4° Vita S. Ambrosii Mediolanensis urbis episcopi edita a Paulino ipsius Ambrosii discipulo (fol. 26^{r}-33^{r}).

Edita apud Migne, P. L., tom. XIV, p. 27 sqq.

5° Vita S. Basilii episcopi conscripta a sancto Amphilochio Iconio episcopo apud Grecos inter scriptores chatholicos nominatissimo (fol. 33^{r}-45^{r}).

Vita de qua jam sæpe actum est; vide supra, p. 20, 108°.

6° Vita S. Augustini doctoris in ecclesia maximi a quodam Possidio primum eius discipulo postea episcopo facto Calamensi (fol. 45^{r}-64^{r}).

Edita in *Act. SS.*, tom. VI Aug., sæpe cit.; Vitæ annexus est catalogus librorum quos beatus Augustinus conscripsit. Vide ibid., p. 441 sqq.

7° Vita actusque beati Jheronimi presbiteri (fol. 64^{r}-67^{r}).

Edita apud Migne, P. L., tom. XXII, p. 183 sqq.

(1) Hic jam incipit series illa manuscriptorum quæ studio et industria clarissimi viri C. Ruelens, manuscriptorum asservatoris in regia Bruxellensi, Gubernium Belgii ex relicta bibliotheca domini Thomæ Phillipps comparavit. Quum vero non sint nisi post tempus satis longum certa sede certoque numero inter Bruxellenses codices donandi, ideo ad hos designandos, numerum adhibebimus quo apud dominum Phillipps notabantur.

8° Sermo [relatio] (1) de eodem viro beato Jheronimo [et de leone qui in eius monasterio servivit] (fol. 67r-69v).

Hic sermo constat maximam partem narratione illa in titulo notata de qua vide supra, p. 40, 72°, deinde initio Vitæ editæ apud Migne, tom. cit., p. 201 sqq., scilicet § 2-4, quæ ita sunt divisæ ut pars altera præposita, altera postposita sit narrationi.

9° Vita sancti Remigii gloriosissimi Remorum civitatis archiepiscopi et confessoris (fol. 69v-79v).

Vita auctore Hincmaro edita in *Act. SS.*, tom. I Oct., sæpe jam cit.; in cod. ob folia avulsa mutila.

10° Vita S. Silvestri papæ (fol. 80r-93r).

Edita apud Mombritium, tom. II. In fine paucis fit mentio de ejus translatione in Nonantulanense cœnobium sub Anselmo abbate, anno octavo Aistulfi regis Langobardorum.

11° Passio S. Sebastiani martyris (fol. 93r-106v).

Edita in *Act. SS.*, tom. II Jan., sæpe cit.

12° Passio S. Vincentii martyris (fol. 106v-109v).

Edita ibid., tom. II Jan., sæpe cit.

13° Passio Stæ Julianæ virginis (fol. 109v-112r).

Vide supra, p. 34, 16°.

14° Vita S. Symeonis heremitæ (fol. 112r-117r).

Vita auctore Eberwino edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Junii, tom. I, pp. 89-95; in cod. prol. om.

15° Vita S. Martialis episcopi et confessoris (fol. 117r-128v).

Edita apud Surium ad d. 30 Junii; in fine add. epytaphium ejusdem sancti quod tam in *Act. SS.*, quam apud Surium desideratur :

Christus principium finis lux est via Christus,
Nomine cujus in almifico semperque beato
Marcialis resonant hic veracissima gesta.
Quis hominum digne valeat doctissimus unquam,
Quanti sit meriti præclarus apostolus iste,
Dicere vel prosa vel pulchri camina metri?
Quo saltem modicis decoretur pagina verbis.
Tullius atque Maro veniant, sit lingua faceta
Versibus aut currens aut prosæ melle retexens,

(1) Hæc vox et seqq. uncis inclusæ alia manu atramentoque alio sunt scriptæ.

Non tua, sancte pater, poterunt depromere gesta.
Tellus te Romana, quibus quoque Gallica tellus
Post Petrum recolunt juniorem parte secunda,
Cum Petro recolunt æqualem sorte priori.
Benjamita tribus te gessit sanguine claro,
Urbs te nunc retinet Lemovica corpore sacro.
Hanc tibi sit, rex magne Deus, laus, gloria Christe,
Christe caput finisque cluens, pax lux via Christe.

16° Vita sancti Nicolai Mirorum Liciæ archiepiscopi (fol. 129v-140v).

Bene convenit cum lectione de qua supra, p. 75, 33°.

17° Translatio beati Nicolai archiepiscopi (fol. 140r-144v).

Prope accedit codicis lectio ad eam quam edidit Surius ad d. 9 Maii.

18° Item de miraculis ejusdem (fol. 144v-146v).

Edita supra, tom. I, p. 323 sqq. In cod. præposita sunt sqq.:

Nam in primo die apud eamdem sancti Benedicti quam præscripsimus ecclesiam, ubi erat sanctum corpus depositum, amplius quam triginta infirmitates sexus utriusqne omnisque ætatis a multimodis infirmitatibus liberabantur, perfectamque cum gratiarum actione sanitatem recipientes læti et incolumes ad propria remeabant.

Die altero aliisque quot a dæmonibus possessi sunt, omnino a vexatione diabolica sunt dimissi, quot linguæ a vinculo muti sunt absoluti, quot vero aurium genitiva foramina sunt patefacta, quot autem recedente oculorum acie privati visus ablatus restituitur, quotquot denique alii multigenis ægritudinibus oppressi, penitusque ab eis alleviati, sunt sanitati redditi, notis particulatim signare et numerare nequivimus. Infinitus enim est ut æquipollenti significatione præostendimus et nobis incognitus numerus.

19° Vita Stæ Gudilæ virginis (fol. 147r-153r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 8 Jan., tom. I, p. 524 sqq.

20° Passio beatissimi Marci evangelistæ (fol. 153r-154v).

Convenit cum lectione de qua supra, tom. I, p. 522, 21°, in cod. ob folia avulsa in fine mutila est.

CCI. Codex apud D. Phillipps signatus n° 328.

Foliorum 166, formæ mediæ (0m,32 × 0,234), binis columnis, lineis graphide ductis, excepta S. Marci passione, una manu seculo XIII descriptus est. Tituli rubricati sunt, litteræ majores nitide ac parce exornatæ, tum rubeo tum cæruleo

colore depictæ; bis vel ter vermiculator viridem colorem adhibuit. Fol. 164^{r} scripta sunt sequentia : *Liber sanctæ Mariæ de Villari.* Tandem animadverteris codicem flammarum edacium vestigia retinere.

Iste codex qui fere totus est de Sermonibus sancti Augustini intra hagiologicos annumeratur propterea quod ad finem alia manu, XIII tamen seculum referente, descripta est.

Vita et passio sancti Marci evangelistæ (fol. 164^{v}-165^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Aprilis, tom. III, p. 347 sqq., sub titulo : *Apostolatus Alexandrinus.*

CCII. Codex apud D. Phillipps signatus n° 330.

Foliorum 16, formæ mediæ (0^{m},316 × 0,226), lineis plenis graphide ductis, seculo XIII jam adulto exaratus. Tituli rubricati sunt. Codicis autem originem declarant sequentia fol. 15^{v} inscripta : *Liber Sanctæ Mariæ de Villari in Brabantia.*

1° Gesta Salvatoris Domini nostri Jesu Christi inventa a Theodosio magno imperatore in Iherusalem, in pretorio Pontii Pylati, in codicibus publicis (fol. 1^{v}-12^{v}).

Evangelium Nicodemi sive gesta Pilati. Vide Tischendorf *Evangelia Apocrypha*, p. 312-395; in cod. multæ occurrunt lectiones variantes.

2° Notificatio qualiter Tyberius Cesar pro ipso Christo Iherosolimam direxerit (fol. 12^{v}-15^{r}).

De hoc opere cfr. Fabricius, *Codex apocryphus Novi Testamenti*, part. I, p. 298, not. *i*.

3° [De sancto Anselmo Cantuariensi archiepiscopo] (fol. 15^{r}-16^{r}).

Prologus, capitulorum index et initium Vitæ sancti archiepiscopi auctore Eadmero editæ in *Act. SS.*, ad d. 21 Aprilis, tom. II, p. 866 sqq.

CCIII. Codex apud D. Phillipps signatus n° 336.

Foliorum 141, formæ mediæ (0^{m}341 × 0,232), binis columnis, lineis graphide ductis, ineunte seculo XIII exaratus. Tituli rubricati sunt; litteræ majores variis coloribus depictæ, parce sed venuste exornatæ sunt. Fuit olim sanctæ Mariæ de

Camberone. Nam fol. 2r ac 141v hæc scripta sunt : *Liber sanctæ Mariæ de Camberone,* et passim in margine *de Camberone*.

1° Vita beati Gregorii papæ et confessoris (fol. 3r-9v) (1).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 12 Martii, tom. II, p. 130 sqq.

2° Vita S. Felicis presbiteri et confessoris (fol. 9v-10v).

Edita ibid., ad d. 14 Jan., tom. I, p. 951.

3° Vita vel actus S. Hieronimi presbiteri (fol. 10v-13r).

Edita apud Migne, P. L., tom. XXII, p. 175 sqq.

4° Passio S. Adriani martyris (fol. 13r-18v).

Edita apud Mombritium, tom. I.

5° Passio S. Longini militis et centurionis qui latus Domini lancea aperuit (fol. 19r-20r).

Vide supra, p. 62, 29°.

6° Passio Stæ Barbaræ virginis (fol. 20r-21v).

Item, p. 18, 44°.

7° Passio Stæ Eugeniæ virginis Prothi et Iacincti martyrum (fol. 21v-28r).

Edita apud Mombritium, tom. I.

8° De leone (fol. 28r-29v).

Vide supra, p. 438, 8°. Annexi sunt versus triginta duo in honore beatæ Mariæ descripti manu seculi xvi.

9° Descriptio qualiter vultus Domini de Iherosolymis ad Lucanam civitatem sit delatus (fol. 32v-34v) (2).

Edita in *Memorie e Documenti per servire all' istoria del ducato di Luca,* tom. V, part. I, p. 53 sqq.

10° Relatio miraculorum Domini nostri Jesu Christi quæ per ymaginem ipsius facta sunt in Beritho civitate quinto idus Novembris (fol. 34v-36v).

Edita apud Migne, P. G., tom. XXVIII, p. 811 sqq.

11° Item sermo ejusdem de indignatione et invidia Judeorum adversus ymaginem Domini (fol. 36v-37v).

Inc. *Postquam ille triumphalis regis regum tytulus videlicet Jesus Nazarenus rex Judæorum litteris hebraycis græcis ac latinis inscriptus...*

(1) Fol. 1 descriptum est fragmentum opusculi cujusdam de libero arbitrio, fol. 2 fragmentum relationis quæ integre exhibebitur infra 10°. — (2) Codicis compactor erravit ponendo fol. 30 post fol. 29 ; ponendum erat post fol. 35. — (fol. 31r-32v) descriptus est index capitulorum eorum quæ in codice relata sunt usque ad fol. 109.

12° De ymagine Domini a quodam Judeo telo percussa atque furata et postea ecclesiæ restituta (fol. 35v).

Paucis narratum est quomodo Judæus cum imaginem crucifixi furto ablatam flammis exurere vellet, sanguine ex ea emisso se cruentatum invenerit.

13° Versus de beatissima Maria matre Domini (fol. 35v-36r).

Inc. Missus ad egregiam Gabriel tulit ista Mariam
Innuba semper Ave flos pulcher olensque
Christum ventre feras.

14° Liber miraculorum Dominæ nostræ sanctæ Dei genetricis Mariæ qui appellatur Mariale (fol. 36r-109r).

Relatio nonaginta septem prodigiorum quæ meritis beatæ Mariæ contigerunt. Hic libellus magnam affinitatem habet cum opusculis illis de quibus actum est supra, tom. I, et in *Anal. Boll.*, tom. III, p. 180, 13°. Opusculum Hugonis Farsiti, quod hic etiam in Mariali inclusum est complectitur undecim folia, scilicet fol. 82r-93v. — Inde in cod. sequuntur (fol. 109r-128r) libri duo miraculorum auctore domno Petro Cluniacensi ac (fol. 128r-141v) narratio aliquot visionum quibus viri devoti donati fuere, atque in specie referuntur visiones beati Hamonis Saviniacensis quæ editæ sunt in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 505 sqq., numm. 3, 4.

CCIV. Codex apud D. Phillipps signatus n° 337.

Constat duobus codicibus formæ mediæ (0m,34 × 0,24), qui binis columnis, lineis graphide ductis nitide sec. XIV exarati fuerunt. Prior pertinet ad fol. 129, posterior reliqua ad fol. 269 complectitur. Tituli rubricati sunt, litteræ majores alternis vicibus rubeo cæruleoque colore depictæ eleganter exornatæ. Vermiculator artis suæ non ignarus sinuosos linearum recursus ipsis litteris enatos quos per margines deducebat non semel in pisciculi formam finivit. Hic codex olim S. Mariæ de Camberone in quo inter cetera continetur: *Liber consolationis de morte amici editus a Vincentio Belvacensi, Ejusdem liber de erudititione puerorum nobilium, Dictamina magistri Petri de Vineis, Morale somnium Pharaonis,* inter hagiographicos annumeratur propterea quod post *Introductiones Transmundi sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ prothonotarii de arte dictandi* (fol. 175v) descripta est fabula Albani, qui nuncupatur sanctus, sub hoc titulo:

Vita vel obitus sancti Albani, qui ortus est de patre et filia postea accepit matrem in uxorem, subsequenter

occidit patrem et matrem et ad finem inventus est sanctus. CCXVI (fol. 243v-247r).

Vid. cod. seq.

CCV. Codex apud D. Phillipps signatus n° 343.

Foliorum 189 præter adjectitia tria quorum dŭo initio, unum in fine codicis, formæ mediæ (0m32 × 0,242), binis columnis, lineis graphide ductis, duplici manu nitidissime seculo XIII exaratus. Tituli rubricati sunt; ad litteras majores depingendas triplex color in usu fuit, rubeus, viridis atque cæruleus. Litteræ quibus tractatus incipiunt insigniores sunt ornatu quodam haud ineleganti. Initio codicis scilicet in parte recta alterius folii adjectitii inscriptus est contentorum index qui talis est: *Ambrosius super Lucam, item vita sancti Albani martyris, item speculum ecclesiæ* (1). Sequentia vero : *Liber sanctæ Mariæ de Camberone* leges fol. 1r, fol. 189v, *de Camberone* passim in margine inferiori.

Passio vel vita S. Albani martyris (fol. 95v-100v).

Nulla hujus sancti Albani apud hagiographos mentio fit, nec mirum reputabit qui legendam seu potius fabulam in appendice edendam attenta mente perlegerit. Edendam tamen illam duximus, quia compertum nobis est non raro ex legendis maxime apocryphis quædam colligi posse sive ad rem hagiographicam sive ad rem historicam aut litterariam universim admodum proficua. Neque a proposito nos deterruit quod eadem legitur in compilatione mediævali, quæ inscripta est *Gesta Romanorum*, sæpius recusa, ultimo vero et optime a cl. v. Hermanno Oesterley (2). Nimirum in hac ipsa editione desideratur clausula, in qua explicatur cur Albanus in sanctorum album relatus sit. Præterea in codice nostro Bruxellensi et aliis quatuor (3), quos cum eo conferre licuit, amplior est enarrandi ratio ; ac

(1) Auctor est Honorius Augustodunensis; cfr. Migne, P. L., tom. CLXXII, p. 813 sqq. — (2) *Gesta Romanorum* (Berlin, 1872), p. 641-645. Antiquiores vero hujusce opusculi editiones exhibebant tantum historiam Gregorii (Ed. Coloniæ 1472, cap. LXXXI) quæ nonnullam cum Albani seu Albini fabula affinitatem habet, immo in ejusdem operis manuscriptis codicibus rarius inserta fuit, nam ipse Hermannus Oesterley bene multis codicibus, quorum capitula descripsit (p. 9 sqq.), sedulo evolutis eam non nisi in Ratisbonensi sec. XV signato n° 47 offendit (p. 58, 11°), unde eam in appendicem transtulit. — (3) Scilicet : α) Parisino sec. XIII e Bibliotheca nationali olim signato n° 6584, qui aliquando in bibliothecam Asburnhamiensem furto delatus (*Bibliothèque de l'Ecole des Chartes*, ann. 1866, p. 204 sqq.) tandem anno 1888 (ibid., ann. 1888, p. 41 sqq.) Parisios rediit. — β) Parisino sec. XIV e bibliotheca dicta *de l'Arsenal* signato n° 1157. — γ) Parisino sec. XIV e bibliotheca nationali signato n° 8567. — δ) Bruxellensi sec. XIV supra memorato ac inter codices D. Phillipps signato n° 337. — Exstat quoque, ut monet Greith (*Spicilegium Vaticanum*, p. 159) hujus fabulæ textus in codice bibliothecæ Vaticanæ

tandem non pauca, quorum sensus apud Oesterley vix et ne vix quidem attingitur, ex codicum a nobis adhibitorum lectionibus plana et perspicua fiunt. — De Transmundo monacho Clarævallensi, quem aliqui codices et etiam recentiores scriptores auctorem hujus legendæ S. Albani fuisse supponunt, videsis W. Wattenbach (1), Natalem de Valois (2), Daunou (3). De Œdipi vero fabula, quæ cum Juliani, Gregorii, Albani legendis aliquam affinitatem habere videtur, erudite disseruit L. Constans (4).

Appendix ad cod. D. Phill. 343.

DE S. ALBANO. (Cfr. pag. præc.)

Incipit (5) passio vel vita sancti Albani martyris [1].

1. Erat olim in partibus Aquilonis [1] homo potens et nobilis, qui et gloria præminebat et [2] suorum splendore natalium et deliciis affluebat [3] ex abundantia facultatum [4]. Imperii gubernaculis feliciter præsidebat, futurus tamen [5] inde felicior [6], si mentis gubernacula rationis imperio possedisset. Uxor ei [7] de magnatibus terræ suæ [8], quam [9] caram nimis et amabilem fecerat tam nobilitas generis, quam gratia venustatis. Quæ cum futura esset perenni sterilitate [10] beatior, concepit inde [11] filiam, immo in filia patris filiæque ruinam. Nam cum ipsa processu temporis rebus eximeretur humanis, injecit oculos pater in filiam et in tantum dilexit eam [12] ut dolorem [13], qui ex morte matris [14] acciderat a mentis [15] oculis aboleret. Multi eam

Tit. — [1] *om.* 2; Nativitas *(om.* 5) vita et (vel 5) obitus beati (sancti 4, 5) Albani qui natus (ortus 5) fuit (est 5) ex (de 5) patre et filia. Postea accepit matrem in uxorem postque (post hæc 4, subsequenter 5) occidit patrem et matrem et *(om.* 4) demum (ad finem 5) sanctificatus *(om.* 4, inventus 5) est (sanctus 4, *add.* sanctus 5).

Num. 1. — [1] quidam *add.* 2-5. — [2] *om.* 2-5. — [3] (d. a.) a. d. 4. — [4] ac *add.* 2, 4. — [5] erat 2-4. — [6] beatior 2-5. — [7] (u. e.) u. e. erat 2, 4; u. ejus erat 3. — [8] *super rasuram* 1. — [9] sibi *add.* 2, 4, 5. — [10] *ita* 2-5; felicitate 1. — [11] tamen et peperit 2-5. — [12] (et-eam) eamque d. in t. 4. — [13] *ita* 2, 3, 5; dolor 1, 4. — [14] (mor. mat.) mat. mor. 4. — [15] (a. m.) amentis 2, 4; e mentis 5.

inter Urbinianos signato n° 456, at si summarium, quod germanico sermone edidit pp. 159, 160, totam rei narratæ seriem complectitur, integra clausula videtur omissa esse. Asservatur etiam in bibliotheca Posnaniensi in collectione comitis Dzialinski. (Vide Potthast, *Bibl. hist. Medii Ævi*, p. 588. — (1) *Archiv für Kunde Österreichischen Geschichtsquellen*, tom. XIV, p. 55. — (2) *Bibl. de l'Ec. des Chartes*, tom. XLII, p. 55. — (3) *Hist. litt. de la France*, t. XIV, p. 395. — (4) *La légende d'Œdipe*, p. 127-131. — (5) Ut supradictum est, textum edimus collatum cum Parisino n° 6584, qui notatur 2; cum Parisino n° 1157, qui notatur 3; cum Parisino n° 8567, qui notatur 4; cum Bruxellensi n° 337, qui notatur 5; Bruxellensis 343 notatur 1.

principes, multi petiere nobilium, ut [16] contracto fœdere copulæ maritalis [17], puellæ hujus conubio potirentur. Pater [18] autem cujus [19] præcordia impii amoris flamma torrebat [20], recusabat [21] tradere nuptui, quam servabat [22] incestui, nec volebat [23] suscipere generum [24], cui se delegaverat [25] ipse maritum. O humanæ libidinis effrenis impietas: o flamma rationis vorax, impietatis efficax, justitiæ comsumptiva. Præponderant affectui pietatis incentiva libidinis, et dum paternis ignibus ab illicito calore non parcitur, in filialis pudicitiæ dispendia transitur [26]. Dormit [27] itaque imperator cum illa quam genuit, et rem sub silentio tegens amplexu stringebat uxorio, quam affectu credebatur zelare paterno [28]. Cumque illa de patris semine concepisset, adveniente puerperio peperit masculum, quem sibi fratrem, patrique [29] nepotem, utrique [30] filium, nefando [31] concubitu generavit. Animatus est pater in perniciem novæ prolis, et ad celandum eventum criminis [32] necem moliebatur infantis. Filia vero sævitiam patris sermonis et amoris frequentia [33] frangens, liberavit ab interitu regis [34] natum, subitum [35] spondens de facinoris occultatione remedium, ne [36] actu patris et assensu matris [37] subitum filius sortiretur occasum. Inito ergo consilio prætioso pallio amicitur [38] infantulus [39], et suspenso ad collum ejus [40] marsupio anulum et aureos continente non paucos, invento bajulo adhibitaque nutrice, extra imperii limites traditur deportandus.

2. Igitur puer ductus est in Ungariam, ibique exponitur secus viam, ubi [1] facile a transeuntibus est repertus. Qui cum invenissent eum, mirati [2] sunt valde elegantiam contemplantes infantis [3], maxime quia illis erat amicitus [4] insigniis [5], quæ conspicui germinis [6] indicia præferebant [7]. Placuit inventoribus regi deferre puerulum, ut qui circumferebat [8] ornatus stipendiis traderetur regalibus educandus. Rex vero cum non haberet filium, talem miratus est [9] inventum. Suscepit eum [10] hylariter velut [11] sibi divinitus destinatum : reputans divinæ dispensationis [12] opere procurari, ut per accessum alienæ sobolis solamen propriæ reciperet orbitatis. Communicato proinde cum uxore consilio prædictum infantem adoptavit in filium, et novo in regis [13] thalamis puerperio simulato [14], factum [15] in opinione vulgari ut filius adoptione quæsitus de regis crederetur semine procreatus.

3. Cœpit ergo puer tam viribus [1] augeri quam diebus [2], et fomentis regalibus

— [16] in 3. — [17] ut *add.* 3. — [18] patris 2. — [19] ejus 2. — [20] et *add.* 2. — [21] istam *add.* 4. — [22] reservabat 5. — [23] ex filia *add.* 4, 5. — [24] *ita* 2-5; gratiam 1. — [25] delegerat 2, 4, *sed in* 2 *prius* delegarat; delegarat 3, 5. — [26] pertransitur 2-5. — [27] dormivit 2-5. — [28] (aff.-pat.) z. c. a. p. 3. — [29] patri 2-5. — [30] *ita* 2-5; uterque 1. — [31] infausto 2-5. — [32] in *add.* 3. — [33] blanditiis 2-5. — [34] recens 2-5. — [35] om. 3. — [36] nec 5. — [37] (a. m.) m. a. 4. — [38] *prius* amicytur 1. — [39] puer 2. — [40] *om.* 3.

Num. 2. — [1] (e. s. v. u.) expositus s. v. 2; positus s. v. 4, 5; e. s. v. et 3. — [2] admirati 3, 5. — [3] (e. c. i.) i. e. c. 4. — [4] *om.* 2, 4; opertus 3; (illis-am.) illa præerat 5. — [5] insignibus 2, 5. — [6] generis 3, 5. — [7] *Post syll.* fer *littera erasa* 1. — [8] regios *add.* 3, 5. — [9] *sup. lin. alia manu* 1; *om.* 3, 4; (m. e.) miratur 5. — [10] *om.* 2-5. — [11] tanquam 2. — [12] (div. dis.) dis. 2, 3; dispensatoris 3; hoc dis. 5. — [13] reginæ 2, 4, 5. — [14] Albanus parvulo nomen appellationis imponitur et *add.* 2, 3, 5, *in* 4 *add. in marg.* — [15] est *add.* 2, 4; factumque est 5.

Num. 3. — [1] diebus 2-5. — [2] viribus 2, 3; moribus 4, 5.

enutritus in miram pulchritudinis [3] elegantiam tam vultus specie, quam corporis proceritate [4] succrevit. Cumque per incrementa [5] temporis prioris [6] attigisset limites pubertatis, factus est fama celebris, strenuitate [7] sublimis, gratia comitatus [8] amabilis, actuum moralitate solemnis; ita omnibus carus, usque adeo in commune [9] magnificus, ut si hoc non dedissent fata [10] natalibus, esset tamen merito in principem eligendus. Gaudet animus regis [11] suum in adoptivo non errasse judicium, congaudet et collætatur Ungaria refloruisse sibi tandem in regali solio [12] regium principatum. Suscipitur ab universis [13] in dominum, coronatur in regem, et vivente adhuc patre paterni tituli suscipit dignitatem. Volat interim fama diffusius, ut [14] dum intra Ungariæ regnum res [15] geritur adolescentis probitas imperatoris auribus intimatur. Perstrepit novis imperialis [16] aula rumoribus, et cunctis super hujusmodi verbis et auditione [17] lætantibus, factus [18] adolescens etiam illis carus quibus reputabatur extraneus [19]. Subit [20] igitur Augusti mentem consuetudinem veteris amputare flagitii, et suscepta hinc [21] ut sibi videbatur honorabilis [22] opportunitate conubii [23], cogitavit apud se quod nulli melius filiam traderet [24] quam ei quem tantæ probitatis celebritas commendaret. Rex quoque Ungariæ procerum suorum consilio [25] præmonitus filiam imperatoris missa legatione requirit, ejusque nuptias filio suo [26] magnifico nimis [27] apparatu deposcit. Placuit hinc inde postulanti matrimonii jura [28] contrahere et [29] utriusque regni concordiam copulæ hujus [30] nexibus confirmare. Dies ergo collocutionis præfigitur [31] : et ab utraque parte ad constituti loci terminum convenitur ; ibidem sibi auctoritate parentum filia imperatoris et regis adoptivus occurrunt, sponsalia contrahunt, et legitimas tedas fœderis nuptialis flagranti æstu paris [32] amoris accendunt. Omnibus demum [33] solemniter adimpletis universi ad propria revertuntur [34] ; et regina illa nobilis suorum ignara fatorum ad inopinatos thalamos, tam fratri quam filio nupta, transfertur. Crescit amor inter utrumque prævalidus [35], et quia nullus erat suspicionis locus totum [36] sibi vendicat [37] affectus.

4. Cumque demum [1] in usu conjugii annos aliquos peregissent, rex Ungariæ morbo confectus et senio lecto decubuit et imminere sibi ratus [2] mortis occasum, filium illum suum [3] remotis arbitris [4] proprium fecit intrare cubiculum. Cumque

— [3] *om.* 2-5. — [4] *ita* 2-5 ; sinceritate 1. — [5] inclementiam 3. — [6] primos 2, 4, 5 ; primo 3. — [7] (f. c. s.) famæ strenuitate 3 ; f. celeber s. 5. — [8] comitate 2 ; concomitante comitatis 3 ; communitatis 5. — [9] conversatione *add.* 3. — [10] (d. f.) dictassent facta 2. — [11] (a. r.) r. a. 4. — [12] *ita* 2-5 ; filio 1. — [13] diversis 5. — [14] et 4, 5. — [15] *om.* 3. — [16] imperatoris 2-5. — [17] (h. v. e. a.) v. h. auditoribus e. 3 ; v. h. auditis 2 ; v. h. auditoribus 4, 5. — [18] est *add.* 3-5. — [19] *prius* extracus 1. — [20] subiit 3-5. — [21] inde *add.* 3. — [22] honorabili 2-5. — [23] et *add.* 2. — [24] *om.* 1. — [25] consultatione 3-5 — [26] in *add.* 4, 5. — [27] nimio 2. — [28] (p. m. j.) p. m. j. 2 ; m. p. j. 4 ; postulati j. m. 5. — [29] in *add.* 4 — [30] (c. h.) copulare hujusmodi 3 ; copulare ac 4 ; copulare ac hujusmodi 5. — [31] præficitur. — [32] *cod.* pari, *littera* s *rasa ;* parilis 3. — [33] deinde 3-5. — [34] (a. p. r.) r. a. p. 2, 4, 5. — [35] (a. i. u. p.) i. u. a. p. 2, 4 ; i. u. p. a. 3, 5. — [36] se *add.* 3. — [37] vendicabat 2-5.

Num. 4. — [1] deinde 3-5. — [2] videns 4. — [3] (i. s.) i. 2 ; s. 3. — [4] omnibus 4. — [5] *om.* 2-5.

ille[5] veniens lecto[6] patris ægrotantis assisteret ait ad eum rex: *Ecce vides, fili, quod*[7] *morior, et instante*[8] *die necessitatis extremæ a rebus humanis abducor. In te tamen, meipsum*[9] *arbitror fore superstitem, quia non est penitus credendus absumptus*[10], *qui*[11] *divinæ provisionis munere*[12] *talem sortitur heredem. Tibi gubernacula regni*[13] *trado, te successorem universitatis constituo*[14], *in te post hujus corpusculi sepulturam suffragii spiritalis argumenta depono. Exhibe teipsum probitate strenuum, pietate devotum, moribus mansuetum, maxime quia illi succedis in regnum*[15] *qui se totis*[16] *exhibebat moribus christianum. Esto non immemor pii patris, qui tanta te pietatis cura nutrivi et ad honoris hujus summam perduxi*[17], *ut*[18] *qui in te viget affectus, esse mihi possit obligatus ex gratia etiam*[19] *si nihil debeat*[20] *ex natura. Reputas ne,* inquit, *hoc?* Respondit[21]: *Reputo pater: et quia verum intueor omne quod dicis, facturum me spondeo universaliter quod injungis. Quis enim*[22] *pater filium tanta teneritudine*[23] *fovit, tantis benedictionibus*[24] *prævenit, tanta gloria et*[25] *possessione vallavit? Accedit*[26] *tamen mihi*[27] *ad gloriæ cumulum sublimium titulus*[28] *nuptiarum, quibus ex providentia tua illam sum sortitus uxorem, per quam suum me post modicum ipsa*[29] *præstolatur aula imperialis*[30] *heredem.* Tunc ait rex: *Recte tu quidem fili, et absque ingratitudine universa retractas*[31]; *sed si de placito tui animi*[32] *ante constiterit*[33] *quod meis sermonibus non turberis, aliquod tibi revelabo secretum, per quod te mihi vere*[34] *in immensum noveris obligatum.* Cumque ille sponderet[35] pacem, ait erx: *Non esset magnum fili, si tibi de meo semine prodeunti meus inservisset affectus*[36] *et juxta naturæ decretum exhibuissem filio*[37] *genitoris officium. Eo minor*[38] *est lex ista naturæ, nec habet amor meritum, cui sola præstat communio sanguinis incentivum. Tu vero, fili*[39], *cum nihil ad me pertineas ex natura, esse jam vere noveris, nec*[40] *poteris nec debebis ingratus, qui et*[41] *me et*[42] *mea universaliter es adeptus ex gratia*[43]. Vix ille sermonem finierat, et juvenis animo[44] consternatus ingemuit; et factus[45] quodam animi stupore præmortuus, cum audisset rei gestæ ordinem exilivit. Rex autem[46] ei tam facti silentium imperans, quam animi modestiam persuadens, *Vade,* inquit *ad oppositum scrinium et quod inveneris tolle, ut tuis probes insigniis*[47], *quod meis sermonibus didicisti.* Protulit ille de arcella pallium[48] et simul idem[49] marsupium quod deportationis ejus viaticum reser-

— [6] lectulo 4, 5. — [7] (ait-quod) a. ad e. r. v. e. f. q. 2, 5; a. ad e. r. vide ecce ego 3; r. inquit ei v. e. f. q. 4. — [8] imminente 3, 5. — [9] ipsum *om.* 2-5. — [10] assumptus 2, 4, 5. — [11] sibi *add.* 2, 4, 5. — [12] misericordia 2. — [13] (g. r.) r. g. 2-4; r. tabernacula 5. — [14] (u. c.) universalem institutio 2; u. instituo 3-5. — [15] (i. r.) *om.* 2-5. — [16] (s. t.) totum se 2; se totum 4. — [17] adduxi 3-5. — [18] totus *add.* 2-5. — [19] et 2. — [20] debeas 4, 5. — [21] ille *add.* 2-5. — [22] (et quia-quis enim) *om.* 3. — [23] (f. t. t.) tanta t. f. 2, 4, 5. — [24] (t. b.) b. t. 4. — [25] (g. e.) gloriæ 3. — [26] accidit 2, 3, 5. — [27] (t. m.) *om.* 2; tamen 3-5. — [28] (s. t.) subarrarum titulis 2; sublimum t. 5. — [29] tempus 2. — [30] imperatoris 2. — [31] retractans 2; cognoscis 4. — [32] (p. t. a.) p. a. t. 2, 4; beneplacito a. t. 3, 5. — [33] et *add.* 2, 4, 5. — [34] et *add.* 4. — [35] patientiam s. et 2-5. — [36] animus 3, 4, 5. — [37] *om.* 4, 5. — [38] (e. m.) communis enim 2-5. — [39] *om.* 4, 5. — [40] (n. n.) non 2, 4; nec 5. — [41] *om.* 5. — [42] (pertineas-me et) *om.* 3. — [43] (es a. e. g.) ex g. e. a. 4. — [44] animus 3. — [45] (e. f.) factusque 2, 4, 5. — [46] vero 3, 5. — [47] insignibus 2, 4, 5. — [48] (d. a. p.) p. d. a. 4. — [49] (s. i.) suum illud 2, 4, 5.

vabat. Cumque in conspectu regis [50] pallium expandisset, posuissetque [51] marsupium, fecit eum rex de scriptis et annotatis [52] insignibus tam ejus abdicationis conscium, quam de sui [53] adoptione [54] securum.

5. Vadit ille portans secum [1] suæ paupertatis insignia et de cubiculo regis [2] tristis egressus thalamum introivit [3] uxoris. At illa vultum ejus intuens, quod non esset [4] hylaris [5] sicut heri et [6] nudius tertius, turbationis causas [7] anxia [8] curiositate perquirit et juvenis affusa cervici [9] ruit in oscula ut per blanditias oris discat et excutiat molestiam [10] cordis [11]. Cumque [12] ille magis [13] occulta reticet [14], eo mulier scrutinio ferventis [15] inquisitionis exardet : se despectam, se [16] viro clamitans odiosam, nisi doloris hujus et [17] materiam revelet et causam. Crescit amplius in adolescente tristitia, et dolore pariter ac pudore [18] confusus ab uxoris oculis proprios deflectit intuitus. Cumque se præ angustia spiritus paululum [19] super ulnas conjugis reclinasset, pallium quod sub clamyde gestabat elapsum est, et uxoris aspectui [20] revelatum. Quod illa diligenti consideratione [21] perlustrans, simul et [22] anulum marsupiumque regirans, cognovit ilico suæ infelicitatis insignia : et gravi dolore pectoris saucia [23], plagæ quondam emortuæ [24] vulnera suscipit redidiviva [25]. Protinus in terram ante mariti pedes corpore et animo prostrata dimittitur, et unde illa venerit [26], vel [27] quis ei hæc [28] dederit sciscitatur ? Ille vero, sicut fuit [29] a rege præmonitus, rem sub silentio tegens ad consolationis remedia se convertit, et de thesauris patris hæc assumpta commemorans, turbatam conjugis mentem, suæ interim oblitus turbationis [30], blandi sermonis mulcedine [31] relevabat. At [32] illa, ut [33] mos est mulieribus, imminere proposito pertinaciter [34] donec de maritorum mentibus [35] suspectæ rei hauriant veritatem. Instat [36] lacrimis vincere cor mariti, et nisi rei manifestet [37] occultum, non dubitat procax mulier maritalis copulæ minari divortium. Hoc diebus, hoc noctibus agitur : et in istis [38] alternante fletu singultibus assiduis doloribus tam animi quam thalami penetralia quatiuntur. Tunc primum dedidicit [39] convivium [40], delicias, cubiculum, voluptates, utrobique materia jocunditatis [41] obstruitur donec importunitati [42] femineæ totius rei [43] veritas astruatur. Sed quid tandem anxiæ mulieris causamur instan-

— [50] (i. c. r.) i. c. ejus 2 ; coram rege 4. — [51] posuitque 5 ; (quod deport. — posuissetque) *om.* 3. — [52] (de s. e. a.) despectis annotatisque 2, 4, 5 ; despectis e. a. 3. — [53] sua 2, 3 ; ipsius 4. — [54] ta *sup. lin.*

Num. 5. — [1] (p. s.) s. p. 2-5. — [2] patris 5. — [3] introvit 1. — [4] erat 3. — [5] quod-hilaris *om.* 5. — [6] ac 4. — [7] causam 5. — [8] noxia 4. — [9] (a. c.) affusus c. 4 ; effusa cervice 3, 5. — [10] malitiam 3-5. — [11] quod requirere petitionibus non valebat *add. in marg.* 2. — [12] quantoque 2 ; quanto 3, 5 ; *prius* quæque 1. — [13] (i. m.) m. i. 3. — [14] retinet 2 ; recitet 3, 5. — [15] diligentis 3, 5. — [16] seque 2-4 ; semper et 5. — [17] *om.* 5 : (h. e.) hujusmodi 2, 3, 5. — [18] rubore 2. — [19] (p. a. s. p.) paul. p. a. s. 2, 3. — [20] oculis 4, 5. — [21] meditatione 5. — [22] (s. e.) s. 3, 5 ; similiter e. 2. — [23] sauciata 2-5. — [24] *ita* 2-5 ; emortua 1. — [25] recidiva 2-5. — [26] venerant 2 ; venerint 3, 4. — [27] et 2, 4, 5 ; *om.* 3. — [28] *om.* 2, 4. — [29] fuerat 2, 3, 5. — [30] (o. t.) t. o. 2-5. — [31] dulcedine 4, 5. — [32] ait 2. — [33] sicut 3, 5. — [34] (i. p. p.) pert. i. p. 2, 4, 5 ; pert. adhærere p. 3. — [35] *super rasuram* 1. — [36] infestat 2. — [37] manifestetur 5. — [38] mæstis 2, 4 ; (in i.) mixtis 5. — [39] *ita* 2, 4, 5 ; didicit 1, 3. — [40] *super rasuram* 1. — [41] (m. j.) jocunditas 3. [42] *syll.* ti *post rasur.* 1. — [43] *om.* 3.

tiam?[44] Miremur, o bone Deus, tuam potius ineffabilem pietatem, qui illi[45] sollicitudinem indidisti, ne semper jaceret in crimine mortua, si criminis remaneret[46] ignara, nec festinaret ad portum navigio pænitentiæ, si profunditatem non horruisset[47] offensæ.

6. Victus igitur[1] adolescens et querulis clamoribus superatus rem totam ordine quo fuerat edoctus[2] exequitur : a regni genere[3] se asserens alienum, et tempore quodam[4] recentis infantiæ illo sese[5] pallio convolutum juxta verbum regis testatur inventum. O Deus, quam acutus doloris gladius mulieris animam pertransivit, cum[6] in auditu[7] sermonis hujus[8], illius se recognovit matrem[9], cui exhibebat[10] uxorem, ut[11] quem recepit[12] filium esset continuo perditura[13] maritum. Labitur humi protinus[14] infelix mater[15], infelicior conjunx, et fere exanimata doloribus a se ipsa redditur aliena. Miratur juvenis immoderati doloris angustias et maternæ prolapsionis[16] ignarus reputat quod illa ex despectu conceperit tristitiæ causam tanquam[17] abjecti copulam suam æstimarit injuriam[18]. Cominus ergo verecundus accedens tentat amplexibus triste sublevare corpusculum, et teneri[19] blandimento susurrii sermones[20] hujusmodi[21] infestis auribus instillabat. *Ita est ut dixi. Patior ecce quod timui : futurus eram tibi vilissimus exposita veritate, nec remanebat locus gratiæ, si casus aperiretur ærumnæ. Patet quod in me non florem juventutis*[22]*, non ornamenta morum, non elegantiæ dilexeris venustatem, sed prærogativam generis cunctis prætuleris dotibus caritatis*[23]*. Verum quid refert undè nascamur, si possumus superare quod nascimur? Plus habet gloriæ probitatis splendor*[24] *in humili, quam fastus*[25] *originis in sublimi. Ceterum quis novit, si in me quoque*[26] *aliquid regiæ stirpis influxerit*[27]*, quem regii*[28] *ornatus gloria nec expositum dereliquit.* Tunc illa modicum in seipsa respirans, *Non es,* inquit, *habendus mihi*[29]*, o homo, despectui, et si ipse*[30] *despicabilis conjugi*[31]*, non potes non esse amabilis genitrici*[32]*. Tu mihi*[33] *carissime, tu mihi ex patre quod*[34] *frater et filius, ex fratre filioque maritus. Ego te infelix*[35] *patre generante concepi, ego te peperi, ego te involucro pallii præsentis involvi. Recognosco verendi*[36] *partus insignia*[37] *intueor inauditi*[38] *sceleris argumenta et ictu fere doloris emorior, nisi*

— [44] (sed quid-inst.) *om.* 2. — [45] (qui illi) qui hanc illi 2, 4, 5 ; qui hanc 3. — [46] remansisset 3-5. — [47] novisset 4 ; erui novisset 3 ; eruisset 5.

Num. 6. — [1] ergo 3, 5. — [2] doctus 2-5. — [3] (r. g.) regis g. 2, 4, 5 ; regis semine 3. — [4] quondam 3, 5. — [5] se 2, 3. — [6] dum 5. — [7] (i. a.) *super rasuram* 1. — [8] hujusmodi 3, 5. — [9] (i. s. r. m.) s. i. r. m. 3 ; s. m. i. cognovit 4. — [10] (c. e.) c. se e. 4 ; c. e. se 3. — [11] et 2. — [12] recipit 4 ; recipit in 2, 3, 5. — [13] (e. c. p.) c. e. p. 3-5 ; e. c. perdictura 2. — [14] *super rasuram* 1. — [15] (i. m.) m. i. 3, 4. — [16] prolationis 3. — [17] et velut 3-5. — [18] (æ. i.) i. æ. 3, 5 ; æ. in i. 2. — [19] *prius* teneris 1. — [20] *ita* 2-4 ; sermonis 5 ; sermonibus 1. — [21] hujus 5. — [22] (n. f. j.) *ita* 2-5 ; j. f. 1. — [23] caritatum 3. — [24] (p. s.) s. p. 2-5. — [25] faustus 3-5. — [26] *om.* 4 ; forsitan 3. — [27] influxit 2. — [28] (q. r.) q. regali 2, 4 ; q. regalis 3-5 ; quam r. 1. — [29] (i. h. m.) i. m. h. 2. 5 ; m. i. h. 4. — [30] (d. e. s. i.) contemptui i. e. s. esses 2 ; contemptui quia e. s. esses 4 ; contemptui quia si esses 5. — [31] et *add.* 2. — [32] (non es-genitrici) fili mihi olim habendus contemptui qui etsi omnes despicabilis conjugii non posses esse non amabilis genetrici 3. — [33] *om.* 2-5. — [34] quidem 2, 4 ; (p. q.) parte quidem 5. — [35] ex *add.* 3. — [36] verecundi 2-5. — [37] et *add.* 5. — [38] in auditu 5.

quia [39] *in aspectu* [40] *non jam mariti, sed filii* [41] *mater potiùs quam nupta respiro.* His inter utrumque [42] prolatis, rumpuntur ambo mutuis [43] singultibus, et vix tandem luctibus mitigatis pariter procedunt [44] ad regem doloris sui causam illius simulantes obitum [45].

7. Moritur ille post modicum et procurante juvene [1], sicut fuerat ante [2] præmonitus, cum summo exequiarum cultu regali traditur sepulturæ. Fit elemosinarum copiosa largitio, funditur impensa grandis [3] in pauperes et in memoriam pii [4] patris munera non modica dispensantur ecclesiis. Cumque demum paterni luctus munia [5] peregissent, incipiunt tandem de statu regni fore solliciti, et sic prudenter universa disponere, ut cuncta [6] eis ad vota [7] succederent, nisi sola conscientiæ judicia succrescerent [8]. Ineunt ergo pariter de advocando imperatore [9] consilium, ut ei [10] principaliter persuadeant [11] pænitentiam, qui fuit [12] principalis ad culpam [13]. Statuitur dies certa colloquii et regni dispositionibus honestiori occasione prætensis [14], prædictus imperator ad locum consilii nuntiis festinantibus accersitur. Quo cum utraque pars impigro desiderio convenisset, ducitur prima dies communi jocunditate solemnis eo quod imperator et [15] filiam et generum cum summa lætitia [16] suscepisset. Porro dies altera nube mœroris obducitur [17] et finis gaudii luctibus sequentibus occupatur. Filia namque privatum patris poscit alloquium, et amotis ceteris solum expetit interesse maritum.

8. Tunc genibus affusa parentis obortis [1] lacrimis ait : *Debes, o pater, divinæ pietatis esse* [2] *non immemor, debes supernis beneficiis existere non ingratus pro certo sciens, quod cælestis libra justitiæ, sicut largius tibi munerum suorum dona distribuit, ita et suorum* [3] *pondera meritorum statera æquitatis appendit.* Et ille [4], *Verum est,* inquit, *o* [5] *filia, quod enarras, multumque me fateor Deo* [6] *debitorem, qui tanta me fecit virtute præpotem* [7], *opulentia locupletem, fama celebrem* [8], *gloria majestatis illustrem. Accedit vidisse me* [9] *filiam regi nuptam et duorum regnorum unica felicitate reginam, quorum alterum* [10] *conjugio possides* [11], *alterum præstolaris* [12] *ut heres.* Illa vero [13] altius ingemiscens adjecit : *Sunt et ista, pater, munera supernæ* [14] *largitatis, quæ Deo in* [15] *immensum obligant quemcunque circumdant. Sed aliud est in quo* [16] *teipsum Deo magis obnoxium esse fateberis, si nostri quon-*

— [39] quod 5. — [40] conspectu 3. — [41] conjugis 5. — [42] (i. u.) utrimque 5. — [43] (a. m.) m. a. 2-5. — [44] prodeunt 2. — [45] (s. o.) o. s. 2-4 ; obitu s. 5.

Num. 7. — [1] filio 2-5. — [2] a rege 3-5. — [3] (f. i. g.) i. g. effunditur 2 ; impensæ effunduntur 3-5. — [4] *om.* 2-5. — [5] terminos 4, 5 ; funera terminum 3. — [6] *prius* cunta 1. — [7] (a. v.) devota 5. — [8] formidarent 2, 3, 5 ; (nisi sola-succr.) *om.* 3. — [9] imperatoris 3. — [10] *om.* 3. — [11] persuadeat 3. — [12] fuerat 3, 5. — [13] (a. c.) in culpa 2. — [14] (h. o. p.) o. p. h. 5. — [15] *om.* 2. — [16] (c. s. l.) et generam 2 ; *om.* 5. — [17] *super rasuram* 1.

Num. 8. — [1] abundat 3 ; orbatis 4 ; oblatis 5. — [2] *om.* 3. — [3] (i. e. s.) e. tuorum 2, 4, 5 ; sic e. tuorum 3. — [4] ecce 4. — [5] *om.* 3. — [6] (m. f. D.) D. m. f. 2 ; meo D. f. 3 ; m. D. f. 4, 5. — [7] præpotentem 2. — [8] et *add.* 2. — [9] (a. v. m.) a. m. v. 5 ; a. m. videre 4 ; accidit m. videre 3. — [10] unum 2. — [11] possidens 2. — [12] *ita* 2-5 ; postularis 1. — [13] non 5. — [14] (m. s.) s. m. 4. — [15] *om.* 3. — [16] (i. q.) *bis scriptum, sed altera vice deletum* 1.

dam sceleris recorderis; quia in hoc vere Dominus tibi pius et beneficus[17] *extitit, qui post tanti flagitii abominabiles usus et tibi et mihi*[18] *pænitentiæ tempus indulsit.* Tentabat[19] pater in ore loquentis filiæ verba præcidere ratus astantem generum reatus hujus[20] materiam ignorare. At illa: *Non est*, inquit[21], *pater, cur in sermonibus istis hujus*[22] *vereamur auditum, ipse melius prodit nostræ impietatis elogium. Hic est quem genuisti pater ex filia; hic est quem ego tibi nefario*[23] *partu profudi: quem ne occideretur ejeci : ne innotesceret*[24] *abdicavi, ut*[25] *inveniretur exposui, ut nutriretur ornavi*[26]. *Hic est quem tua libido mihi*[27] *filium, fatorum dedit incertitudo maritum.* Cecidit protinus augustus heros[28], et tactus dolore cordis intrinsecus in terræ gremium ad pedes demittitur filiorum. Cumque se sibi post modicum[29] reddidisset ita exorsus est: *Mea sunt, o filia, mea sunt crimina, quæ formidas. Ego auctor*[30] *sceleris, ego facinoris pater, nihil ad te nihil ad hujus*[31] *innocentiam detorquendum*[32]; *tota in me sæviat pœna a quo tota manavit*[33] *offensa. Est hic mecum episcopus quidam religione magnus discretione præcipuus; placet ut accitus adveniat, et audito*[34] *culpæ tenore remedium afferat pænitenti*[35].

9. Vocatus[1] episcopus introivit[2]. Accedunt tres illi pariter et ad vestigia curvantur antistitis, nec prius de terra surgunt[3], quam in auribus sacerdotis imperatore narrante[4] rei gestæ veritas denudatur[5]. Ad hæc in immensum prius[6] præsul indoluit, et vix post lacrimas frenato singultu habendæ consolationis inducias imploravit[7]. At illi[8]: *Non erit*, inquiunt, *ita pater, sed antequam tuam removeas*[9] *ab hoc secessu præsentiam, præbe peccatoribus tuis sacerdotale consilium*[10], *saluberrimam medicinam.* Tunc ille, *Vicinus est*, inquit, *nobis degens*[11] *in hoc nemore sanctissimus eremita, cujus vos*[12] *consilium expetere*[13] *moneo et in peccatorum*[14] *remissionem injungo.* Placuit regibus sacerdotale consilium et continuo cum eo simul egressi[15] adeunt incunctanter cellulam viri Dei. Ille vero in limite[16] stans mox ut[17] vidit a longe venientes accurrit[18], adventus causam aperit, non requirit; et totius acta materiei[19] spiritu doctus[20] exponit. Mirantur illi et mirabiliter obstupescunt, atque ab eo pænitentiæ formam episcopo mediante deposcunt[21]. Statim igitur communicato consilio exilium eis septennale proponunt et abstinen-

— [17] (D. t. p. e. b.) D. p. t. e. b. 2, 4, 5; D. p. b. 3. — [18] (t. e. m.) m. e. t. 3. — [19] tentat 3. — [20] hujusmodi 5; (ratus-hujus) et a. g. r. hujusmodi 3. — [21] *om.* 3. — [22] hujusmodi 5. — [23] (t. n.) n. t. 5. — [24] ignosceret 3; ignotesceret 5. — [25] ne 2-5. — [26] *om.* 3. — [27] (t. l. m.) m. t. l. 2, 4; ego t. l. 3. — [28] hæres 5. — [29] modum 5. — [30] actor 2, 3, 5. — [31] *om.* 5; (a. h.) a te hujusmodi 3. — [32] extorquendum 4, 5. — [33] emanavit 3, 5. — [34] (acc. a. e. aud.) accinctus a. e. aud. 2; acc. veniat aud. 3; acc. veniat e. aud. 5; acc. a. e. auditæ 4. — [35] pænitentiæ 2-5; salutaris. Respondent illi: Placet *add.* 3; Resp. illi. Pl. *add.* 5.

Num. 9. — [1] igitur *add.* 4, 5. — [2] introvit 1. — [3] surgitur 2, 4, 5. — [4] totius *add.* 3. — [5] denudetur 2, 4, 5. — [6] pius 2-5. — [7] (ind. i.) remedium i. 2; ind. deploravit 3, 4. — [8] (at i.) *om.* 2; ac i. 3. — [9] (t. r.) tu removes 2. — [10] (t. s. c.) tui sacerdotalis consilii (officium 4) 3-5. — [11] et *add.* 5. — [12] et *add.* 2. — [13] petere 3. — [14] peccaminum 4; hoc peccatorum 5. — [15] agressi 3. — [16] limine 3, 5. — [17] eos *add.* 2-5. — [18] occurrit 3-5. — [19] (t. a. m.) erectius actum materiæ 2; t. actum materiæ 3-5. — [20] *ita* 2-4; ductus 1. — [21] requirunt 5.

tiæ formam [22], quam res exigebat indicunt. Traditur mox episcopo servandus honor imperii et [23] regni potestas Ungarici [24] alii similiter antistiti commendatur. Eunt [25] igitur seorsum singuli [26] induti [27] laneis [28], pedibus denudatis, non parcentes laboribus ut parcerent animabus. Singulis annis adeunt eremitam ut ejus monitis [29] animæquiores [30] effecti ad [31] peragendum pænitentiæ cursum magis reddantur idonei.

10. Interim sua volubilitate [1] septennium et anno ultimo jam peracto ad locum conveniunt, de [2] quo ad eremum ascendere [3] consuerunt [4]. Gaudent communiter et lætantur quod feliciter exsolverint [5] pænitentiæ tempus et mutua sibi jocunditate plaudentibus, in immensum mulier tam patri quam filio congaudebat. Pergunt [6] pariter ad cellulam eremitæ; sed dum iter agerent, contigit ut advenienti militi in ipsa vastitate solitudinis [7] obviarent. Quærit ille qui sint, quo vadunt [8], et unde veniant sciscitatur. Respondent : *Homines pænitentiales sumus, et ad virum Dei qui has incolit regiones, pro consilio nostræ* [9] *salutis imus.* At ille [10], *Video,* inquit, *quod pænitentiales estis; sed ut mihi videtur effigie quadam nobilioris sanguinis præfulgetis* [11]. *Hodie igitur in domo mea manere vos convenit; quia ecce tenebræ operiunt terram, et vobis hodie jejunio fatigatis ad consummandum propositum iter brevis quæ superest hora non sufficit.* Compulit eos oppido divertere in domum suam [12], et instructo convivio, nobilium corpora inedia et infatigatione confecta exhibitæ humanitatis copia recreavit. Die altera valedicentes hospiti viam prosequuntur inceptam; sed ignari locorum errore miserabili feruntur in devium. Quærunt undique, perscrutantur ubique, si quas viantium semitas [13], si qua hominum [14] vestigia [15], signa viderent, quorum tramite procedentes ad casulas [16] eremitæ pertingerent. Hærent et dolore multo inter ambigua stupent, dum ecce ad occasum lux divina [17] deflectitur, et illa nemorum opaca condensitas irruentis noctis tenebris operitur. Tunc juvenis annis animoque [18] robustior de jacentibus arborum foliis et herbis quibuslibet sua ariditate [19] decoctis [20] thorum struit [21] quieti parentum : eisque ut dormiant [22] ammonitis [23], in vicinam arborem nocturnas excubias observaturus [24] ascendit. Inter hæc duo illi [25] collocantur ut dormiant [26]; sed diabolus certe non dormit [27], dum putat posse [28] se [29] eos in sua solitudine [30] vincere, quos in eorum thalamo [31] se meminit superasse. Quid facimus [32] Jesu bone [33]?

— [22] (episcopo-formam) *om.* 3. — [23] *om.* 3. — [24] Ungariæ 4, 5. — [25] sunt 5. — [26] *om.* 5; pannis *add.* 3. — [27] *om.* 2. — [28] et *add.* 3-5. — [29] admonitis 2-4. — [30] æquinimiores 2-5. — [31] *litt.* d *super rasuram* 1.

Num. 10. — [1] (s. v.) s. transitur v. 3, 4; transit s. nobilitate 5. — [2] (c. d.) perveniunt 3; pervenerunt in 4, 5. — [3] accedere 3, 4. — [4] consueverunt 2, 4; *syll.* ve *add. sup. lin.* 1. — [5] expleverant 3; exolverunt 5. — [6] peragunt 2. — [7] sollicitudinis 2, 3; (in-solitudinis) *om.* 5. — [8] vadant 2-5. — [9] nostro 3. — [10] (a. i.) *om.* 5. — [11] præfulgentis 2. — [12] (div. i. d. s.) i. d. s. div. 4. — [13] cernerent *add.* 5. — [14] humani 2, 4, 5; *post rasuram* 1. — [15] vestigii 2, 4, 5. — [16] casulam 2-5. — [17] demum 3; diurna 4, 5. — [18] animaque 5. — [19] (s. a.) a. 5; a. s. 4. — [20] dejectis 2. — [21] stravit 3, 4, 5. — [22] dormirent 2-5. — [23] ipse *add.* 2-4. — [24] servaturus 2-4. — [25] (d. i.) i. d. 3. — [26] (ut d.) *om.* 3. — [27] (s. d. c. n. d.) s. d. nunquam c. d. 2; s. c. d. nunquam d. 3-5. — [28] per 2, 5. — [29] (p. s.) *super rasuram* 1. — [30] sollicitudine 2-4. — [31] thalamis 5. — [32] faciemus 2-5. — [33] (J. b.) b. J. 3.

Piget scribere quæ sequuntur, nisi [34] quia omnia tuæ laudi subserviunt; etiam quæ [35] tuorum judiciorum [36] profunditate compressa, ad quid nobis contigerint, non ostendunt [37]. Recalescit flamma sceleratæ voluptatis in senibus; et post tot lacrimas, post septennalis [38] pænitentiæ metas excludit luctus terminum libidinis incentivum; et dum extrema nox [39] agitur, infelix pater infelicissimæ filiæ redivivo [40] flagitio commiscetur. Sentit ilico filius opus impietatis extremæ; et de [41] arbore in qua erat proruens potius quam descendens accessit corpore, mente recedens, et zelo divinæ ultionis accensus [42], arrepto baculo qui [43] jacebat, impios parentes extinxit et eorum cadavera foliis superjectis obtexit.

11. Sedit eminus expectans diem, peragens lacrimis et ululatibus noctem, tandem prorumpente diliculo, tunc [1] festinus aggreditur, et invento calle tramitis justioris, tristis et consternatus ad locum viri Dei [2] ascendit. Mox ille in occursum venientis egreditur et *Heu fili*, inquit [3], *quid actum est? Scio, scio* [4]*: tradenda est parentibus sepultura, tibi* [5] *pænitentia resumenda.* Vadunt [6], suscipiunt corpora mortuorum, et intra eremitæ penates cadavera miseranda sepeliunt. Juvenis autem aliud suscipiens [7] eremita dictante septennium, tantum solvit pænæ ut nil videretur remansisse [8] offensæ. Completo autem [9] tempore venit ad eremitam et advocato episcopo, qui conscius facti [10] fuerat, jubetur juvenis a pænitentiæ labore quiescere et ad regni sui gloriam remeare. At ille, *Velim* [11], inquit, *ante nosse* [12] *si dimissus sit penitus reatus culpæ* [13]*?* Tunc eremita virgam quam manu gestabat supercilio tumuli præminentis [14] infigens, *Eia*, inquit [15], episcopo juvene [16] præsentibus, *quicunque vestrum illum* [17] *mihi retulerit baculum, liberum se noverit ab* [18] *onere peccatorum.* Præcedit [19] episcopus; et cum affixo terræ stipiti propinquasset, ipse quoque genutenus telluri defigitur, satis superque lætus [20] si ad arbitrium vitæ suæ saltem sine baculo revertatur. Subsequitur juvenis et accedit; avulsoque protinus sine difficultate [21] virgulto ad virum Dei et [22] lætus revertitur et securus. Tunc illis eum ad imperium [23] et regni [24] gloriam revocare volentibus ait : *Scitote pro certo, carissimi, quod ego* [25] *cælestis regni aviditate suspensus mundanæ gloriæ transitoria regna contempno, et* [26] *istius me incolam vastitatis tota vitæ hujus diuturnitate constituo. Unum est quod requiro devotus a vobis, ut meæ mihi tam originis quam vitæ ordinem conscribentes, vitæ anachoreticæ habitum tribuatis* [27]. Parent ambo

— [34] *om.* 3. — [35] (e. q.) et q. 4; et 5. — [36] (t. j.) j. t. 2, 4, 5; et j. t. 3. — [37] offendunt 5. — [38] septennales 4. — [39] nos 5. — [40] recidivo 3-5. — [41] *om.* 5. — [42] accessus 2. — [43] juxta *add.* 3, 4.

Num. 11. — [1] iter 3-5. — [2] (t. e. c. a. l. v. D.) a. l. v. D. t. e. c. 2-4; a. l. v. D. t. e. c. 5. — [3] (f. i.) i. f. 4. — [4] (heu-scio) heu heu inquit fili scio quid actum est (q. a. e. s. 5) 3, 5. — [5] vero *add.* 3. — [6] que *add.* 2; et *add.* 5. — [7] incipiens 3, 5. — [8] (v. r.) r. v. 2-5. — [9] *om.* 4. — [10] (c. f.) f. c. 3. — [11] vellem 4, 5. — [12] cognoscere 4, 5; (et ad-nosse) *om.* 3. — [13] offensæ 4, 5. — [14] *om.* 2; parentum 5; (t. p.) tumulo parentum 3. — [15] ait 3, 5. — [16] que *add.* 2, 4, 5. — [17] *lit.* m *in rasura* 1. — [18] omni *add.* 3. — [19] procedit 3, 4. — [20] (d. sat. s. l.) defigitur sat. s. futurus 1. 2; d. l. et hilaris sat. s. futurus (futurus *om.* 4) 3-5. — [21] baculo de *add.* 5; (s. d.) baculo de 4. — [22] *om.* 3. — [23] imperii 5. — [24] sui *add.* 3. — [25] *om.* 5. — [26] si *add.* 2. — [27] (v. a. h. t.) formam mihi (mihi *om.* 3, 5) a. t. 2, 4, 5.

pariter votis [28] : et omnia redigentes in scriptis, datis juveni tribus hordeaceis panibus, eum in eremi [29] secreta demittunt [30].

12. Vadit ille lætabundus et laudans, et cum soli Deo placere desideret ab hominum consortio se sibi [1] recessisse congaudet. Invenit tamen homines, immo ipse [2] ab hominibus invenitur, qui ablatis ei panibus et injuriis irrogatis, in tantam prorupere [3] sævitiam [4] ut perimerent [5] innocentem et perempti gloriosissimum [6] corpus [7] in vicini [8] fluminis alveo projecerunt [9]. Suscepit corpus amnis [10] non [11] indevotus exanime, et super undarum vertices glebam deferens levigatam, ostendebat quo polleret [12] merito, qui [13] non mergebatur [14] unda profundo. Sistitur corpus sancti obice molendini, ibique occultatur aquis, donec contingat revelari miraculis.

13. Post hæc autem filia cujusdam militis nuper lepra percussa, cum ejecta foris in ripa fluminis habitaret, venit more solito haurire [1] de flumine, ut portaret aquas [2] quibus vel [3] habundaret ad potum, vel uteretur ad lavacrum. Placuit puellæ de fluentibus aquis [4] manus intingere, et manus intinctæ mundantur; lavat pedes, et lepra fugit a pedibus; tota demum mergitur [5], et potentis undæ [6] lavacro tota [7] penitus mundatur [8]. Redit ad patrem mundata [9] virguncula; et mundationis suæ ordine declarato, fecit rem propriam communi patere miraculo. Undique ergo [10] curritur, Aleris [11] intratur fluvius et abstergitur morbus, nec retinet caro lepræ [12] contagium quæ aquæ potuit [13] habere contactum. Defertur rei novitas ad antistitem civitatis, qui reputans secum unde hoc [14] venerit aquis illis [15] gratia sanitatis, intellexerit [16] protinus aliquid esse depositum [17] fluvio [18], cujus virtutem fugeret [19] ægritudo. Fit ergo concursus populi, processio cleri et subsequente pontifice ad locum miraculi cum summa omnium admiratione venitur. Quærunt et inveniunt prætiosissimum corpus, et reserata picside, quæ vitæ suæ epygramata continebat, gavisi sunt universi tanto ditati thesauro; et cum festiva solemnitate ad solemnem [20] ecclesiam novum [21] martyrem deferentes, ad omnipotentis Dei [22] gloriam parant [23] sancto celeberrimam sepulturam.

14. Benedictus tu [1] Domine Deus qui facis mirabilia magna [2] solus. Tua sunt innocentiæ dona, tua sunt pænitentiæ munera, tua sunt contriti cordis et humiliati

— [28] ejus, cujus 3. — [29] eremo 2. — [30] dimittunt 2, 5.

Num. 12. — [1] *om.* 3. — [2] potius *add.* 5. — [3] (invenitur-prorupere) *om.* 3. — [4] vesaniam 2. — [5] *ita post correct.* 1. — [6] pretiosissimum 2. — [7] *syll.* us *super rasuram* 1. — [8] *super rasuram* 1. — [9] (a. p.) alveum p. 3; alveum projecerint 4; *ita post ras.* 1. — [10] (c. a.) a. c. 3, 5. — [11] (a. n.) *super rasuram* 1. — [12] pollebat 3; compelleret 5. — [13] quem 2, 4, 5. — [14] mergebat 2, 4, 5.

Num. 14. — [1] aquas *add.* 2, 4, 5. — [2] (u. p. a.) *om.* 2-5. — [3] cum *add.* 3. — [4] *om.* 3. — [5] immergitur 3, 4; (d. m.) deinde immergitur 5. — [6] *ita* 2-4; (p. u.) patentis undæ 5; unda 1. — [7] *om* 5. — [8] emundatur 3-5. — [9] munda 5. — [10] igitur 4. — [11] a leprosis 2-5. — [12] *om.* 2-4; *lit.* æ *super rasuram* 1. — [13] poterat 3. — [14] hæc 4, 5. — [15] *super rasuram* 1. — [16] intellexit 3-5. — [17] *super rasuram* 1. — [18] fluvo 1. — [19] virtute 2-4; (v. f.) virtute fugerit 5. — [20] episcopalem 2-5. — [21] Christi *add.* 3, 4. — [22] *om.* 5; laudem et *add.* 3. — [23] præstant 2.

Num. 14. — [1] es 4; es ṭ. . — [2] *om.* 2.

spiritus holocausta. Tu Domine acceptasti [3] sacrificium justitiæ in pænitentia hujus sancti [4], dimittens ei debitum in remissionem [5] criminis, augens [6] in gloria [7] passionis. Da etiam [8] nobis Domine compunctionis gratiam, laboris [9] tolerantiam [10], efficaciam pænitendi, ut per exemplum [11] Albani servi tui mereamur et nos cum eo [12] a nostris facinoribus ablui et super nivem [13] dealbari. Amen [14].

Explicit passio vel vita sancti Albani martyris [1].

De patris incestu parens sibi filia natum (1),
Celatura nefas ne videatur agit.
Fertur ad ignotos, exponitur ; inde petenti
Traditur Ungarico præda reperta duci.
Floret adoptatus, vult ducere, traditur illi
Mater, amica, soror, femina nupta nurus.
Rex puero, puer uxori secreta revelat,
Credunt ambo, dabant regia signa fidem.

— [3] accepisti 2-5. — [4] hoc *add.* 2; (h. s.) s. h. 4, 5. — [5] remissione 2. — [6] meritum *add.* 2, 5. — [7] gloriam 3. — [8] et 2-5. — [9] laborum 2-5. — [10] et *add.* 3. — [11] beati *add.* 4. — [12] (c. e.) *om.* 3. — [13] in æterna gloria *add.* 3. — [14] *om.* 2, 5.

[1] *om.* 2-5.

(1) Isti versus in margine inferiori per omnem passionis decursum sunt scripti ac ita singulis columnis subjecti ut contracta paucis referant quæ in textu prolixius narrata sunt. — Isti versus in 2-4 *omm.;* in 5 autem post passionem sic :

Versus.

Concipit ex patris coitu sua filia, matris
Nomen habet, natum projicit, celare reatum
Æstimat atque thorum vetitum. Rex Hungariorum
Suscipit prole carens, incipit esse parens.
Crescit honor pueri, Romani mittitur heri
Filia, cui genuit ultimo sponsa fuit.
Filius et frater est conjunx sponsaque mater
Rex moritur, gestum narrat puero sibi mæstum,
Ipse refert matri, mandat uterque patri.
Res male vadit; ita sicut dicunt eremita
Injungit pænas septenas laxat habenas
Dumque simul pergunt, dum flendo crimina tergunt.
Decipit Augustum Sathanas, nam crimine justum
Polluit : ac iterum stupratur filia. Verum
Filius hoc vidit et utrumque fuste cecidit,
Sic quoque delinquens, proprium patriamque relinquens
Austeræ vitæ se tradidit ac heremitæ
Jugiter attrivit carnem, cælumque petivit
Regnans cum Christo mundo sublatus ab isto :
Albani vita versificatur ita.

His senior junctus resipiscit, pæna petenti
Si tria jungantur quæ quadriennis erat [1].
Itur et ambitur, ad vatis tecta reditur
Nox nocet, in facinus res repetita redit.
Impietatis opes cultor pietatis abhorret,
Et pietatis opes pro pietate necat.
Pertinet ad veniam repetiti pæna laboris
Hoc opus, hanc requiem pagina læta capit.
Impia munificum, mitem manus aspera truncat.
Spiritus alta petit, corpus in amne jacet.
Una prius per eum generalis lepra fugatur
Virtutum titulis laus cumulata viget.
His vitæ meritis fulgens Albanus in albis
Transit ad albatos, albificatque suos.

CCVI. Codex apud D. Phillipps signatus n° 349.

Iste codex codicibus duobus in unum ligatis constare videtur.

Prior, foliorum 156, formæ minoris (0^m,222 × 0,155), lineis plenis graphide ductis, a duplici manu nitide descriptus est seculo XIII. Tutuli rubricati sunt, litteræ majores rubro viridive colore depictæ subinde sat diligenter exornatæ sunt, illa servata exornandi norma, quæ apud Camberonenses, quorum erat codex, tunc temporis vigebat. Hæc pars nullo modo ad hagiologiam spectat; nam, ut in chartula coöperturæ agglutinata notatur, sequentes ibi tractatus continentur:

Libellus Anselmi Cantuariensis archiepiscopi " Cur Deus homo "; item soliloquium Hugonis de Arra animæ, item Ailredus de ortu spiritalis amicitiæ libri tres; in fine ipsorum de pœnitentia Salomonis; tandem quod in indice omissum est, liber prognosticorum quem *Idalio Barcinonensis ecclesiæ episcopo* scripsit *Julianus indignus Toletanæ ecclesiæ episcopus.*

Alter foliorum 36, formæ ejusdem, tum lineis plenis, tum binis columnis una manu seculo XIII ineunte conscriptus est. Index, de quo supra, monet in hoc contineri: *Phisiologum de naturis avium atque ferarum, item tabulam compoti et orationes de sancta Maria,* sed omisit documenta inferius recensenda et fragmentum libelli quem auctor ipse *Elucidatorium* nominavit.

1° Orationes de sancta Maria (fol. 180r-189v).

Hac sub rubrica versibus descriptæ sunt in codice orationes octo. E quibus

[1] junguntur *super lin., prius* demantur *et add. glossa* id est quatuor.

quinque priores ita confecit poeta ut singuli singularum versus eadem littera desinant, quæ litteræ simul junctæ efforment nomen Maria. Ita :

Or. I.	Stella maris lumen orbis fidei prœconiu **M**
Or. II.	Regina virginum felix puerper **A**
Or. III.	Stella stellis omnibus fulgor celebrio **R**
Or. IV.	Alma virgo regina secul **I**
Or. V.	Maria melliflua stella maris fulgid **A**.

Sexta desinit in *e :*

Maris stella mater Christi salvatoris hostie.

Septima iterum in *m :*

Urbs fuit in Galilea Nazareth urbs urbium.

Ultima a norma deflectit.

2° De S. Maria Magdalena (fol. 189v-190r).

Inc. Omnis homo qui premeris enormitate sceleris
Sit in tua memoria sancta peccatrix Maria.

Desin. Ut propulsis criminibus tuis sedulis precibus
Nos divina clementia perducat ad celestia.

3° Passio S. Mauricii (fol. 190r-191r).

Passio auctore Marbodo edita apud Migne, P. L., tom. CLXXI, p. 1625 sqq. In cod. subinde aliquot versus omm.

4° Vita Stæ Thaysis (fol. 191r-192r).

Vita auctore Marbodo Redonensi edita in *Act. SS.*, ad d. 8 Oct., tom. IV, p. 226 sqq.

CCVII. Codex apud D. Phillipps signatus n° 356.

Foliorum 112, formæ minoris (0m,244 × 0,162), lineis plenis graphide ductis, una manu exaratus sec. XIII. Titulus rubricatus est, litteræ majores alternis fere semper vicibus rubeo viridique colore depictæ. Olim Camberonensis abbatiæ erat. Etenim inscripta invenimus fol. 1r sequentia : *Iste liber est piæ de Camberone Mariæ, quem qui abstulerit anathema sit;* ac *Liber beatæ Mariæ de Camberone,* deinde passim in margine inferiore *de Camberone.* Insuper olim amplior erat codex, nam inscriptus est fol. 1r talis index : *In hoc volumine continentur : Gesta Barlaam et Josophat; item quomodo inventa sit sancta crux ab Helena regina; item quomodo exaltata sit sancta Crux ab Eraclio imperatore; item sermo in dedicatione ecclesiæ sancti Michaelis; item sermo beati Augustini episcopi in assumptione beatæ Mariæ.* Nunc vero reperitur tantum hoc documentum :

Liber gestorum Barlaam et Josaphat servorum Dei eruditus greco sermone a Johanne Damasceno viro sancto et erudito.

Editus apud Migne, P. G., tom. XCVI, p. 859 sqq.

CCVIII. Codex apud D. Phillipps signatus nº 364.

Foliorum 130, formæ mediæ (0^m,27 × 0,189), lineis plenis, stylo ferreo ductis, a diversis sec. XI exaratus. Excipiuntur tamen folia 115-122 quæ ad sec. XII referenda sunt, et posteriori ætate dum codex ligabatur, ob rei tractatæ similitudinem præcedentibus annexa sunt. Tituli rubricati sunt, itemque sæpius litteræ majores quæ subinde rudiori arte exornatæ sunt. Codex olim erat S. Ghisleni. Etenim fol. 1^r scripta sunt hæc : *Liber sancti Gilleni ;* in hac domo signabatur ooo. Temporum injuriam hominumve improbitatem passus est codex. Desiderantur enim quædam documenta ex illis quæ enumerata sunt in indice contentorum, qui descriptus manu ut videtur seculi XV, initio codicis appositus est.

1° Vita S. Trudonis presbyteri et confessoris (fol. 1^r-24^v).

Vita auctore Donato edita in *Act. SS. Belgii,* tom. V, p. 23 sqq.

2° Vita S. Euterii episcopi et confessoris (fol. 25^r-40^r).

Vide supra, p. 344, 20°. In fine annexum est neumatibus notatum initium officii liturgici quod recitabatur in nativitate sanctæ Mariæ.

3° Passio sanctorum martyrum Mauritii, Exsuperii Candidi, Innocentii atque Victoris et sotiorum quæ facta est sub persecutoribus Diocletiano et Maximiano (fol. 41^r-48^v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 22 Sept., tom. VI, p. 245 sqq. — Antiquitus in cod. sequebatur *Vita ac revelatio beatæ Aldetrudis virginis Christi* et alia quædam documenta quæ nunc avulsis foliis desiderantur.

4° Passio sanctæ Anastasiæ virginis. Quod est VIII Kal. Januarias (fol. 49^r-51^v).

Edita in *Bibl. Casin.,* tom. III, Florig., pp. 183, 184, col. 1 med., scilicet ab his verbis : *Igitur tradita.*

5° Passio S^tæ^ Teclæ virginis. Quod est VIIII Kal. Octobris (fol. 51^v-59^r).

Edita apud Mombritium, tom. II.

6° Passio Stæ Eufemiæ virginis, quæ martyrizata est sub Diocletiano imperatore, proconsule vero Prisco (fol. 59r-66v).

Edita apud Mombritium, tom. I.

7° Contra eos qui revelationem beati prothomartyris Stephani dicunt apocripham ex sermone S. Augustini in Johannem CXVII, ex libro Gennandii de viris illustribus (fol. 67r).

Vide Migne, P. L., tom. XXVX, p. 1954; Tractatus CXX, num. 4 *(Venerat enim Nicodemus-declaratur).* Vide Gennadius capp. XLVI, XLVII, (Migne, P. L., tom. LVIII, pp. 1084, 1085).

8° Argumentum revelationis prothomartyris Stephani (fol. 67r-67v).

Breve quoddam procemium in subsequentem narrationem. Inc. *Sanctorum Christi sollemnia, quorum apud Deum fovent mundum patrocinia.*

9° Revelatio corporis S. Stephani (fol. 67v-71v).

Edita apud Migne, P. L., tom. XLI, p. 807 sqq.

10° Translatio corporis S. Stephani ab Iherosolimis in Constantinopolim (fol. 71v-74v).

Ibid., p. 817 sqq.

11° Descriptio qualiter prothomartyris Stephani brachium ad civitatem Bisonticam sit delatum tempore Theodosii Junioris imperatoris (fol. 74v-77v).

Edìta supra, tom. I, pp. 75, 76, num. 1-6.

12° Qualiter brachium S. Stephani furatum et dubio flumine projectum mirabiliter sit inventum (fol. 77v-80r).

Editum ibid., p. 76-79, num. 7-11. Subnectitur prolixa *oratio* in ejusdem sancti honorem.

13° De negotiatore qui cecidit de monte (fol. 80v-81r).

Editum ibid., p. 79, num. 12.

14° Gregorius Turonensis hæc de beato Stephano (fol. 81r-83r).

Enarrata sunt prodigia commemorata 1° in libro *in Gloria martyrum*, num. 33; 2° in libro *in Gloria confessorum*, num. 72.

15° Epistola Aviti presbiteri ad Walconium papam (fol. 83r-83v).

Edita apud Migne, tom. cit., p. 805.

16° Textus divinorum operum quæ ostensa sunt per beati prothomartyris Stephani venerabile meritum mandata quoque noticiæ fidelium ab Evodio in ecclesia Uzali cuius urbis pontificatum ammistrabat sacerdos dignissimus Aurelio tunc temporis Augusto * apud Ypponem dominicæ sationis dispensatore constituto (fol. 83v-104v).

* corr. Augustino.

Editus apud Migne, tom. cit., p. 833 sqq.

17° [De sancto Stephano] (fol. 104v-114r).

Sub hac rubrica descripta sunt in codice α) S. Augustini sermo CCCXX (Migne, P. L., tom. XXXVIII, p. 1442), β) ejusdem sermo CCCXXI (ibid., p. 1443), γ) initium sermonis CCCXXII usque ad : *misericordia* (ibid., p. 1443), δ) ex libro XXII *de civitate Dei* num. 10-19, num. 21 ac initium cap. IX usque ad *testes fuerunt*, ε) *Exemplar libelli Pauli dati Augustino episcopo* (Migne, P. L., tom. XXXVIII, p. 1143-1145), η) miraculum editum supra tom. I, pp. 79, 80, num. 13, ζ) homiliæ sanctorum Maximi et Augustini in S. Stephani festivitate.

18° [Epistola] Severi episcopi in miraculis beati Stephani (fol. 115r-122v).

Edita apud Migne, P. L., tom. XLI, p. 821 sqq. : in cod. quatuor ultimæ lineæ *(plenitudine)* omm.; initio repetita sunt quæ scripta sunt supra fol. 105.

19° Passio beatissimi Cypriani et Justinæ virginis. Mensis Septembris die XIIII (fol. 123r-130r).

Vide supra, p. 372, 10°.

CCIX. Codex apud D. Phillipps signatus n° 366.

Constat codicibus duobus in unum ligatis. Prior foliorum 169, formæ mediæ (0m,315 × 0,23), lineis plenis stylo ferreo ductis, a manibus diversis circa annum 938 exaratus refertur. Id enim opinatus est eruditus quidam seculi proxime elapsi cujus sententia innotescit ex chartula codici injecta. Ac licet codicum scribendorum norma a sec. X non refugiat, nihil tamen nec in priore nec in posteriore codice reperitur quo tam presse tempus jure definiatur. Forsitan id conjiciebatur ex documentis quæ olim in codice continebantur, nunc vero avulsis quaterniobus non paucis, desiderantur. Tituli sæpe rubricati sunt, itemque litteræ majores, quæ subinde rudi quodam ornatu decoratæ sunt. Insuper aliquando foliorum partes pallescente incausto rescriptæ sunt, immo diceres vitam S. Landelini prioribus erasis superscriptam fuisse.

Alter codex foliorum septem, formæ mediæ (0m,30 × 0,23) lineis plenis stylo ferreo ductis, una manu eodem seculo decimo exaratus est.

Fuit olim Sancti Ghisleni ac signatus TT.

1° Passio S. Jacobi apostoli fratris S. Iohannis evangelistæ, quæ est VIII° Kal. Augusti (fol. 1r-5r).

Edita apud Mombritium, tom. II.

2° Passio S. Bartholomei apostoli, quæ est VIII Kal. Septembris (fol. 5r-8v ac fol. 16r-18r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Aug., tom. V, p. 34 sqq.

3° Passio sanctorum martyrum septem dormientium, qui apud Ephesum visi sunt tempore Decii imperatoris (fol. 13r-15v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 27 Julii, tom. VI, p. 389 sqq.

4° Passio S. Matthei apostoli et evangelistæ, quæ est XI Kal. Octobris (fol. 18r-21v ac fol. 9r-12v).

Edita apud Mombritium, tom. II.

5° Passio SS. Simonis et Judæ. Quod est V Kal. Novembris (fol. 22r-30r).

Edita ibid.

6° Passio S. Andreæ apostoli, quæ est II Kal. Decembris (fol. 30r-32r).

Epistola ecclesiæ Achaiæ edita apud Surium ad d. 30 Nov.

7° Passio sancti ac beatissimi martyris Dei Salvii episcopi, quæ est VI Kal. Julii (fol. 32r-38v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 26 Junii, tom. V, p. 198 sqq.

8° Qualiter sancta Crux ab Eraclio imperatore de regno Chostroe Hierosolimis est restituta (fol. 39r-41v).

Edita apud Mombritium, tom. II.

9° In dedicatione ecclesiæ beati archangeli Michaelis. Sermo Isidori episcopi. Quod est III Kal. Octobris (fol. 41v-44r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Sept., tom. VIII, pp. 61, 62.

10° Vita S. Landelini confessoris Christi, quæ est legenda XVIII Kal. Julii (fol. 46r-48r).

Edita ibid., ad d. 15 Junii, tom. II, p. 1064 sqq.

11° Passio S. Thomæ apostoli (fol. 48r-51v).

Liber IX Historiæ Apostolicæ editæ apud Fabricium *Codex Apocryphus Novi Testamenti*, part. II, p. 687 sqq.; in cod. mutilus est.

12° [De Sto Joanne evangelista] (fol. 52r-59v).

Epistola Mileti episcopi Laodicei. Vide supra p. 155, 37°.

13° Liber de miraculis beati Andreæ apostoli (fol. 60r-68v).

Convenit cum lectione codicis de quo in *Anal. Boll.*, tom. III, p. 186, 1°; sed hic in cod. mutilus est.

14° [Passio S. Pauli] (fol. 69r-71v).

Lib. II Historiæ apostolicæ editæ apud Fabricium, tom. cit., part. II, p. 441 sqq. Initio fol. 69r scriptæ sunt ultimæ lineæ libri I ejusdem historiæ qui est de Sto Petro.

15° Passio sanctorum martyrum Joannis et Pauli. Quod est VI Kal. Julii (fol. 71v-72v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 26 Junii, tom. V, pp. 159, 160. In cod. omm. quæ in editis uncinis sunt inclusa.

16° Inventio sanctæ Crucis post annos CCXXXIII et quæ ostensa est Constantino regi (fol. 74a-78v).

Edita apud Mombritium, tom. I.

17° Passio sanctorum martyrum Marcellini presbiteri et Petri exorcistæ. Quod est IIII none Junias (fol. 78v-81v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 2 Junii, tom. I, p. 171 sqq.

18° Passio Sixti episcopi urbis Romæ. Quod est VIII idus Augustas (fol. 82r-84r).

Edita apud Mombritium, tom. II.

19° Passio S. Laurentii archidiaconi et martyris, quæ est IIII idus Augusti (fol. 84r-88r).

Ibid.

20° Passio S. Ypoliti martyris. Quod est idus Augustas (fol. 88r-90v).

Ibid.

21° Passio S. Marci evangelistæ. Quod est VII Kal. Maii (fol. 91r-93r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Aprilis, tom. III, p. 345 sqq.; sub hoc titulo: *Apostolatus Alexandrinus.*

22° Passio S. Clementis martyris et episcopi (fol. 93^{r}-97^{v}).

Edita apud Mombritium, tom. I.

23° Passio S. Sebastiani martyris. Quod est XIII Kal. Februarii (fol. 101^{r}-122^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Jan., tom. IV, p. 265 sqq.

24° De obitu Petronillæ et passione Feliculæ (fol. 122^{v}-123^{r}).

Edita ibid., ad d. 12 Mai tom. III, pp. 10, 11, num. 15-17.

25° Passio SS. Nerei et Achillei, Domitillæ quoque et Eufrosinæ ac Theodoræ (fol. 123^{r}-127^{v}).

Ibid., p. 6 sqq., num. 1-14.

26° Passio SS. Chrisanti et Dariæ (fol. 127^{v}-134^{v}).

Ibid., ad d. 25 Oct., tom. XI, p. 471 sqq.; in cod. prol. om.

27° Passio S. Georgii. Quod est VIII Kal. Mai (fol. 134^{v}-137^{r}).

Inc. *In diebus illis hic tribunus cœpit militum esse sub tempore Datiani imperatoris, qui fuit persecutor Christianorum.*

28° Passio beatæ Julianæ virginis. Quod est XIIII Kal. Martii (fol. 137^{r}-140^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Feb., tom. II, p. 873 sqq.

29° Vita sancti beatissimi Amandi confessoris Christi (fol. 140^{r}-145^{v}).

Vita auctore Baudemundo edita in *Act. SS.*, ad d. 6 Febr., tom. I, p. 848 sqq.; in cod. prol. om.

30° Passio S. Quintini martyris (fol. 170^{v}-176^{v}).

Edita ibid., ad d. 31 Oct., tom. XIII, p. 781 sqq.; in cod. præpositus est prol. edit. ibid., p. 783, ann. *b*.

31° Passio sanctorum Dyonisii, Rustici, Eleutherii quæ est VII idus Octobris (fol. 176^{v}-177^{v}).

Initium Passionis editæ apud Surium ad d. 9 Oct.

CCX. Codex apud D. Phillipps signatus n° 367.

Foliorum 129, formæ mediæ (0^{m},309 × 0,225), lineis plenis, stylo ferreo ductis, nitide exaratus intra annos 975 ac 993, ut inspecta serie episcoporum Treverensium ad calcem codicis ascripta, quidam nostri temporis eruditus recte notavit in charta tegumento adhærente. Tituli rubricati sunt, itemque litteræ majores. In his ornandis conatus est artifex aliquomodo servare normam quæ in carolingicis adhibita fuit, sed, sive inscitia, sive negligentia, hoc minus felici exitu tentavit. Codex olim fuit Sancti Ghisleni. Id enim manifestum est ex sequentibus fol. 126^{r} inscriptis *Liber sancti Gy*[lleni]. Ibi olim signabatur DDD.

Præter opus Smaragdi quod inscribitur *Dyadema monachorum*, continetur in codice hoc documentum :

De vita et actibus sanctorum confessorum Eucharii, Valerii atque Materni Trevirorum archiepiscoporum (fol. 114^{r}-126^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Jan., tom. II, p. 918 sqq.; in fine add. ea quæ ibid. edita sunt p. 1153 *(sanctorum fratres dilectissimi....)*. Ad calcem add. catalogus episcoporum Treverensium editus ex hoc cod. in *Mon. Germ.*, scr. tom. XIII, p. 298 sqq.

CCXI. Codex apud D. Phillipps signatus n° 372.

Foliorum 113, formæ minoris (fol. 8^{m},244 × 0,189), binis columnis, duplici manu sec. XIV exaratus, exceptis tamen tribus foliis in fine, quæ spectant ad sec. XV. Tituli rubricati sunt, itemque litteræ majores. Fuit olim sancti Ghisleni ubi signatus erat $^{G\,G}_{G\,G}$.

In codice præter *Summam de Pænitentia magistri Willermi Durant* ac fragmentum quoddam Anselmi Cantuariensis continentur sequentia :

1° Passio S. Eustachii sociorumque ejus (fol. 41^{r}-47^{v}).

Vide supra, p. 9, 67°.

2° Passio sanctorum apostolorum Petri et Pauli (fol. 48^{r}-54^{v}).

Lib. II epistolæ beati Lini. Vid. supra.

3° Passio sanctorum Cosmæ et Damiani martyrum (fol. 54^{v}-58^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 27 Sept., tom. VII, p. 474 sqq.; sed pro num. 1 in cod. scriptus est num. 1 tertiæ Passionis, ibid., p. 473.

4° Passio sanctissimi Dyonisii, qui a loco Ariopagitæ, et patriotico prænomine Ionicus, christiano autem ac nomine est appellatus Macharius, a sancto Paulo Atheniensium ordinatus archiepiscopus (fol. 58^{v}-72^{v}).

Edita apud Surium ad d. 9 Oct.

5° Passio sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani (fol. 73^{r}-75^{v}).

Vide supra, p. 7, 49°.

6° Passio sanctorum Fusciani, Victorici et Gentiani martyrum (fol. 75^{v}-80^{r}).

Edita apud Salmon, *Actes inédits des saints martyrs Fuscien*, etc., p. 15 sqq.

7° Passio S. Pantaleonis martyris (fol. 80^{r}-86^{r}).

Edita apud Mombritium, tom. II.

8° Passio SS. Alexandri, Eventii et Theodoli (fol. 86^{v}-91^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 3 Maii, tom. I, p. 371 sqq.

9° Passio SS. Gervasii et Protasii martyrum (fol. 91^{v}-93^{v}).

Vide supra, p. 253, 3°.

10° Passio SS. Gordiani et Epimachi martyrum (fol. 93^{v}-95^{r}).

Vide supra, p. 217, 11°.

11° Vita S. Hylarii episcopi Pictavensis (fol. 95^{r}-98^{r}).

Vide supra, p. 125, 3°.

12° Exemplar epistolæ quam misit sanctus Hylarius Pictavensis episcopus beatæ Abræ filiæ suæ (fol. 98^{r}-99^{v}).

Ibid., 4°.

13° Miraculum de S^{to} Hylario (fol. 99^{v}-100^{v}).

Editum supra, tom. I, pp. 157, 158.

14° Relatio de translatione S. Vincentii martyris (fol. 100^{v}-104^{r}).

Vide Appendicem.

15° De beato Valerio episcopo et martyre (fol. 104^{r}-104^{v}).

Vide supra, p. 270, 22°.

16° Vita S^{tæ} Waldetrudis (fol. 104^{v}-110^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 9 Aprilis, tom. I, p. 837 sqq.

Appendix ad cod. D. Phill. 372.

DE S. VINCENTIO DIACONO. (Cfr. pag. præc., 14°.)

Incipit prologus subscriptæ relationis.

Principia subscriptæ relationis de beati Vincentii invicti martyris sumpta sunt passione. Sequentia vero de regum Francorum, qui Merovingi dicti sunt, excerpta sunt historia. Reliqua autem quæ de beati martyris scribuntur translatione et secunda tumulatione ex ore viri venerabilis et tam religione divina quam carnis prosapia reverendi Fernaldi audivimus, qui tunc in eadem morabatur patria et ejusdem episcopii in qua* beatus martyr translatus est archidiaconus fuerat.

* *sic*

Relatio de translatione sancti Vincentii martyris.

1. Cum beatus et invictus martyr Vincentius sub Daciano Hispaniarum præside diversa tormentorum genera per inhabitantem in se Spiritum sanctum corde et animo robustus corporaliter etiam superasset, ut ad pristina corpus lacerum repararetur supplicia, quod nullus tyrannorum in anterioribus sanctorum gestis fecisse legitur, jussu tyranni in lectulo molliori deponitur. Sed Deus omnipotens in suo martyre suam ostendit omnipotentiam. Nam tyranni excogitatam malitiam convertit in invicti martyris laudem et gloriam. Nam de lecto Daciani assumitur et in amœno cæli paradyso collocatur. At præses insanus, qui vivum vincere non potuit, mortuum se posse vincere insanus æstimavit. Projectum enim martyris corpus lupis et canibus, novo miraculo et inaudito, a corvis protegitur. Deinceps malitia principis ei sepulturam denegat et in alto mari jubet submergi, ut marinis beluis fieret esca. Sed altissimus provisor qui eum in terra a lupis custodivit et avibus, ipse servavit eum a marinis piscibus. Cum igitur corpus sanctissimum multa transnatasset maria, tandem angelico ductu delatum est in portu urbis Valentiæ, in qua passus fuerat. Ibi juxta litus maris a christicolis corpus sanctissimum sepulturæ traditur et super eum parva basilica construitur. Non enim illo in tempore magnam poterant ædificare, paganorum persecutione prohibente. In hac basilica per octuagintos* annos corpus sacrosanctum requievit usque ad tempora Aldefonsi regis Portugalensis.

* *prius* octogintos.

2. Cæsaraugusta civitas quo tempore, quo beatus passus est Vincentius, paganis erat subjecta. Anno Domini quingentesimo quadragesimo tertio Clothario rege (1) Francorum et ejus fratre Ghildeberto est obsessa, in qua beatus Vincentius archidiaconus fuerat. Quam cum Franci viriliter expugnarent, habitatores

(1) Vide *Act. SS.*, tom. II Jan., p. 398.

civitatis tædio et timore nimio affecti dalmaticam ejusdem martyris, quam apud se habebant, assumpserunt et super murum urbis obsessæ ascendentes regibus ostenderunt. Reges vero ubi tunicam beatissimi martyris viderunt, proni in terram adoraverunt et eam assumentes obsidionem solvunt, et in Franciam feliciter reversi sunt. Qui extra muros urbis Parisiacæ ecclesiam satis honestam in honore beatissimi martyris Vincentii construentes, ibidem tunicam prædicti martyris pro magna dote et magnis reliquiis deposuerunt. Ibidem præfatus rex Childebertus et Ultrogoda regina ejus tumulati quiescunt. Nam Clotharius Suessionis in ecclesia, quam S. Medardo ædificaverat patrino suo, quiescit. Ecclesia autem prædicta ab eo Germano episcopo dedicata est, in qua idem confessor sanctus usque hodie corpore quiescit, in qua multa miracula meritis sanctorum Vincentii et Germani Christus facit.

3. Prædicta civitas Hyspaniæ nobilissima Valentia temporibus Wisogotarum et Suenorum regum longo tempore a christianis est possessa. Sed peccatis exigentibus christianorum, Sarracheni qui in Africa habitant mare transeuntes, Hispaniam suæ ditioni subegerunt. Partem vero Hyspaniæ occidentalem christiani usque hodie possident, non suo merito sed beati Jacobi apostoli, qui eam sui corporis illustravit, ut credimus, patrocinio. Valentia autem cum basilica, in qua sanctus Vincentius quievit, in sorte Sarracenorum venit. Sic nulla reverentia Christi martyri exhibebatur, quia nullus ibi christianus inveniebatur.

4. Tandem post multa temporum intersticia temporibus Alexandri papæ tertii, circa annum incarnationis dominicæ millesimo centesimo sexagesimo, regnante in occidentali Hyspania Aldefonso rege Portugalensi, cui nomen regium prædictus papa concessit, nam antea lingua vulgari V a l l e s Portugalensis vocabatur, Deus omnipotens thesaurum suum manifestavit.

5. Est civitas quædam in Lusitania nomine Olyzepona, quam rustici lingua vulgari Lixibonam vocant. Hanc civitatem cum Sarraceni longo tempore possedissent, anno Domini m^{mo} centesimo quinquagesimo in christianorum ditione restituta est hoc modo (1). Anno Domini millesimo centesimo quadragesimo sexto cum Conradus imperator Romanorum et Ludovicus junior rex Francorum exercitus suos per Hungariam, Trasciam et Greciam contra Sanguin principem Damasci, patrem Noradini qui civitatem Edessam Mesopotamiæ inclitam noctu nativitatis dominicæ ceperat et omnes christianos interfecerat perduxissent, Morini, quos Flamingos vocamus, naves præparantes congruas, omnia in eis trans mare profecturi posuerunt necessaria. Cumque omnia tanto itineri apta præparassent, mense martio litora Flandriæ linquentes, mari Britannico se commiserunt. Qui prospero cursu navigantes, ad Hyspanias veniunt et per mare Adriaticum euntes in Lusitania, in circuitu civitatis Olyziponæ anchoras sistunt. Civitas autem prædicta Sarracenis erat plena. Christiani autem qui in navibus consistebant, cum armis ad civitatem expugnandam sufficienter abundabant, accepto inter se salubri consilio

(1) Narrationem de expugnatione Olisiponis requiras in *Portugaliæ mon. hist.*, scr. tom. I, p. 392 sqq.

visum est illis non ultra contra Sarracenos Syriæ progrediendum ; cum illi in Hyspania sibi essent in offendiculum. Tandem post multos et longos assultus cum magno labore auxiliante gratia divina civitas capitur, Sarraceni interficiuntur, venundantur, expelluntur et civitas tota mundatur. Episcopus in civitate constituitur, ecclesiæ componuntur et clerus ordinatur.

6. Igitur cum rex Aldefunsus a relatoribus audisset, quod beatus Vincentius in jam dicta ecclesia juxta Valentiam sepultus quiesceret, cum magno equitatu illuc perrexit, quæsivit, et non invenit, quia nondum venerat tempus inveniendi. Quidam autem presbyter in civitate præfata parrochiam quandam tenebat, rebus pauper sed meritis dives. Erat enim justus, incedens in omnibus mandatis Domini sine querela. Et cum simplicem et puram frequenter faceret orationem, quadam nocte in visione capitis sui vidit virum assistentem sibi et dicentem : *Surge velox et propera, et vade tibi iter marinum, et quære sanctum martyrem Vincentium. In basilica enim quiescit juxta urbem Valentiam secus maris portum. Cumque eum inveneris, in hanc civitatem deportabis et erit huic civitati gaudium et exultatio, et multi in adventu ejus gaudebunt.* Cumque prædictus presbyter evigilasset a somno ait : *Domine Deus, si est hæc visio abs te, præsta mihi auxilium gratiæ tuæ et perfice gressus meos in præceptis tuis, et mitte mecum angelum tuum sanctum, ut possim in inventione sancti tui testis laudare et glorificare nomen tuum.*

** vox bis repetita.*

7. Accingitur igitur venerabilis * presbyter et causam sibi injunctam impiger peragit et constanter. Navem præparat et utensilia navigio apta componit in ea. Cumque interrogaretur ab intuentibus quid cogitaret, vel ubi navigare vellet ? Ille sapiens secretum divulgare injussus nolens, nec margaritam ante porcos projicere suam, dicebat sibi ligna ad ædificandam domum deesse et illa se velle comparare. Assumpto igitur diacono suo et uno tantum puerulo, naviculæ etiam remiges, Dei gubernatus auxilio, maximo se committit periculo.

8. Cumque ab urbe recessissent et multa maris spatia volucri cursu transvolassent, necesse eis fuit velum navis erigere. Sed funis qui ad hoc necessarius fuerat inventus est deesse. Consternati ex hoc nautæ et valde contristati, quia nec villa, nec civitas aderat, ubi posset inveniri, consilium super hoc flagitant presbyteri. Quibus presbyter ait : *Fratres in Domino confidite : quia timentibus Deum nihil deest, nec his qui eum diligunt in veritate.* Tunc presbyter surgens et in Domino confidens caput suum levavit, et super maris aquas inclinavit, et in fundo ejusdem aquæ funem illis aptum prospexit. Quem nautis ostendens, eumdem de aqua extrahere jussit. At illi laudantes Deum de aqua extrahunt : et sex cubitis longiorem quam in velo suspendendo necesse fuerat inveniunt. Quod videns presbyter ait nautis : *Quod necesse est in velo suspendendo de fune præscindite : reliquam autem ejus partem nobis forte necessarium * reservate.*

** sic.*

9. Tunc cursu prospero navigant nautæ, et post multa maris spatia tandem perveniunt ad portum urbis Valentiæ. Timentes autem Sarracenorum incursionem, antequam litori appropinquarent, expectaverunt diei terminum et noctis initium. Accendentes autem ignem, de navicula presbyter cum suo diacono et puerulo exiit, nautis ibidem relictis. Tunc lumine sub palliis occultato procedit

presbyter ad basilicam cum puerulo et diacono suo. Diaconum pro foribus basilicæ subsistere præcepit, ipse cum puero interius intravit. At venerabilis presbyter, qui ex quo revelationem martyris inquirendi acceperat, jejuniis et orationibus convenienter fuerat intentus: et in marino periculo ab hostibus mentis et corporis liberatus, ut bonum, quod bene cœperat, melius perficeret et optime consummaret, in oratione genua flectit et puerum post se stare præcepit. Brevis pro tempore fuit oratio; quia timore Sarracenorum non potuit diutius in eodem orare vel subsistere loco. Sed antequam orationem consummaret, qui post eum stabat, clamavit puer: *Domine, Domine, ecce vir quidam multum pulcher. Hic stat juxta me.*

10. Presbyter autem ut hæc a puero audivit, caput quod ad orationem usque ad terram inclinaverat, sursum erexit, et post se respiciens nullum præter puerum vidit. Tunc presbyter puero dixit: *Fili, accipe tres lapides, et pone in loco, ubi steterunt illius viri pedes.* Puer autem obediens ejus præcepto posuit lapides in loco. Diaconus autem qui pro foribus excubabat ex præcepto domini sui, ad nautas qui naviculam custodiebant perrexit, et eis assumptis cum ferramentis fossoriis et ad maceriam perforandam aptis, quæ secum attulerant, ad basilicam rediit. Ad opus inceptum omnes præter puerum se accingunt: et in locum ubi vir steterat et puer lapides posuerat, terram effodiunt, sed thesaurum desideratum minime inveniunt. Fossa autem quam fecerant, fundamentum basilicæ nudaverat. In cujus profunditate vident lapidem album speciem habentem sarcophagi, inter ceteros lapides paulisper supereminere. Mox venerabilis presbyter fide plenus et de thesauro jam sibi in visionem ostenso inveniendi securus, arrepto ferramento lapidem viriliter percutiens in frusta confractum dejecit ex latere uno. Qui intus circumspiciens sarcophagum ligneum invenit.

11. Cumque manus tam ipse quam socii ejus injecissent, ut eum de suo loco promoverent, tantus odor et tam ineffabilis de eo ascendit, ut vix subsistere possent quasi in extasi rapti. Tandem resumptis viribus Deo gratias agentes, et de præsentia martyris per odorem mirificum demonstratum minime dubitantes, partem funis, quem de aqua tulerant, assumunt et sarcophago circumligantes in vecte ligneo ponunt. Tunc reverendus presbyter et ejus diaconus eo assumpto in humeris, cum summa festinatione pergunt ad litus maris. Erat adhuc nox. Puto martyrem hujusmodi gestatoribus delectatum, qui cum fuisset diaconus vices sacerdotis diligenter est executus.

12. Inter Valentiam civitatem et litus marinum in arena erant a Sarracenis fossæ factæ valde profundæ et horridæ. Cumque gestatores sacri corporis in tenebris corporalibus, quia nox erat, inciderent, diaconus qui præcedebat, in unam earum subito cecidit. Mira res! diaconus qui portabatur, vivo cadente *, non cecidit; sed presbytero ex una parte gestante, virtus divina ex altera parte ne caderet sustinuit. At presbyter casum diaconi nec vidit, nec sensit. *Cur*, inquit, *non pergis? Quare stas immobilis? Perge, quia non est nobis utile hic diu subsistere.* Tunc diaconus de profundo clamans fossæ, *Quomodo*, inquit, *possum incedere, qui in profundo hujus sum demersus foveæ?* Audiens hoc presbyter ultra quam dici

* *cod.* cadende.

potest ammiratus et consternatus, *Quid est,* inquit, *Vincenti? Non credo hoc esse tuum corpus, quod portabamus ego et diaconus meus. Si autem tuum est corpus, ut quid cecidit gestator tuus? Nonquid eris victus in translatione, qui fuisti victor in passione? Ergo in tua delatione aliquas vires habebit diabolus, in cujus passione nullas habuit Datianus! Si est veraciter hoc corpus tuum, redde mihi diaconum meum.* Cum autem hæc pietate plena depromeret verba, diaconus virtute et meritis beati martyris momentanee sublevatus de fovea, *Quid,* inquit, *tardas? Veni eamus.* Tunc Deum et sanctum martyrem collaudantes ad portum venerunt, et sanctum corpus in navicula decenter composuerunt; et cum magna velocitate ne a civibus sequerentur a litore recedunt.

13. Illa hora qua sanctum corpus recessit a litore, custodes qui vigilias noctis in civitate Lixibona observabant, divina inspiratione omnes insimul clamare cœperunt: *Sanctus Vincentius venit, Sanctus Vincentius venit.* Statim ut aurora apparuit, corvi qui eum a lupis et canibus custodierant super navem volitare cœperunt. Aliquando volitabant, postea super sanctum corpus sedentes gaudendo cocuabant.

14. Si vero aliquis requirat de corvis istis, si fuerint hii qui corpus ejusdem martyris in campo projectum, ne a canibus et lupis contingeretur, protexerunt; me nescire profiteor, quamvis in archivo nostri monasterii scriptum sit in quodam miraculo de beato Vincentio, eos adhuc vivere et adventum hospitum in quodam cœnobio prævolitando nuntiare (1). Quibusdam hoc mirum videtur, quia miraculum; quamvis illi qui de animalium naturis scribunt, vitam corvi asserant septem milium annorum longiorem. Prædicti corvi corpus sacrum non deseruerunt, quousque cum illo in civitatem fecerunt introitum.

15. Cum autem clara dies illuxisset post sequentem, qua beatum tulerant Vincentium, noctem, pueri civitatis Lixibonæ per omnes civitatis plateas clamabant dicentes: *Sanctus Vincentius venit, Sanctus Vincentius venit.* Cumque interrogarentur quare hujusmodi clamorem emitterent, nullam rationem reddebant; sed iterum magnis vocibus clamabant: *Sanctus Vincentius venit, Sanctus Vincentius venit.* Hoc cottidie faciebant. Episcopus autem et sapientes civitatis in admirationem versi inquirebant inter se quid hæ puerorum voces significarent? In se autem reversus episcopus præcepit inquirere, si aliquis presbyterorum vel natorum in civitate videretur deesse? Facta igitur diligenti inquisitione, prædictus venerabilis presbyter visus est abesse. Episcopus autem et omne civitatis consilium ejus expectaverunt adventum. Tandem felici navigatione completa, salvi et integro numero cum sanctissimis martyris reliquiis et suis corvis ingressi sunt clam nocte in civitate. Statim ut dies facta est, iterum pueri magna voce cœperunt clamare dicentes: *Sanctus Vincentius venit, Sanctus Vincentius venit.* Priorem enim clamorem fecerant de adventu futuro, hunc autem ultimum de adventu jam facto. Presbyter autem corpus sacrosanctum in domo sua tulit et in quadam arca honorifice deposuit; corvi autem super domum cœperunt gaudentes volitare.

(1) Cfr. *Anal. Boll.*, tom. II, p. 243 sqq.

16. Episcopus autem et cives ex voce puerorum intelligentes sanctum Vincentium intra civitatem venisse, mandavit presbyterum, quem audierant rediisse de itinere. Inquisitus autem ab episcopo et civibus, ut quid et ad quid marinum iter tam periculosum, tam longum cum paucis arripuisset, et si de corpore sacratissimo beati martyris aliquid sciret? Nam pueri civitatis multo tempore eum iterare prophetaverant et jam eum in civitate venisse voce clara nunciabant. Perpendens presbyter illud Salomonis “ sapientia occulta et thesaurus invisus quæ utilitas utriusque „ , recogitans etiam puerorum oraculum confessus est, et non negavit. Confessus est se beatum attulisse Vincentium. Narrat etiam totam quam prædiximus de sancti inventione historiam. Fit gaudium in civitate et exultatio, præparatur tumulus lapideus tanti martyris susceptione dignus.

17. Episcopus cum clero et totius civitatis populo cum ineffabili lætitia ad domum presbyteri procedit, corpusque beati martyris de arca presbyteri levatur et in majorem ecclesiam cum multorum lacrymis deducitur. Ibi retro majus altare in tumulo lapideo reponitur ; et ne aliqua inde fraus vel furtum successuris temporibus posset fieri, vinculis ferreis et sigillis circummunitur : quæ munimenta ferrea ne aliquam intuentibus generarent molestiam, et sancto martyri hanc ligaturam judicarent indignam, devotione et instantia regis Aldefunsi et filiæ ejus Mathildis reginæ prædicta ferrea ligatura argento, auro et lapidibus prætiosis opere anaglifo est cooperta et adornata. Cum igitur sancti martyris reliquiæ de domo presbyteri in majorem ecclesiam universalis totius civitatis processione cum ineffabili gaudio tumulandus deferretur, corvi nichilominus super eum gaudentes volitabant, et cum in ecclesia induceretur super tectum ecclesiæ usque dum in tumulo clauderetur resederunt.

18. Presbyter autem venerabilis quem Deus hujus translationis ministrum ordinaverat, quique injunctum sibi requirendi martyris negotium impigre et constanter exsecutus fuerat, a civibus magnifice diligebatur et honorabatur ; ab episcopo vero et clero in eadam ecclesia, ubi sanctum martyrem reposuerant, est promotus canonicus et custos sacri corporis constitutus. Civitas autem Lixibona cum tota provincia tanto thesauro dotata gaudet et exultat, laudans regem regum et dominum dominantium, qui talem eis constituit sua gratuita gratia patronum, orantem pro eis ipsum Deum et Dominum regnantem in secula seculorum. Amen.

19. Facta est autem hæc beati Vincentii martyris translatio a civitate Valentia in Lixibona, transactis a passione ejus octingentis et eo amplius annis, Romanæ ecclesiæ præsidente Alexandro papa tertio, in illa provincia regnante rege Aldefunso, Romanorum vero imperium procurante Frederico illustri, apud Francos autem principante piissimo rege Ludovico octavo, ipsos et nos semper regente Domino nostro Jesu Christo. Amen.

Explicit inventio sancti Vincentii martyris.

CCXII. Codex apud D. Phillipps signatus n° 373.

Foliorum 126, formæ mediæ (0m,31 × 0,208), lineis plenis, una manu sec. XI jam adulto nitidissime exaratus. Litteræ majores rubricatæ sunt, itemque voces aliquot in librorum capite. Ibi etiam prima littera, variis adhibitis coloribus depicta, haud ineleganter exornata est : interiori scilicet litteræ parte multis volutionibus oppleta. Prima tamen libri I littera jam delineata, carens vero coloribus imperfecta remansit. Codex olim fuit Sancti Ghisleni ac signatus v ; mutilus ad nos devenit, in indice enim qui manu sec. XV fol. 1v inscriptus est annuntiantur Vitæ sanctorum Nicolai ac Sulpitii quæ nunc desunt.

Vita sacri ac beatissimi Gregorii (fol. 1v-226v).

Vita auctore Joanne diacono edita in *Act. SS.*, ad d. 12 Martii, tom. II, p. 137 sqq. Versus editi p. 211, in cod. positi sunt initio Vitæ.

CCXIII. Codex apud D. Phillipps signatus n° 375.

Codex foliorum 198, formæ mediæ (0m,32 × 0,233), binis columnis, lineis stylo ferreo ductis, seculo XI jam adulto exaratus. Temporum injuriam passus est codex, nam pallescente incausto oportuit ut non paucæ voces rescriberentur ; dein ob infortunium, nescio quod, codice medio quaterniones aliquot avulsi fuerunt : pars Vitæ sanctæ Mariæ Ægyptiacæ ac Passionis sanctæ Theodosiæ : eos seculo XV ex parte restituit amanuensis qui, si ab hac ætate codex integer remansit, opus inchoatum reliquit imperfectum. Tituli rubricati sunt, itemque litteræ majores. Fuit olim Sancti Ghisleni, ubi signatus erat ss.

1° Enarratio Leontii episcopi Neapoleos Cipriorum insulæ de vita et actione sancti patris nostri Johannis archiepiscopi Alexandrini (fol. 1r-30r).

Edita apud Rosweydum, *Vitæ Patrum*, p. 179 sqq. — Sequitur (fol. 30v-36v) encomium metricum omnium sanctorum tam veteris quam novi testamenti, quod incipit :

Vota serena tibi Jesu bone reddere vovi,
Offero nunc eadem vota serena tibi.
Vita beata meis rogo crescat in actibus ægris
Moribus ac vigeat vita beata meis.

Capitula vero opusculi sunt hæc : *Quod beatus papa Bonefacius a Foca impera-*

tore templum Romæ Christo donari petierit et impetraverit. — Quod in omnium primordiis sanctorum nominandus et glorificandus sit Deus, qui omnes condidit sanctos. — Quod sancta Maria vere sit mater Domini nostri Jesu Christi secundum carnem et omnibus sanctis prælata post Dominum prima resideat gloria. — Quod omnipotens Deus sibi ad laudem et gloriam novem creavit ordines angelorum. — Quod sancti patriarchæ primi terrigenæ ab exordio præsentis vitæ procreati, reparatores sint orbis atque creaturæ. — Quod prophetarum alii in utero, alii in pueritia, alii in juventute atque alii in senectute Deo cogniti et sanctificati inventi sunt. — Finit breviloquium de sanctis in veteri testamento. Incipit de sanctis novi testamenti. Sed primum de sancto Johanne Babtista ; quod ipse in exordio prædicationis atque babtismatis primatum invenerit. — De sanctis xii apostolis : sed primum de sancto Petro ipsorum apostolorum principe, et de beato coapostolo ejus Paulo. — De reliquo glorioso apostolorum choro. — De candidato sanctorum martyrum exercitu. — Quod sanctis Christi sacerdotibus atque doctoribus sive confessoribus non ignota sed satis sit nota hujus diei festiva sollempnitas. — Quod sanctæ et prudentes virgines Christi sollempnitatis præsentis diei expertes nullomodo credendæ sint. — Quod et anachoritarum singulare propositum hujus diei sollempnitate separatum non sit, sed cum sanctis reliquis devotissime celebrandum. — Quod tantorum patrocinia intercessorum nobis tota mentis intentione quærenda sint, ut per temporalia festa quæ agimus, illorum interventu ad æterna patria pervenire mereamur. — Finit in nomine Christi exiguum de omnibus sanctis breviloquium. Sequitur in ipsius nomine ejusdem modici clausura poematis (primas singulorum hujusce capitis versuum si subjunxeris voces, leges : Nunc et in evum), — *Deo gratias, sit Deo laus* (iterum si primas subjunxeris : Deo gratias amen ; sin ultimas : sit Deo laus amen). — Hæc varia capitula versibus hexametris exarata sunt.

2° Revelatio capitis S. Johannis Baptistæ (39ᵛ-40ᵛ).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 24 Junii, tom. IV, p. 716-718, num. 113-118.

3° Vitæ Sᵗᵆ Geretrudis virginis fol (40ᵛ-46ᵛ).

Ibid., ad d. 17 Martii, tom. II, p. 594 sqq.

4° Vita S. Gregorii episcopi Lingonicæ urbis. Octavo idus Januarii (fol. 46ᵛ-48ᵛ).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 4 Jan., tom. I, pp. 168, 169; in cod. num. 16 om.

5° Passio sanctorum martyrum Victoris et Coronæ, quæ est iii idus Maii (fol. 48ᵛ-50ᵛ).

Contracta ex Passione edita in *Anal. Boll.*, tom. II, p, 291 sqq.

6° Passio sanctorum martyrum Chioniæ, Hirene, Agape, quæ est nonis Aprilis (fol. 50ᵛ-53ʳ).

Altera pars Passionis S. Chrysogoni editæ apud Mombritium, tom. I.

7° Passio sanctorum martyrum Taraci, Probi et Andronici, quæ est III idus Maii (fol. 53r-61v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 11 Oct., tom. V, p. 566 sqq.; in cod. epistola ad Iconienses om.

8° Vita beatissimi Arnulfi Mettensis episcopi et confessoris Christi (fol. 62v-67r).

Vide supra, tom. I, p. 39, 79°; hic tamen nec prol. nec ultima clausula omm.; in fine (fol. 67r-68r) add. fragmentum editum in *Act. SS.*, ad d. 18 Julii, tom. IV, pp. 446, 447.

9° De vita et conversatione ac pænitentia in heremo, gesta laudabilis et venerabilis Mariæ Egyptiacæ (fol. 68v-78v).

Edita apud Rosweydum, tom. cit., p. 382 sqq.; in cod. mutila est.

10° [Passio Stæ Theodosiæ] (fol. 79r-84v).

Edita supra, tom. I, p. 164 sqq.; in cod. mutila initio, incipit enim num. 5.

11° Adventus exceptioque corporis sanctissimi Benedicti, Scolasticæ sororis ejus, quæ est V idus Julii (fol. 84v-89r).

Edit. in *Mon. Germ.*, scr. tom. XV, p. 480 sqq.

12° Textus descriptionis vitæ venerabilis Hunegundis virginis (fol. 94r-98v).

Vita auctore Bernero edita in *Act. SS.*, ad d. 25 Aug., tom. V, p. 227 sqq.; in cod. mutila est.

CCXIV. Codex apud D. Phillipps signatus n° 378.

Paginarum 146, formæ mediæ (0m,335 × 0,245), una manu, binis columnis, exaratus anno 1315, ut patet ex nota sequenti inscripta pag. 146: *Anno Domini m° ccc° xvmo fuit hoc opusculum per J. de Rivo in scripto redactum.* Tituli rubricati sunt, litteræ majores alternis vicibus rubro cæruleoque colore depictæ. Fuit olim Sancti Ghisleni.

Præter librum *de Regimine principum editum a fratre Egidio Romano Ordinis Fratrum heremitarum Sti Augustini* continet hoc documentum:

[Vita S. Gisleni] (fol. 1r-8v).

Vita metrica edita apud Harster, *Novem Vitæ Sanctorum metricæ*, p. 148 sqq.

CCXV. Codex apud D. Phillipps signatus n° 384.

Foliorum 187, formæ minoris (0^m^,269 × 0,19), binis columnis, lineis graphide ductis, una manu nitide seculo XIV exaratus. Tituli rubricati, litteræ majores rubeo cæruleoque colore depictæ. In his exornandis servata est a perito artifice norma, quæ tunc temporis in scriptoriis Belgii vigebat. Fol. 102^r^ scripta sunt sequentia: *Liber ecclesiæ Beatæ Mariæ in Belloprato juxta Geraldimontem* et iterum fol. 187^r^: *Iste liber pertinet monasterio Beatæ Mariæ de Belloprato prope Geraldimontem.*

1° Vita S. Bernardi Clarevallensis abbatis (fol. 1^v^-101^v^).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Aug., tom. IV, p. 256-326.

2° Epypitaphium domni Bernardi abbatis (fol. 101^v^-102^r^).

Edit. supra, tom. I, p. 286.

3° Passio santi Eustacii cognomento Placidi cum sociis suis (fol. 102^r^-110^v^).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Sept., tom. VI, p. 123 sqq.

4° Vita beatissimi Nicholai episcopi (fol. 110^v^-130^v^).

Edita apud Carminium tom. sæpe cit.; notanda sunt seqq.: num. XII, XIII relati sunt secundum versionem Mombritianam, deinde sequitur in cod. num. XIV edit. apud Carminium, p. 126, postea num. XIV edit. ibid., p. 122 et numm. sqq. usque ad num. XIX; præterea quæ edita sunt in *Anal. Boll.*, tom. II, p. 151-156, tandem num. XXI Carminii cum clausula edita ibid., p. 126 *(Lætemur).*

5° Passio sanctissimi Sebastiani martyris (fol. 130^v^-153^v^).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Jan., tom. II, p. 265 sqq.

6° Passio sanctissimi Vincentii martyris (fol. 153^v^-159^v^).

Ibid., ad d. 22 Jan., tom. II, p. 394 sqq.

7° Passio beati Clementis papæ martyris (fol. 159^v^-164^v^).

Edita apud Mombritium, tom. I.

8° Vita S. Silvestri papæ (fol. 164^v^-185^v^).

Edita ibid., tom. II. Ex his quæ scripta sunt fol. 185^v^-187^r^, hæc notanda sunt: 1° historiola quomodo cognomen *venerabilis* inditum sit beato Bedæ presbytero, 2° revelatio de latitude vulneris Christi, quod ibi depictum est, annexis circumcirca fere omnibus versibus, qui editi sunt apud Migne, P. L., tom. CLXXXIV, p. 1321 sub rubrica, *ad latus.*

CCXVI. Codex apud D. Phillipps signatus n° 2068.

Foliorum 136, formæ mediæ (0^{m},272 × 0,185), lineis plenis graphide ductis nitide exaratus seculo XII. Tituli rubricati sunt, itemque ut plurimum litteræ majores; aliquando tamen viridis color adhibitus fuit. Eisdem usus est artifex, qui litteras, quibus varii tractatus incipiunt, solerter exornavit : deducendo subinde tales linearum recursus, ut phanstaticam aliquam animalium effigiem repræsentaret. Codex fuit S. Martini Tornacensis. Etenim fol. 1^{r} scripta sunt sequentia : *Liber Sancti Martini Tornacensis. Servanti benedictio. Amen Amen. Tollenti maledictio fiat, fiat.* Eadem iterum foll. 135^{v}, 136^{v}. Tandem fol. 1^{r} inscriptus est hic contentorum index : *Iste liber continet Bedam super Actus Apostolorum, Item Bedam de sanctis locis, Item Ysidorum de mundo in V libris, Item Jeronimum de hebraicis quæstionibus, Item quandam narrationem de sancto Martino, Item descriptionem quandam urbium et regionum atque locorum quæ in Sacra Scriptura leguntur.*

Brevis narratio de sancto Martino et discipulis ejus (fol. 117^{r}-118^{v}).

Breve compendium Vitæ sanctissimi pontificis quod incipit : *Operæ pretium est de his quæ in gestis sanctorum legimus vel a fidelibus viris audivimus in laude Christi et beati Martini nos aliqua breviter depromere.*

CCXVII. Codex apud D. Phillipps signatus n° 2106.

Foliorum 158, formæ mediæ (0^{m},275 × 0,189), lineis plenis, a duplici manu sec. XII nitide exaratus. Tituli rubricati sunt, itemque litteræ majores. Initio tractuum rubro viridique commixtis coloribus prima littera perbelle exornata est. Codicis origo ex sequentibus innotescit : fol. 1^{r} hæc scripta sunt : *Liber Sancti Martini Tornacensis*, et fol. 158^{v} : *Liber Sancti Martini Tornacensis. Servanti benedictio, auferenti maledictio. Amen.*

1° Libri quatuor de virtutibus S. Martini (fol. 1^{v}-54^{v}).

Editi apud Migne, P. L., tom. LXXI, p. 911 sqq.

2° [Epistola ecclesiæ Turonensis de miraculis factis anno 1141 in adventu reliquiarum sanctarum Faræ et Agnetis] (fol. 55^{r}-57^{v}).

Edita apud Du Plessis, *Histoire de l'église de Meaux*, tom. II, p. 36 sqq.

3° In cellula S. Martini ubi pauperem vestivit rogante Gregorio Turonensi episcopo descripsit Fortunatus hos versus (fol. 158ʳ),

Editi in *Mon. Germ.*, Auctor. antiquiss. tom. IV, part. 1, pp. 9, 10, num. v.

CCXVIII. Codex apud D. Phillipps signatus n° 2141.

Foliorum 50, formæ mediæ (0^m,31 × 23), binis columnis, una manu anno, ut videtur, 1465 nitide exaratus. Annum istum inscriptum leges fol. 3ʳ. Tituli rubricati sunt, litteræ majores fere semper alternis vicibus vel auro refulgent, vel cæruleo colore depictæ sunt, modico etiam adjecto ornatu. Initio libellorum, quibus constat Vita S. Eligii, prima littera insignior est atque auro gravidior. Sed diligentius in rectam partem folii tertii respiciendum est : ibi supra infraque obductæ sunt margines sertis versicoloribus eximia arte in invicem illigatis et auro distinctis, deinde primæ litteræ partem interiorem replet effigies beatissimi antistitis veste pontificali induti, dextra baculum pastoralem, sinistra malleum tenentis. Ad codicis originem quod spectat, conjicere licet, ipsum olim pertinuisse ad aurifabrorum confraternitatem civitatis Brugensis, nam fol. 48 descripta est bulla Nicolai V data anno incarnationis 1452 *dilectis filiis confraternitatis Sancti Eligii Aurifabrorum villæ Burgensis, Tornacensis diæcesis.* Tandem fol. 1ʳ hæc scripta sunt : *Die legende van sinte Loy, 1533 pridie calendas Novembris Veldius 1533, 1543 pridie calendas Novembris Maldeghemius.*

Vita sancti Eligii episcopi et confessoris (fol. 3ʳ-47ᵛ).

Edita apud Migne, P. L., tom. LXXXVII, p. 479 sqq.

CCXIX. Codex apud D. Phillipps signatus n° 4624.

Foliorum 175, formæ minoris (0,225 × 0,132), ut plurimum lineis plenis, aliquando binis columnis, a diversis manibus sec. XIII ac XIV exaratus. Id nemo miretur quoniam codex iste est veluti complexus tractatuum, qui sec. XV compaginati videntur. Etenim hanc ætatem refert index contentorum qui fol. 1ʳ descriptus est. Tituli rubricati sunt ; litteræ majores rubeo viridique colore depictæ non ineleganter exornatæ sunt. Suam quoque originem codex indigitat sequentibus : fol 1ᵛ, *Liber Sanctæ Mariæ de Alna*, fol. 175ᵛ,

Hic liber est Alnæ, monachorum virginis almæ.

1° De domno Werrico quondam Alnæ priore (fol. 72r-82v).

Edita supra, tom. I, p. 445 sqq.; in fin add. *Vox ecclesiæ Gemblacensis in obitu domni G[uiberti] abbatis.*

Quis mihi fundat aquam lacrymarum fonte canenti,
Cum mihi nequaquam prosint solatia flenti ?
Sponsa virum, mater raptam mihi lugeo prolem :
Vos quibus ipse pater, vestrum tenebrescere solem.
Sol Guibertus erat, quem lucida semita morum
Exemplum dederat, ad corda regenda suorum.
Et nunc heu vigilem * rapis hunc mors invida mundo,
Cujus ego similem * non sim paritura secundo.
Dat quod debet humo, sed spiritus æthera scandit.
De quo præsumo quod ei Petrus ostia pandit,
Si pietas sineret rerer non esse dolendum,
Cum nil negligeret vigil * iste, quod esset agendum.
Cujus pro requie lector cum sedulus oras,
Sic orando pie pro te magis ipse laboras.

* *super lin. eadem manu* vel pugilem.
* *super lin. ead. manu* vel parilem.
* *super lin. ead. manu* vel pugil.

2° Passio S. Eustachii martyris (fol. 103r-110v).

Vita auctore Petro Remensi edita in *Notices et Extraits des manuscrits*, tom. XXXI, part. I, p. 64-78.

3° Passio Stæ Agnetis virginis (fol. 110v-115v).

Vita auctore Hildeberto Cenomanensi edita apud Migne, P. L., tom. CLXXI, p. 1307 sqq.

CCXX. Codex apud D. Phillipps signatus n° 4627.

Foliorum 130, formæ minoris (0m,234 × 0,172), lineis plenis, stylo ferreo ductis a duplici manu sec. XI exaratus; uti patet pars prior pertinet ad fol. 90v, altera ad fol. 128r. Tituli rubricati itemque litteræ majores. Fol. 1r descripta sunt 1° hæc verba : *Liber Sanctæ Mariæ de Alna;* 2° Contentorum index ex quo monemur non tantum documenta infra notanda sed Hieronymum *in Didimum*, Paschasium *de Spiritu Sancto* et Gregorium *in Cantica Canticorum* in cod. contineri. Ad finem descriptum est fragmentum epistolæ Anselmi Laudunensis ad Heribrandum Sancti Laurentii Leodiensis abbatem, editæ apud Migne, P. L., tom, CLXII, p. 1587 sqq., atque initium libelli censualis, in quo notatæ erant chartæ in monasterii archivo asservatæ ac decimæ solvendæ. Indicatæ sunt in hoc fragmento *Kartæ de Fontanis, Kartæ de Beasart, decimæ de Velcurt, decimæ de Fontanis, decimæ de Beasart.*

1° Vita Aurelii Augustini (fol. 43v-66v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 28 Aug., tom. VI, p. 427 sqq.

2° Vita S. Symponis * monachi (fol. 67r-75r). * *lege* Simonis.

Ibid., ad d. 1 Junii, tom. I, p. 89 sqq.; in cod. num. 28-34 om.

3° Vita S. Amoris (fol. 75v-81v).

Edita ibid., ad d. 8 Oct., tom. IV, p. 343 sqq.; in cod. præpositus est prol. edit. in *Anal. Boll.*, tom. I, pp. 73, 74, add. vero sqq.:

Sanctus in occiduis Amor nos obtegat ævi,
Clerum devotum et reliquum populum.
Conservet strenue pro sancto Christus Amore,
Pro servo Dominus nos regat usque bonus.

4° Vita * S. Alexis confessoris (fol. 81v-85r). * *add. a manu rec.* et conversatio.

Vide supra, tom. I, p. 223 sqq.

5r Passio S. Georgii martyris (fol. 85r-88r).

Inc. *Datianus igitur imperator diabolica dominatione * arreptus omnem * provinciam * suæ ditionis imperio cum subderet, missus potestatem super reges et principes gerere, contigit imperii sui sacra velocius perurguere.* * *supra lin.* ambitione. * *cor.* omnes. * *cor.* provincias.

6° Passio S. Gordiani martyris (fol. 88r-90r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Maii, pp. 552, 553.

7° De nativitate sanctæ Mariæ (fol. 90v-104r).

Pseudo-Matthæi evangelium edit. apud Tischendorf, *Evangelia Apocrypha*, p. 50 sqq.

8° Assumptio sanctæ Mariæ (fol. 104v-107v).

Liber ascriptus Melitoni Sardicensi episcopo edit. in *Max. Bibl.*, tom. II, part. II, p. 212 sqq.; in cod. cap. I om.

9° De virtutibus S. Andreæ apostoli (fol. 109v-128r).

Vide *Anal. Boll.*, tom. III, p. 186, 1°.

CCXXI. Codex apud D. Phillipps signatus n° 4632'.

Foliorum 128, formæ mediæ (0m,305 × 0,202), lineis plenis graphide ductis, seculo XII exeunte nitide exaratus. Litteræ majores, aliquando parcius exornatæ, depictæ sunt sæpissime rubeo, identidem viridi cæruleove colore. Folio 1r litteris rubricatis descriptus est contentorum index. Novimus autem olim chronicon Sigeberti Gemblacensis alteram hujusce codicis partem fuisse, sed ut ipse cl. vir Thomas Phillipps adscripta notula testatus est, anno 1831, die 29 Januarii sejunc-

tum fuit, ut per se novum codicem efformaret. Eodem folio 1r scripta sunt etiam sqq.: *Liber Sanctæ Mariæ de Alna.*

1° Vita sanctissimi Servatii Tungrensis pontificis (fol. 1v-36r).

Vita fabulosa quæ incipit: *Trojugenarum metropolis Francorum Tungris quæ juxta beati Servatii præsagium coram Hunis jussu Dei corruit, florentissima olim, famosissimaque fuit, spectaculumque prisca mundi ætas quid valuerit.*

2° Vita S. Gengulfi martyris (fol. 36v-39v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 11 Maii, tom. II, p. 644 sqq.

3° Miracula S. Gengulfi Florinis facta et a Gonzone abbate luculenter edita (fol. 40r-47v).

Ibid., p. 648, in cod. prol. om., sed hæc add.: *Godefridus dux et Lambertus comes apud Florinas pugnam conseruerunt, ubi res mira hæc contigit. Cum Lambertus spem victoriæ jam haberet, habebat quippe filacterium a collo usque ad pectus pendens sanctorum reliquiis refertum, quorum patrocinio se in periculis tutum fore credebat. Instante termino vitæ filacterium a collo ejus exiens super tumulum campi exilivit et mox comes perimitur. Quod filacterium quidam miles in caliga abscondit, sed coxa ejus et crure intumescente rem prodidit et domino suo dedit.* Sequitur in cod. epistola apologetica quam clericus ecclesiæ, ut videtur, Remensis conscripsit ad beati viri vitam tuendam ab anathemate, quod in aliquam ejusdem vitæ partem (1) tulerat abbas, ad quem ut transcriberetur remissa fuerat. Vid. Append.

4° Passio beatissimi Mauri martyris sociorumque ejus (fol. 49v-51v).

Passio de qua actum est in *Act. SS.*, ad d. 22 Aug., tom. IV, p. 517, num. 11. In cod. subjecta est epistola Arnaldi Remensis archiepiscopi ad Baldricum Leodiensem episcopum de ejusdem sancti martyris reliquiis, quam in Append. edemus.

5° De sancto Johanne Baptista et reliquiis ejus (fol. 52v-54r).

Narratio desumpta ex Gregorii Turonensis libro *in gloria martyrum*, num. 11-19 (*Gregorii Opera*, edit. Arendt, pp. 497-500).

6° Passio S. Gordiani martyris, quæ agitur VI idus Maii (fol. 54v-55v).

Vide supra, p. 479, 6°.

7° Passio sanctorum Cyrici et Julittæ matris ejus (fol. 56r-58v).

Passio auctore Philippo de Elemosina abbate edita apud Migne, P. L., tom. CCIII, p. 1301 sqq.

(1) Reprehensione digna judicavit ea quæ narrata sunt tom. cit., p. 624, num. 12.

8° Vita S^{tæ} Gertrudis virginis (fol. 58^{v}-74^{r}).

Vita de qua actum est supra, tom. I, p. 595.

9° Epilogus præfati operis (fol. 74^{r}-76^{v}).

Sermo de quo ibid., p. 600, 2°.

10° Vita domni Theoderici abbatis sancti Huberti Andaginensis (fol. 77^{r}-89^{v}).

Edita in *Mon. Germ.*, scr. tom. XII, p. 37 sqq.

11° Passio S. Quintini martyris, quæ est II Kal. Novembris (fol. 89^{v}-91^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 31 Oct., tom. XIII, p. 781 sqq., num. 1-13.

12° Inventio ejusdem, quæ est VIII Kal. Julii (fol. 91^{v}-92^{r}).

Ibid., pp. 785, 786, num. 14-19.

13° De transitu sanctæ Leochadiæ virginis (fol. 92^{r}-93^{v}).

Edit. apud Florez, *España Sagrada*, tom. VI, pp. 315-317. In cod. add. breve encomium sanctorum Gisleni et Sulpicii.

14° Passio S. Theodori martyris (fol. 93^{v}-95^{r}).

Edita apud Mombritium, tom. II.

15° Passio S. Calixti papæ et martyris, quæ est II idus Octobris (fol. 95^{v}-97^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Oct., tom. VI, p. 439 sqq.

16° Vita S. Fursei confessoris cujus festivitas agitur XVII Kal. Februarii (fol. 98^{r}-102^{r}).

Ibid., ad d. 16 Jan., tom. II, p. 36 sqq.

17° Sequuntur pauca ex innumerabilibus miraculis beati Fursei, quæ per eum Dominus operare dignatus est (fol. 102^{r}-104^{r}).

Ibid., p. 41 sqq.

18° De nobilitate generis sanctorum Fursei confessoris atque Foillani episcopi et martyris (fol. 104^{r}-105^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 30 Oct., tom. XIII, p. 391 sqq.; in cod. omm. numm. 12, 13.

19° Vita S. Ethonis fratris sanctorum Foillani, Ultani, Fursei, Eloquii, Algisi et Adelgisi (fol. 106^{r}-107^{v}).

Rebus narratis convenit cum Vita edita ibid., ad d. 10 Julii, tom. III, p. 59 sqq.; in cod. est magis contracta.

20° Passio S. Foillani egregii martyris, quæ agitur II Kal. Novembris (fol. 107^{v}-111^{v}).

Edita ibid., ad d. 30 Oct., tom. XIII, p. 385 sqq.

21° Passio sanctorum quatuor Coronatorum, quæ est VI° idus Novembris (fol. 111^{v}-115^{r}).

Edita apud Mombritium, tom. I.

22° Passio sancti ac beatissimi Dionisii episcopi sociorumque ejus (fol. 115^{r}-125^{r}).

Edita apud Surium ad d. 9 Oct.

23° De inventione et translatione sanctorum corporum Dyonisii, Rustici et Eleutherii, quomodo a Dagoberto gloriosissimo rege Francorum inventi sunt. Quæ celebratur X Kal. Maii (fol. 125^{r}-127^{r}).

Vide supra, p. 3, 13°.

24° Passio S. Grisogoni martyris, quæ est VIII Kal. Decembris (fol. 127^{r}-128^{v}).

Edita apud Mombritium, tom. I.

Appendix ad cod. D. Phill. 4632′.

DE S. GENGULFO. (Cfr. supra, pag. 480, 3°.)

1. R. et omnibus pie legentibus in Christo summæ salutis summam. Vitam beati Gengulfi apud nos scientes repositam, vobis delegari petistis, petitionemque vestram votum adusque persequentes misimus. Sed ut a vobis postmodum præscripta sententia refert, audivimus reprehendisse eamque prænotato in loco fidelium fidei damnandam *, detestandam anathematizandamque tradidisse, et qua velitis astruere nescimus auctoritatem. Cum id videamini affectare quasi nos * nostra, aut ex parte dolo figmentoque compilata sit, cum catholica auctoritate ab religiosissimis fidelibusque viris, ecclesiastica doctrina eruditis ejus exemplaria vobis sint tradita, qui in ipsius sacri corporis præsentia, catholica, dum advixerint, claruere doctrina. Quibus si quid rei hujus impugnare nitimini, luculentissimo, quo præminet testimonio eorum se tuebitur comprobatio. Proinde miramur tantæ scientiæ virum, virtutis intelligentiæque sublimitate perspicuum, sine respectu locum hunc commendasse damnandum, non audientes utputa illum Scripturæ testantis " Sacerdotis verba vera aut sacrilega „ , et illud Salomonis familiari quadam quasi voce monentis " Oculi sapientis in capite suo „ , et Johannis animalium

* *cod.* damnanda.
* *videtur redundare.*

sub specie oculos intus forisque habere scribentis, quibus ecclesiam altrinsecus muniant; et maxime cum priorum fide doctrinaque clarissimi, syllabam usque perstringendo discusserint, nec in tale quid facile manum mittere præsumpserint, reverentes scilicet illam Jacobi imperialem sententiam: " Sit autem omnis homo velox ad audiendum et tardus ad loquendum „. Nos quoque pro modulo nostro nitimur. Sed si est in re nequaquam ab incepto velle desistere, paria et comprobabilia coaptamus exemplaria, quæ si non perito artifice latino honestarentur sermone, ipsa sui fœditate fidelium quique abhorrerent edicere, et tamen priorum auctoritate sacris in locis recoluntur honorifice; et quomodo insuper hæc in laudem attollere, et e contra illa velitis detestatione refutare? A vobis petimus auctorizare. Sicut enim melioris comparatio fit deterioris despectio, sic laus et victoria martyris ipsa testatur contritione et infelicitate sui hostis; cujus in laudem hæc quæ detestamini, non referuntur juxta carnem, sed Dei potius collaudamus potentiam hujusmodi de hoste volentis exigere vindictam.

2. Dicemus ergo, ad rem scilicet adludendo, Deum inter ipsa creaturarum primitiva hominem, quasi pulchri operis pulcherrimam portionem, et mirabilius futuræ præsens consulere necessitati, ut ita dicamus, digestioni iisdem, quibus adhuc utimur compegisse membris. Constat ergo si prælibata maneant hominem a bono Deo esse creatum, et quidquid a bono creatum est, bonum id esse, cunctis manifestum est, ipso hujus testamenti auctore comprobante sic: " Et vidit Deus cuncta quæ fecit, et erant valde bona „. Si ergo a Deo creatus est homo, et quod ab ipso fit malum esse nequit, restat ut quidquid ab homine juxta naturam agitur, vitium damnandumve non esse dicatur. Et auctor ipse nihil in homine damnaturum se esse repromisit præter peccatum, quod ex se, non ex auctore contraxit. Unde beatus Iheronimus divinæ legis interpres in commentario super Isayam, stoicorum sectam super hac re christianæ auctoritati coaptat, qui hominem nulla creaturarum immunditia præter peccato posse pollui asserunt. Quo contra miramur admodum naturalia loqui vos penitus abhorrere, et quod absonum est, anathemati denominasse, quæ corporis usui necessariora ipsa in nobis manifestat natura. Numquid enim ab sacris locis prioris testamenti refutanda est consecratio, quod ejus auctores quamquam verbosa obscenitate, historicam tamen non præsumpserint latere veritati? Sicut in hoc Levitici dominica voce per Moysen dicente: non coire cum muliere in fluxu menstruo; et illud in Numero Finees pugione perfodientis* in locis genitalibus fornicantes, cui psalmista non reputatum esse testutur ad confusionem, sed multo magis ad justiciam in generationem et generationem. In Regum quoque: ubi manus Domini percutiens viros uniuscujusque urbis a parvo usque majorem, computrescebant prominentes extales eorum et fecerunt sibi sedes pelliceas. At illi sacerdotes divinosque super hoc consulentes responderunt juxta numerum provinciarum quinque anos aureos esse faciendum ad similitudinem anorum suorum, quorum ignominiam virtutem Dei laudando non siluit psalmista dicens: " Et percussit eos in posteriora, obprobrium sempiternum dedit illis. „ Et alias in eodem ubi Saul speluncam ingressus est ut purgaret ventrem, et Hiezechiel juxta dominicam vocem subscribens sic: " Cibus tuus quo vesceris,

* *cod.* perfodientes.

erit in pondere viginti stateres in die, et quasi subcinericium ordiatium comedes illud, et stercore quod egreditur de homine operies illud in oculis eorum, „ et in eodem paulo post: “ Ecce dedit fimum locum pro stercoribus humanis et facies panem tuum in eo „. Quid ergo censendum decernitis ut hæc jure ac fidelibus regalia instituta renuntientur, eo quod pro consueto sermone hominum insolentius et naturaliter tamen in ecclesia referuntur, sicut et illud nostrum de quo seritur sermo ridiculum quod hac eadem culpa scripsistis renuntiandum. Absit. Sed quid opus est verbis? Cogimur enim loqui et insipientes fieri. Sed vos ut loqui audeamus coegistis.

3. Transeamus ad novam gratiam et audiamus Jeronimum divinæ legis interpretem. In primo epistolarum ad Jovinianum “ Dominus noster Jesus Christus, qui cum in forma Dei esset, formam servi dignatus est accipere „. Cui quid necesse erat, ut in humanis membris nasceretur, si eis usurus non esset? Qui etiam ad comprobandum in se veram humanitatem veræ circumcisionis officium non respuit; et tantum ipsum corpus, in quo crucifixus est, post inferos habuit, ut manus perforatas clavis et lateris vulnus ostenderet. Certe licet auctior gloria, eadem qua nunc utimur, erit corporum substantia, digerendi tamen, quod nefas est cogitare, necessitate seclusa, quam sine vitio humanis corporibus indidit natura, et in evangelio per quod sanctificantur omnia, audite dominicam vocem: “ Quia omne quod in os mititur in ventrem vadit et in secessum emittitur „. Accipite etiam Paulum egregium prædicatorem ad Corinthios: “ Nam et corpus non est unum membrum sed multa. Non potest autem oculus manui, opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus: non est mihi necessarii, sed multo magis quæ videntur corporis membra infirmiora esse necessariora sunt, et quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem habundatiorem circumdamus et quæ inhonesta sunt nostra habundatiorem honorem habent. „ Honesta autem nostra nullius egent. Sed Deus temperavit corpus, ei cui deerat habundatiorem tribuendo honorem, ut non sit scisma in corpore. Vos autem in corpore scisma circumscribere vultis, quasi non ex nobis, aut id vitium sit. Cum adhuc gentium * subinferat “ Et in idipsum pro invicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, sive gloriatur unum membrum congaudent omnia membra. „ Ergo si hæc ita se habent, quæ nullomodo inficiari possunt necesse est, ut quæ munditiæ corporis servit manus, eadem necessarii sani servitura subsistat.

* *adde* apostolus.

4. Igitur et ne dicatis solis in scriptis beati Gengulfi talia legere, audite etiam et de Victore glorioso martyre sub Antonio passo, quod abruptis genitalium nervis fervens oleum in pudendis ejus versum est. Constat siquidem matrem sanctamque universalem ecclesiam hujusmodi et congaudere martyrium, sicut et congaudet in abscisione capitum suorum fidelium. At post hæc ne videatur vobis ridiculum in glorificatione martyris, et in confusione hostis legere de trirullis hominum, ut dicatur consimile; ecclesiasticam historiam revolvite, ubi de duobus episcopis legitur, christiani videlicet et hæretici, quorum nomina nec facile recolimus, nec textum ad præsens tenemus, cujus causa legendi si voluntas fuerit et litteræ vestræ monue-

rint, ubi copia nostra successerit delegabimus vobis, scientes scilicet eam in armario Remensis ecclesiæ esse reconditam. Quos rex ad prandium invitatos penes se utrumque fecit discumbere, favens scilicet signaculis Christi episcopi cibos consignari. Quod prævidens hæreticus, sciens sanctum episcopum non vesci cibis ab eo sanctificatis, appositos cibos semper festinus prior exiliit sanctificaturus. Novissimis vero appositis, apposita sanctificaturum se extulit, et in ipso ictu ex secretiori parte corporis emisit sonum, ut omnes pene attonitos redderet, et in ipso impetu exhalavit spiritum. Videns ergo christianus ab eo inlatam sibi Deum punire injuriam, mox in ejus laude illud intonuit psalmistæ: " Periit memoria eorum cum sonitu et Dominus in æternum permanet. „

5. Revertamur ad propositum, de quo instituimus disserendum, et quia scripta nostra notificastis anathematizata et in locis ab episcopis consecratis non debere recoli insinuare, quærimus qua auctoritate hæc legalia, prophetica, evangelicaque et apostolica quæ subintulimus exemplaria absorberi velitis ab ecclesia. Potuissemus equidem pluriora utriusque testamenti ad medium proferre testimonia, sed ne longius protendamus sermonem et vestram venerabilem, quam remissius decet, offendamus senectuctem, sed maxime quia et multo tempore scimus vos in lege Dei desudasse et multum gratia Dei proficere et quæ circa vos geruntur talium rerum non incuriosum procuratorem existere, jam stylus noster properet ad finem. Expedit proinde vos juvenilium fabulis * aurem avertere, et si quando auditis sancta prout condecet auctoritate a vobis repellite. Ne videamini a partibus Paternianorum hæresi consentire, qui asserunt hominem a duobus diis creatum superiorem partem a bono, inferiorem vero a malo. Quos beatus Augustinus in libro quem scribit ad Quodvult-Deum diaconum cum catholica ecclesia damnat. Præterea si quid nostri sermonis auribus vestris minus æquo incultum sonuerit parcite.

* *cod.* fabulas.

DE S. MAURO. (Cfr. supra, pag. 480, 4°.)

Baldrico Leodiensis ecclesiæ episcopo Arnulfus gratia Dei Remensis ecclesiæ nomine non merito archipræsul ejusdemque piæ devotionis clerus cum omni gregi * sibi credito feliciter triumphari cum Christo. — Inter prima perpluraque divinarum scripturarum mandata quibus Dei filius redimere quod perierat veniens, humanam naturam ad id unde proruit recuperare posse dedit, primum et maximum Dei dilectionem et proximi esse credimus et tenemus. Quorum alterum sine altero nec esse sufficit nec consentit, qui in uno inenarrabiliter fontis latice ab illa quæ est Christus petra procedunt et est illorum singulari quodam quasi caritatis vinculo juncta natura, quæ est mater et perfectio firmamentumque virtutum, in tantum ut sicut in paribus alis nulla queat evolare avis, ita nimirum absque caritate quilibet ad alta cælorum non potest evolare. Cum ergo nulli dubium est sentisse, firmissima nobis colligendum est ratione, quia etsi humana divino regi videntur moderamine, tamen absque hac gemina caritatis dilectione Deo perfecte non possunt placere. Si ergo in hominibus ut Deo inhæreant firmius, caritatis et

* *sic*

dilectionis manere debet virtus, quanto magis in ipsis angelorum civiumque supernorum spiritibus amplior et desiderabilior est caritas et dilectio, qui ipso caritatis capiti quasi membra uniti sunt familiarius, de quo apostolus: "Deus caritas est". Nos ergo qui et hujus membra capitis et horum quandoque et cives desideramus videri, scientes hanc esse caritatem quæ proximorum operatur utilitatem et maxime ut donum operis fiducialiter coram Deo primum expectaret salutis, fecimus cum proximo nostro communi Gerardo Arnulfi filio quod ipsa caritas monet et dilectio conjuncti ejus precibus et vincti dilectionis nexibus, sanctorum martyrum reliquias ut a nobis acciperet adquievimus et pro voto petitionis præciosissimum talentum contulimus ponderis, corpus scilicet domni et Deo dignissimi presbyteri Mauri et martyris, qui regnante impiissimo Nerone bonorum omnium persecutore ab ipsis apostolis veniens eruditus, Remensium finibus fidei et justitiæ invectus est cultor studiosissimus, ibique sub Lampadio præside, firmissima noviter fundatæ ecclesiæ columna, sicut ejus pleniter referunt gesta, XI kal. Septembris sententiam excepit decollationis et tanto id libentius fieri decrevimus, quanto domni antecessoris vestri et sanctæ memoriæ viri nimiam erga hujusmodi rem novimus esse benevolentiam et eo amplius quo ipse locus in quo prædicti talenti conferendum est pondus in nomine Jesu Christi et consilio antecessoris vestri struitur et adhuc Deo donante augebitur, sicut oculis ipsi comprobavimus. Nunc autem quia feliciter victurus viam est universæ carnis ingressus, ad vos quem vice ipsius benignitas Dei pastorem dedit convertimur, ut vestro consilio et adjutorio honorifice in vestro suscipiatur episcopio; quatinus juxta beatum Gregorium qui nos diligentius monet ut hic patronos modo quæramus sanctos martyres quos habeamus defensores, ut pro tali beneficio et hunc apud justum judicem patronum habeatis et defensorem. Ceterum ut rei quicquid reliquum est verius cognoscatis, ne sedes episcopalis patrocinio tanti frustraretur patroni, caput prædicti martyris quod apud nos in eburnea theca fuerat reconditum nobis reservamus, pro quo aliud eorum qui cum eo passi sunt vobis mittere dignum duximus, cum pro fideli terrena administratione honorem et gloriam et immarcescibilem totius beatitudinis possideatis palmam. Ob hoc ergo operæ pretium duximus, hoc nostrum vobis intimare negotium, ut divini memores præcepti petitio nostri effectum capiat voti. Valete.

CCXXII. Codex apud D. Phillipps signatus n° 4638.

Iste codex paginarum 264, formæ minoris ($0^{m},255 \times 0,176$), constat variis tractatibus seculo XIII et seculo XIV descriptis, at jam pridem in unum compaginatis. Lineæ graphide ductæ tum plenæ sunt, tum in duas columnas divisæ. Tituli rubricati sunt, itemque litteræ majores, quæ identidem parce exornatæ sunt. — Pag. 1 hæc scripta sunt: *Liber beatæ Mariæ virginis de Alna in patria et diocesi Leodiensi.*

Sit posteris memoria, quod anno Domini XV^{c}XLVI, existente reverendo patre domno Johanne de Lanoy abbate, fuerunt monachi residentes in Alna quadraginta in numero et VIII laici fratres. Insuper et eodem anno absentes erant viginti. Eodem anno in mense augusto inaudita a seculo Mecliniæ in Brabantia evenit tribulatio, pietas et desolatio, quia nocturno tempore turbato aere et invalescente tempestate bene septingentæ domus prorsus in terram ceciderunt, et bene trecentas animas et ultra necaverunt; quarum Dominus Deus misereri dignetur. Eodem anno Georgius ab Austria episcopus Leodiensis suum primum jocundum fecit ingressum in Alna, tertia videlicet die mensis octobris, associatus pluribus nobilibus generosis et ceteris viris plurimum honestis.

1° Vita beati Salvii episcopi et confessoris eximii cujus transitus celebratur quinto kalendas Novembris (fol. 110^{r}-111^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 11 Jan., tom. I, p. 704 sqq.

2° Vita beatissimi Clementis primi Metensium civitatis pontificis (fol. 112^{r}-133^{v}).

Apud Bosquet (1), ut monent auctores Galliæ litterariæ, tom. XII, p. 439 edita est vita quædam beati Clementis fabulis respersa, quæ tota nititur visione cujusdam religiosi viri cujus nomen auctor silentio premit. Licet initium vitæ editæ ac vitæ manuscriptæ sint diversa, attamen quoniam Bosquetum habere non contigerit, nescimus quid discriminis intercedat inter codicem et textum jam editum. In codice non agitur de visione illa ex qua omnis scribentis scientia hausta sit. Ac re quidem vera inutile omnino visionem inducere; quum auctor vitæ nostræ in aliis sanctorum vitis abunde repererit quæcumque excogitaverit; penu suo illa tantum addere debuit quæ ad situm urbis regionisque circumjacentis spectant.

Appendix ad cod. D. Phill. 4638.

DE S. CLEMENTE. (Cfr. hac ipsa pag., 2°.)

Incipiunt capitula in vita beatissimi Clementis.

Primum. De hoc quod completo æternitatis consilio de salute hominum missus est Spiritus sanctus apostolis, et dispersi sunt per fines orbis.

II. Quod beatus Petrus apostolus ecclesiam Antiochiæ construxerit, discipulos vocari christianos instituerit et inde Romam venerit.

(1) *Ecclesiæ Gallicanæ Historiarum* tom. I, part. II, pp. 17-23.

III. Quod prædicatione Petri atque signis multi crediderunt Romanorum, et de nobilitate sancti Clementis.

IIII. Quod sublimes et infirmi concordabant fidei; et de Judæorum atque gentilium Dei dispensatione.

V. De dignitate Romanorum et apostolicæ sedis, ruina Judæorum, electione utriusque Clementis, et de his qui ad Gallias missi sunt.

VI. Quod in itinere obiit Maternus, et de consolatione beati Petri.

VII. Quod singuli ad destinata pergentes loca baculum invicem sunt partiti.

VIII. Quod beatus Clemens Metim veniens, non statim urbem intravit, sed Gorziam habitavit.

Nonum capitulum. Quod princeps urbis venando cervum beatum reppe- rit Clementem ; et de allocutione mutua.

X. Qualiter beatus Clemens Metim intraverit.

XI. Ubi prius hospitium habuerit beatus Clemens; et quod paulatim civibus infundebat agnitionem Christi.

XII. De concione ipsius ad populum : de lapsu primi hominis et errore idolorum, et de electione Abraham et Maria virgine, de mysterio incarnationis Christi, et de auctoritate Petri apostoli, et de causa sui adventus in Gallias (1).

XIII. De assensu populi et serpentina lue.

XIIII. Quod beatus Clemens populo indicit jejunium; et quod cubiculum præsulis factum est oratorium in honore sanctæ Crucis.

XV capitulum. De acceleratione plebis et celebratione missæ et crucis impressione in frontibus astantium et de virtute sacramenti missæ.

XVI. Quod celebrato mysterio Christi cum turbis adierit amphitheatrum; et de serpentium motu.

XVII. Quod majorem serpentem evocatum stola colligaverit et propriis manibus ad Saliæ fluvium usque perduxerit.

XVIII. Quod serpentibus expulsis locus amphitheatri noxia peste caruerit, et quod terra exinde sumpta serpentes exterminat.

XVIIII capitulum. Quod post expulsionem serpentis redierit in urbem populumque ammonuerit et baptizaverit.

XX capitulum. Quod infirmantes serpertina peste postulaverint se visitari; quod injunxerit suis adimplere comministris.

XXI. Quod modestia sancti Clementis non solum cives sed et suburbani conversi sunt ad Christum.

Expliciunt capitula.

Incipit vita beatissimi Clementis primi Metensium civitatis episcopi.

Beatissimi Clementis Mediomatricorum apostoli atque primi pontificis vitam descripturi invocamus nobis adesse gratiam Spiritus sancti cujus inspiratione de

(1) Perlegendo Vitam animadverteris jam abhinc hanc capitulorum seriem cum ipsius vitæ partitione non convenire.

tenebris ignorantiæ ad lucem veritatis perductus, æterna benedicione est sanctificatus. Et quia dominicæ contemporaneus conversationis in terra fuit, decens videtur ut ab ipsius Christi ascensione et Spiritus sancti apostolis missione exordium sumamus.

Primum. Cum igitur divinæ consilium æternitatis de salute humani generis in terra peregisset, filius perpetuæ virginitatis trophæum nostræ mortalitatis collocavit in dextera majestatis suæ. Ne igitur caro nostra quæ ab angelis in Christo venerabatur in cælis, in terris diutius sordesceret in vitiis, virtus sancti Spiritus apostolis promissa destinatur a supernis. Munere igitur superno confirmati multos ex messe judaica velut grana collegerunt, sed plerique infideles velut paleæ flammam persecutionis contra fideles succenderunt. Itaque apostoli concordes in unitate fidei dispersi sunt per IIIIor partes mundi, ut compleretur historialiter quod Salomon in templo Domini formaverat figuraliter. Duodecim quippe boves, qui labro suberant æreo fusiles et facie per diversa respiciebant, in posterioribus vero conjuncti erant, totidem apostolos denotant, qui per diversum mundum, quod labrum significat, prædicando respiciunt, sed in unum consentiendo consistunt.

II. Beatus ergo Petrus qui eorum primus erat, sexto anno post passionem Domini Antiochiam tendens per septem annos ibidem resedit, plurima de religione christiana disposuit. Nam ecclesia ibidem ædificata, discipulos nominavit christianos ob diversarum distinctionem sectarum, quæ jam in radice insidiabantur novitati ecclesiæ. Inde IIIo Claudii imperatoris anno, hoc est XIIIIo post passionem Domini anno, videlicet ab urbe condita DCCoXCo ad ipsam urbem Romuleam velut ad * auream mundi statuam Christo subjugandam contendit. In hac, inquam, urbe, illo sub tempore Claudius quasi princeps gloriabatur, sed jam in eadem divinæ clementia præscientiæ * cordibus eligendorum superferebatur. Hæc vero civitas ignorans suæ provectionis auctorem, sicut omnibus dominabatur gentibus, sic omnium serviebat erroribus. Ad hanc divinitus princeps apostolorum dirigitur, ut in ea omnium confutaretur dæmonum cultus. In hanc siquidem quasi bestiarum sylvam frementium, securus ingreditur, paratus pro Christo cuncta subire discrimina, quem ante terruerat ostiaria sacerdotis ancilla. Digne ancilla ostium servabat sacerdotis Judæorum, quia jam a spirituali sensu legis defecerant per traditiones phariseorum. Merito etiam Petrus expavit ancillam, quia formidinem mortis, quæ per feminam subintraverat nondum per virtutem sancti Spiritus deposuerat. Securus autem Romam arcem imperii aggreditur, quia fama quæ pridem eum clarum commendaverat præsentia miraculorum ejus puritasque verborum jam clariorem reddebat.

* *add. super lin.*

* *cod. prius* præsentiæ.

III. Confluebat igitur ad eum omnis pene dignitas Romanorum mirantes prædicationem ejus, virtute signorum potentem, venerantes modestiam ejus, morum sobrietatem. Plurimi ergo non solum ex ordine senatorum sed etiam ex genere spectabilium virorum ejus obedientes prædicationi susceperunt sacramentum fidei. Inter quos eminebant claritate generis Marcellus filius Marci urbis præfecti, apud quem idem apostolus hospitabatur, qui etiam postea beati ejusdem descripsit gesta Petri, Fabius Clemens consul et patricius Romanorum, patruus

alterius Clementis, qui beato successit Petro in apostolica sede. Qui Clemens de Fabiorum nobilissima processit familia, quæ longo temporis ductu descendens ex illis centum conscriptis * patribus a Romulo reipublicæ quondam præfectis suæ cognomen successioni servavit, sicut et reliquæ nobiles familiæ, Tulliorum scilicet, Corneliorum, Curionum, et horum similes.

* *Sill.* is *super lin. in rasura.*

IIII. Prædictorum igitur exemplo clarissimorum non pauci ex senatoribus et nobilissimis viris conversi sunt ab errore ad veritatem, quia excellentium devotio fit minorum persæpe correptio. Jam tunc erat cernere impleri vaticinium Ysaiæ in credentium conversatione, quod habitaret lupus cum agno, pardus, leo, et ursus cum hedo, vitulo et ove. Rapacium siquidem nomine bestiarum figurantur principes et potentes mundi, pro diversitate et qualitate operis pravi, qui tunc cum hedis, agnis, vitulis et ovibus commorantur, quando suscepto fidei jugo cum humilibus sub regimine pascuntur apostolico. Exoritur hic non indigna divinæ dispensationis ammiratio: cur ex Judæa in primordio piscatores * sibi elegit, quibus obedirent principes mundi, tum ex urbe Romulea collegit nobiles et satrapes, qui docerent mysterium crucis agricolas. Hanc ergo ammirationem sic solvit gentium doctor: " Judæi signa petunt et Græci sapientiam quærunt „ ; Judæorum siquidem cervicositas per idiotas erat confundenda, quod eis in signum fiebat; gentilium autem stoliditas per sapientes conversos ab errore liberanda. Quæ gentilitas magnificentiam hominum prius reputans in numero deorum, dum sublimes cernit fieri humiles discit habere differentiam inter Deum et homines.

* *prius* spiscatores.

V. Dispensationem igitur divinam beatus Petrus in Romani præparatione considerans imperii quod ad * hoc scilicet confirmatum esset, ut sicut feritatem gentium armis domuisset, sic etiam Romana sibi cunctos orbis fines ecclesia subjugasset *. Statuit ex credentium collegio viros eligere modestos et evangelii prædicationem ipsis injungere. Videbat enim per spiritum, quod sicut senatus Romanorum per Cinnas et Gaios ferocitatem Gallorum sibi subegisset, sic apostolida sedes per obedientiam fidei omnes sibi provincias vendicare debuisset. Videbat inquam, quod sicut mosaicæ locus legis in umbilico terræ, id est Iherosolima urbe, fuerat locatus, sic sanctæ principatus ecclesiæ in arcibus romanis divinitus erat stabiliendus, ut per quos plane templum erat destruendum Judæorum, per eosdem fundaretur ecclesia christianorum; et sicut sphera a suo centro formatur, sic fidei cardo in sede romano * versaretur. Beatus igitur apostolus prædicationi vacans, per alternam successionem tres sibi ad peragendum sacerdotale officium delegit: Linum videlicet, Cletum atque Clementem. Alterum vero Fabium Clementem Metensibus prædicatorem constituit, Tullensibus Mansuetum, metropolitanis vero Treverensibus Eucharium delegavit. Spiritus enim sanctus qui eidem Petro pridem contulerat omnium scientiam linguarum, nimirum et nomina urbium situmque regionum scire dedit. Enimvero sicut homo a Deo recedens factus est se ipso minor, sic ad Deum per fidem rediens factus est ceteris superior; et quanto inhæret omnia continenti, tanto ei fiunt angusta quæ continentur.

* *prius* ab.

* *prius* sujugasset.

* *sic.*

VI. Obedientia ergo prædicationis suscepta, egressi sunt Christi præsules ab urbe Roma, non ut quondam Romani milites, qui ad hoc occidebant homines, ut

eorum possiderent urbes; sed ut prædicatione salutifera homines liberarent a morte perpetua. Hac intentione iter Galliarum ingressi, antequam ad sibi delegata pervenissent loca, temptavit eos Deo permittente vis inimica, ut ab hac devocaret efficacia. Nam unus eorum socius, nomine Maternus (1), languore nimio correptus obiit mortem non sine suorum magna compassione. Quem terræ commendantes ad beati præsentiam Petri apostoli redierunt unanimes. Quos benigne suscipiens et blande consolans, inter alias exhortationes hanc assignavit contra temptationum pericula christianis utillimam : *Viri fratres, quos Christus ab errore liberavit et Spiritus sanctus illuminavit, notum sit vobis, quod secus viam obedientiæ serpens antiquus suæ laqueos nequitiæ semper abscondit. Sic enim filiis Israel ad sibi promissam festinantibus terram per Amalech obviabat, pugnas commovebat, multos prosternebat, sed Moyse orante Israel est confortatus, hostis enervatus. Hac historica significatione monemur non nostra obviandum virtute adversario, sed orationis fide cum Christi signo. Ut ergo nullo modo præsumat homo de se, Israel vincitur securo Moyse, vincit orante. Quanta vero subsequatur præsumptionem ruina ; in exemplo est ille primus parens, qui præsumptione post lapsum excusans se, sua privatus est libertate. Itaque, carissimi, nihil de vobis præsumite, sed in omni adverso consilium sperate a Domino, sicque successum vestra intentio habebit bonum. Ne autem vos diutius ab officio vobis injuncto retardem, baculum mei socium itineris tollite vos præsules, atque defosso superponentes compari, præcipite in nomine Christi ut rediens in vitam de morte perficiat opus obedientiæ.*

VII. Hac itaque consolatione refecti et de mærore quasi de somno exciti, inchoatum pridem iter arripiunt; tandemque perveniunt ad fratrem tumulatum. Quem effodientes non vermium fœtorem sed suavissimum odorem invenerunt spirantem, eique secundum * apostoli jussum baculum superapponentes dicunt : *In nomine salvatoris omnium Jesu Christi Petrus ejus discipulus præcipit tibi, quatinus surgas velocius, obedientiamque tibi ab ipso injunctam impleas devotus.* Plurimis ergo coram astantibus et hoc admirantibus surrexit Maternus, plurimosque infidelium per suam resurrectionem provocavit ad veram Christi confessionem. Hæc ergo gesta scilicet de resuscitatione Materni ad hoc induximus, non quod proprie beato Clementi hoc asscribamus, sed ut participem itineris ac laboris sociumque consolationis et gaudii fuisse monstraremus. Hic autem licet perpendere quantum distat lex a gratia, veritas ab umbra. Helizeus quondam ille per Giezi sub typo legis præmisit baculum, ut viduæ filius exsurgeret a mortuis, sed non revixit donec Helyseus advenit. Petrus baculum sub invocatione Christi præmisit et defunctus exsurgit, quia lex vulnera tantum ostendebat; minime vero * sanabat. Infusum præmonstrabat digito peccati venenum, ut quærerent pereuntes antidotum. Christi vero adveniens gratia curavit peccata per legem prius ostensa; quia doctorum est nimirum errata per inditam sibi ostendere discretionem, Christi autem solius dimittere offensionem post veram confessionem. Maternus quidem de sepultura reddit suavitatis odorem, quia dum resurgit aliquis ex peccato quasi ex cadavere vivens fit hostia Deo.

* *corr. in marg. add.* beati

* vero *super lin.*

(1) Vide vitam SS. Eucharii, Valerii, Materni, *Act. SS.*, tom. II Jan., p. 918 sqq.

VIII. Quorum itaque completo sociorum numero, remetiebantur Gallicum denuo iter cum gaudio. Sed cum ad id loci perventum esset, quo quisque urbem sibi sorte delegatam inviseret; cerneres sanctorum societatem cum pietatis fletu corporalem pati divisionem; quamvis in intimo remaneret indissolubile unius vinculum dilectionis. Quid enim mirum si sancti ad invicem gaudent habere contubernium, cum etiam putribile membrum a vivo corpore divelli sit supplicium. Baculum ergo quo frater mortuus * fuerat resuscitatus, sibi sunt invicem impertiti ob memoriam videlicet beati magistri sui et in amoris pignus fraterni. Beatus Clemens, aliis ad mœnia sibi divinitus assignata pergentibus, cum sociis suis Cæleste atque Felice Metensem recto itinere aggressus est urbem quæ, ut quidam volunt, a Metio victore suo nomen est sortita, sed ut verius videtur a loci positione sic nominatur, quia flumina inter duo fundata Metis, quasi Mesis, hoc est media vocatur. Usus enim linguæ vulgaris corrumpens antiquitatem sermonis pro Mesis dixit Metis, sicut etiam nostri cognomen patroni pro Fabio dixit Flavius. Divinitus vero non sorte talibus insigniti sunt nominibus, cælestem qui felicitatem in primo perditam parente denuoque clementia Dei restauratam nobis per doctrinam suam manifestavere.

* *add. sup. lin.*

Venerabilis itaque sacerdos suis cum prædictis sociis intra suæ terminos diocesis adveniens, non ilico mœnia urbis introivit *, sed ad locum quemdam divertit qui ex gurgite inundanti Gorzia nomen accepit. Qui gurges maxima principum industria et peritorum arte captivorumque labore, qui talibus, ut olim filii Israel in Ægipto, religabantur officiis, per geometriæ diametra per quæ quosdam mensurarum geniculos ascendebant, atque lapidea conjunctione montiumque interruptione et æquali arcuum porrectione meabat usque ad urbis theatrum, et quasi per cuniculos catharactarum intercisos decurrebat, ut quasi spiramine spiritus impulsa velocius proflueret unda. Ubi autem depluerat, congruos sibi lacus per subterraneum meatum, Saliæ fluvii penetrabat alveum. Digne primo hic creditur hospitasse Dei virum, unde urbi liquens profluebat elementum; quia Dei donum ex ejus ministerio nobis erat infundendum, secundum illud propheticum “ Fluminis impetus lætificat civitatem Dei „. Hic, inquam, hic beatus Clemens primo resedit, hic aram ædificavit quam Deo et beato Petro consecravit. Hic aliquandiu contemplationi divinæ vacavit, imitatus Christum cujus erat templum, qui ascendens ab aqua Jordanis non statim prædicationem, propter quam venerat, inchoavit, sed in desertum secessit, atque triumpho triplici trisulcum diaboli assultum superavit. Jesus XL diebus absque victus sustentatione in deserto perduravit, beatus Clemens victu modico cum paupere potu lymphæ tantum sustentabatur, non saturabatur, Dominique gratiam præstolabatur. Gorzia vero tunc temporis locus quidam silvestrium erat ferarum; sed amodo jocundum Deo cœtum fovet monachorum. Illic, ut prælibatum est, sacerdos venerandus sibi construxit mansionem, Deoque cum suis commilitonibus illic exhibebat obsequium, obsecrans quatinus injunctum sibi officium divinitus duceretur ad effectum et fidei panderetur archanum. Hoc in loco commoranti non defuit divinitus administratio cibi. Nam qui per corvum quondam Helyæ præbuit pastum, suo nutu per ruricolas circummanentes Clementi

* *prius* intivit.

cum suis victum sufficienter administrabat, qui ab eo tam corporis quam animæ salutem sumentes domum læti remeabant. Hunc enim tantæ clarissimum nobilitatis virum plurimos esse prosecutos licitum est credere vernaculos, ut cui servierant in mundana claritate, dum fuerat Romanorum consul et patricius, servirent etiam in Christi devotione, qui mox futurus erat Mediomatricorum præsul et apostolus. Quemadmodum etiam Moyses, quamvis filios Israel in terram promissionis esset introducturus, non procedebat nisi columna ignis mota præcederet; utque David unctus rex a Samuele non prius accessit regno Judeæ quam pererraret deserta Ydumeæ, sic et beatus ille doctor, nisi præsignasset Domini clementia, intrare differebat Metensium mœnia. Enim vero qui voluntatem timentium se quam infundit facit et deprecationem eorum quam inspirat exaudit, ea quæ iste pro suorum salute petivit velocius exaudivit.

IX. Siquidem die quadam contigit, ut egressus princeps urbis circumadjacentes expeteret silvas silvestres cum canibus suis agitando feras. Qui offendens perpinguem cervum (1), discopulatis canibus insequebatur eum usque dum pervenisset ad oratorium, ubi beatus vir assidue pulsabat cælum. Cervus illo fugiendo divertens delitescebat; canes eminus modulatos latratus dabant, sed appropinquare cominus non valebant. Princeps admirans quid acciderat novi, equo desilit et causam exquirit, exquirendo sanctum Dei subito pro foribus assidere cernit; diuque intuitus eum tandem princeps prior infit: *Quamvis a nobis tuus differat habitus, reverentia tamen tui vultus commendat te nobis gratius. Dic ergo nobis locum tui generis, causam itineris, cujusve sectæ fautorem * te asseris, et cur in istis resides locis?* Vir itaque Domini ex placido sermone viri suas exauditas esse preces intelligens pro populi salute, respondet modeste: *Prudentia noverit vestra nos esse Romanos, pro vestra salute huc advenisse christianos non fictos esse, hic pro communi salute Deo summo supplicare.* Loquente Domini sacerdote vidisses canes humi procubuisse, latratus omisisse, cervum e regione intrepidum stare; venatores valde hoc stupere. Rursus princeps verba sacerdotis suscipiens subinfert: *Romanos esse dominos rerum * scimus et veneramur; de christiana conditione scias parum adhuc nos audisse. Sed si salus aliqua constat in hac religione, præsens edissere.* Beatus Clemens respondit: *Humanæ mysterium salutis contineri noveritis in veritate hujus religionis.* Princeps ait: *Si ut dicis, auctoritate Romani nominis causaque nostræ salutis advenisti, consequens est ut urbi nostræ appropinques, palam hanc salutem cunctis manifestes, præsertim cum civitatis nostræ cives pessima profligat lues, quam pariens mortifera serpentium soboles dat utrobique innumerabiles hominum quadrupedumque strages. Veni in urbem a nobis supplicatus, ut tecum nobis veniat Christi tui salus.* Erat autem is princeps, quantum apud gentiles, quasi medium tenens gradum inter vitia et virtutes: quia etsi non esset promptior ad virtutes, non adeo tamen erat ad vitia præceps. Considerans itaque rationem præclaram in pontifice et vultus hilaritatem, sollempni licentia eum honoravit; atque cum sibi concessa venatione rediit ad mœnia urbis.

* *prius* favetorem.

* *in marg. prima manu.*

(1) Similia leges in vita S. Ægidii, S. Gisleni et aliorum.

Decreverat enim præsul honestius fore cervum illi concedere, quam ejus gentilem animum exacerbare. Sic igitur princeps ad urbem regreditur et pontifex in crastino eum prosequitur, complendo ejus, sicut quondam Moyses soceris consulta.

X. Gloriosus Dei sacerdos a Gorzia procedens Metensi appropinquabat urbi, quam cominus conspiciens fudit preces pro ea dicens : *Domine qui uno contuitu præterita, instantia futuraque comprehendis, et tempore cuncta disponis, quique tribus digitis molem terræ appendis, hoc est summa ratione superos regis, media hominibus provides, infirma disponis animalia, attingens a fine usque ad finem, ab angelo scilicet usque ad vermem universa discernendo, supplicationi meæ præsenti pius adesto. Præsta omnipotens Trinitas, ut sicut sola me tua gratia, prædicatione beati apostoli tui Petri ab errore dignatus es liberare gentili, sic isti, cui me doctorem urbi destinas, clementer subvenias, corda eorum obedientiæ fidei subjicias, errorem idolatriæ subruas et veluti a facie filiorum Israel septem Cananitidas, vitia septem principalia significantes, exterminasti gentes, sic officio prædicationis Christi, laqueos diaboli ab hujus animo dimove populi, ut inde sacrificemus laudes tibi Deo soli.* Oratione completa per occidentalem portam ingressus est urbem nostram, deferens nobis Christi mysterium, qui ascendit super occasum destruendo mortis imperium. Unde quasi quoddam insigne stat usque hodie crux lapidea pro ponte, quia creditur beatus Clemens illac intrasse doctor insignis nostræ religionis.

XI. Ingressus urbem hospitium suscepit haud longe a palatio cognomine Aureolo, quia in tempore illo hoc palatium toti præminens urbi tholos gestabat deauratos, qui procul aspicientibus velut flammivomos fulgoris porrigebant radios. Fama pridie suscitata a venatoribus in principis aula de reverendi præconis Christi habitu vel cultu, per mœnia civitatis confirmata plurimos accersibat * ad præsulis hospitia. Quorum frequentiam vir Dei amplectens, futuramque fidem eorum animo concipiens, paulatim mentibus illorum Christum infundebat, ab errore cæcitatis devocabat, luce veritatis informabat. Tandem constituit diem oportunum, competentemque locum, quo civitas omnis interesset, causasque sui adventus eis in commune aperiret. Jamque dies advenerat non tumultus visura belli, sed pacem susceptura Christi, in qua diversæ conditionis homines confluxerunt audituri ab ore sacerdotali, quod erat competens omnium saluti. Serpentina siquidem lues, de qua superius princeps præsulis pulsaverat aures, non modice gentilium mitigabat mentes : quia nimirum gravamina corporum persæpe tumorem deprimunt mentium, nisi excessio doloris convertatur in sensibilitatem furoris *. In quo venerandus antistes conventu, sublimi stans in gradu, sereno vultu oreque cælesti sic perorabat causas adventus sui : *Cum ceteris animalibus homo ratione præmineat, o dilectissimi cives, decet ut quo reliquis præpollet, eo sciat, quo auctore sit conditus, cur tantis calamitatibus sit subditus, a quo et per quem sit * liberandus. Natura igitur humana voluntate Dei sola, non necessitate creata, ut obediret soli Deo, in terrestri paradyso prius ab ipso erat constituta Deo. Quam naturam diabolus, qui pridem præfuerat cælestibus, sciens et invidens illuc esse sublimandam, quo prius superbus corruisset, promissione fallaci eam decepit*

* *cod.* arcersibat.

* *In marg. pro* doloris *delet. in textu.*

* *add. super lin.*

*dicens: quod si ex vetito sibi pomo gustasset, dignitate cælesti jam par esset. Natura itaque humana inconsulte maligno credens, de immortali facta est mortalis, de felice infelix, jamque prolapsa in * miseriam Dei etiam heu amisit notitiam. Proinde in * deterius procedebat, creaturisque ad sibi serviendum formatis * indebitam venerationem exhibebat. Verum enim vero * divinæ bonitas misericordiæ, quæ non valet obscurari criminum magnitudine ex modica quasi semiextinctæ rationis scintilla, in quorumdam animis flammam discretionis illucere dedit, ut per visibilia et labentia cognoscerent invisibilem æternumque creatorem. Enimvero tantæ largitionis divinæ ingrati existentes, proh dolor! ex infusa veritate induerunt se majori confusione. Nam sibi reputantes et non Deo quam ab ipso acceperant notitiam, ad tantam devoluti sunt stultitiam, ut divinitatis nomen imaginibus hominum corruptibilium, quadrupedum reptiliumque aptarent, atque ita suo se operi turpiter supponerent, quia rationalitatis dignitatem sibi a Deo inditæ neglexerunt agnoscere. Hinc est, quod a quodam quidem * fabuloso Promotheo dixerunt hominem fictum, a Saturno quodam voraci secula cepisse, Jovem patris persecutorem, omniumque flagitiorum impudicitiæ instructorem cæli putaverunt esse regnatorem. Quorum vitæ actus, quemadmodum litteratura docet vetus, quantumque ad legum humanarum * censuram attinet, magis probantur odibiles, quam celebrentur probabiles. Si enim divinitas simplex et incorruptibilis, luminosa et reverenda esse constat: nonne insaniunt qui eam assimilant scurrili atque flagitiosæ humanitati? Unde scriptura cælitus administrata tales improbat deos eorumque cultores dicens: " Omnes dii gentium dæmonia ". Et iterum " Simulcra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum: os habent et non loquuntur, similes illis fiant, qui colunt ea ". Nonne os hominis quod laudes tantum Dei debet sonare mutum fit, dum turpia et irrationabilia loquitur? Verbum enim si non est verum, quid est aliud nisi quidam insensibilium sonus metallorum? Similiter sensualia cetera corporis * membra, si non agunt id, ad quod exequendum naturaliter facta sunt, idem si carent veneratione Dei et utilitate proximi, quid aliud probantur nisi vana naturæque propriæ refuga? Non * enim substantialiter fit homo lapis et e converso lapis homo. Sic nec hominis opus est Deus. Nihil igitur esse constat, quicquid ab auctore Deo non exstat. Sed, ut prælibavimus, lux bonitatis divinæ, quam totius mundi tenebrosus error non obscurat, unum retraxit virum ab humana massa perditionis, cui etiam nomen Abraham dedit, scientiamque inspiravit ei, per elementorum qualitates cognoscere conditorem ipsorum. Quem ita divinitatis suæ intelligentia sublimavit, ut suum vivere, sapere discernereque non sibi, sed Deo nosset assignare: quia se suo privat accepto, qui datoris est ingratus beneficio. Huic electo ejusque successioni generis notitiam de mundi creatione veram revelavit, legem qua Deus veneraretur et salus ejus expectaretur dedit. Verum ipsius posteris eam transgredientibus cum persæpe flagellis, quasi * quibusdam medicaminibus, eos corrigeret, judicibus et prophetis ammoneret, ipsique amplius a sui germinis veritate degenerarent et ab amore Dei refrigerarent, quasi lilium de spinis, ex hac plebe quandam virginem Mariam sibi assumpsit. Hæc de communi concupiscentia carnis progenita, sola fuit ab omni concupiscentia carnali*

* *add. sup. lin.*
* *prius* inde.
* *prius* formantis.
* *prius pro* (v. e. v.) verumtamen.
* *cod.* quidam.
* *add. super lin.*
* *super lin. add. a corr.*
* *ita post rasur.*
* *prius* quas

prorsus * aliena. Unde merito prærogativa fieri meruit Dei aula, quæ perhennem suam virginitatem Deo consecravit prima. Hæc est, inquam, prima et gloriosa virgo Maria, quæ caput serpentinum contrivit pede virtutum, quia principalem diaboli virtutem mentis videlicet superbiam, carnisque lasciviam respuit, virginitatem prima Deo sacrificavit *, exemplumque veræ humilitatis, quasi stellam mortalibus fulgidam, ad devitandam superbiæ caribdim semetipsam præfixit. Hac inquam in virgine misericordia et veritas sibi obviaverunt, justitia et pax osculatæ sunt. Misericordia plane obviavit veritati, dum mortalibus interitu dignis, indulgentia provenit, promissumque per prophetas Dei * Verbum per hanc virginem mundo est prolatum. Justitia et pax osculatæ sunt, dum sublata deitatis ignorantia, societas angelorum mortalibus est reddita, atque de Deo et ejus majestate verus intellectus, primi præsumptione hominis amissus, per hujus filium virginis orbi est restauratus. In hujus siquidem Mariæ virginali utero, velut in quodam excellenti thalamo, Verbum Dei, quod in principio cuncta creavit ex nihilo, sibi misericorditer associavit hominis naturam. Qui homo prænuntiante angelo, virgineque gloriosa credente conceptus est ex materno semine solo, et per dierum mensiumque formatus incrementa, vivificatus quoque anima prodiit natus in mundo tempore nascendi legitimo, perfectus Deus et perfectus homo. Perfectum Deum et perfectum hominem dicimus Dominum nostrum Jesum Christum: quia Verbum Dei carnem nostram mediante anima suscepit, ita ut nec divinitas confunderetur in humanitate, neque rursum humanitas in Verbum converteretur, sed esset Christus unus, perfectus Deus et perfectus homo. Dignum quippe divino fuit consilio, ut quia primus de terra plasmatus homo, diabolica deceptus fuerat fraude, progenitus homo de pura virgine a conceptionis origine deitatis confirmaretur * unione. Honorem quoque supernum quam maxime decebat: ut quia humanam naturam reformare veniebat, virginitatem non infringeret maternam sed sicut de terra fons ascendit et ex virgulto flos procedit absque sui originis lesione, et velut speculum inductam sibi suscipit formam, et sine sui fractione reddit, sic Dominus noster Jesus Christus gigneretur integerrima de virgine salva ipsius integritate. Cælestis enim majestas cui præsto sunt futura, quamvis hominis ruinam diabolique præscisset superbiam, tamen minime congruebat ejus potentiæ ab ævo disposita non complere, quia, quod absurdum est etiam de summo meditari, nullo modo invidiæ subjacebat passioni. Potest namque corrupta solidare, collapsa meliorare, ideoque naturam hominis quam diabolus fraude corrupit, ipse Deus eam suscipiendo in melius reparavit. Competens etiam omnimodis erat, ut fragilitas humana, quæ pridem sui relicta libertate arbitrii, decepta misere maligni fraude, subjacebat iniquitatibus cunctis et erroribus, a superna virtute suscepta reformaretur, primordialique rationalitatis splendore atque justitia præmuniretur. Necessarium quoque fuit, ut Deus homo solveret quicquid iniquitatis et injustitiæ a primo electo usque ad ultimum omnibus induxerat prævaricator primus homo, ex deitate scilicet restituens quicquid malignus ante subtraxit, ex humanitate satisfaciens Deo de omnibus quibus homo factus erat reus. Homo enim deceptus voluit Dei præripere similitudinem, Dominus noster Jesus Christus per crucis passionem fidelibus acquisivit pacis reconciliationem:

* in marg. prima manu.
* add. in textu a corr.
* add. sup. lin. a corr.
* tur super lin. a corr.

*Nam postquam plurima terris miracula dedit, quibus verum se Deum confirmavit, postquam sibi discipulos quamplures associavit, voluntarie tentus cruci est affixus, mortuus et sepultus, ut requiem et vitam gloriamque humano generi perditam restitueret; sicque leges inferni dirumpens tertia die a mortuis resurrexit. Sicque celebrato sacramento ab æternitate disposito, post XL dies suæ resurrectionis videntibus suis cælos ascendit, naturamque humanam quam de deliciarum paradyso malignus sua faude abduxit, supra dignitatem angelicam Deus homo induxit. Decimo inde die sancti virtutem Spiritus suis apostolis in cænaculo considentibus in ignis figura misit; quo confirmati et edocti per quadrifidum orbem sunt diffusi prædicantes et annuntiantes magnalia Dei: non jam formidantes hominum scientiam, quia firmiter sciunt se * illo sublimandos, quo Dominus illorum omnia* * *prius* de. *gubernans regnat super omnes cælos. In quibus doctrinæ cælestis præconibus Petrus apostolus exstat princeps gloriosus, qui nuper Romam adveniens non modicam nobilium multitudinem Romanorum lampade orationis virtuteque curationis ad veræ cultum religionis convertit. Hic, inquam, Petrus invocatione Christi mortuos suscitat, dæmones fugat, et quod est mirabile visu, ipsius * umbra corporis innu-* * *prius* ipsi. *mera languentium turba efficitur sana. Hic igitur apostolus tam præcelsæ dignitatis ad hanc Galliæ urbem vestram nos direxit, quatinus doctrinam, quam rex cælestis sicut audistis omnibus populis annuntiare præcepit, suscipiatis, diabolo qui per idolorum vanitates vestras hucusque deceperat mentes abrenuntietis, quatinus per lavacri regenerationem ad veri cognitionem Dei redire valeatis, mentiumque vestrarum ac corporum consolationem percipiatis. Ecce, cives venerandi, quis naturam humanam formaverit, audistis: qua culpa suo privata fuerit honore, cur tanta involvatur calamitate. Audistis etiam dispensationem Dei, per quam antiquo restituatur honori, si modo simulacrorum abrenuntiet errori. Audistis partim personæ auctoritatem nos dirigentis ad vos, non ignobilis locum urbis de qua processimus, audistis causam vestræ salutis pro qua venimus. Nunc igitur quia omnis fere deliberatio civilis utili constat et honesto, ex præcedentibus verbis sumite vobis materiam salutis. Honestum quippe est ab imis concupiscentiis ad cælica levare corda, utile labentia æternis commutare. Consequens est etiam ut qui optima sibi oblata contemnit, felicitate privatus perpetuis relinquatur miseriis.*

XII. Talibus verbis et similibus his beato Clemente astantium corda velut rore cælesti perfundente, gratia Spiritus sancti audientium se cordibus infundebat, gentilium indocibilitatem illuminabat, infusum ex antiquo venenum mentibus eorum effundebat, doctrinæ salutaris amorem infundebat, quia Spiritus sancti est gratiæ reputanda magistrorum doctrina discipulorumque disciplina. Frustra siquidem si non intus doceat divinus Spiritus animum, doctor foris administrat verbum. Hinc beata virgo a Joseph desponsata sanctificatione sancti Spiritus fœcundatur, quia et ipsi præsules anulo fidei ecclesiæ subarrhantur, sed tamen ipsa divinitus ecclesia fideli prole multiplicatur. Gratia itaque cælesti astantes compuncti responderunt sacerdoti: *Licet nobis hactenus sint inexaudita tuæ prædicationis verba, tamen omnimoda ratione subnixa approbantur esse cælestia; et quia ut dicis a supernis est omnis salus, obsecramus te per illum, cujus te profiteris discipulum, quatinus*

* crassatur. *nostræ periculum urbis quod in dies grassatur *, Christi tui virtute propellatur. Serpentinus etenim fœtens et intolerabilis flatus ex nostri quondam ludorum spectaculo theatri procedens ipsum etiam corrumpit aerem, et sic miseram inducit pestilentiam. Non minus siquidem affligitur nostræ urbis populus ab istorum serpentium flatibus, quam si manus inimica nostra obsideret mœnia. Periit enim pene cuncta* * sic. *nostri suburbii agricultura, quia non modo homines, verum jumenta, equi *, armentorumque greges cum pecoribus interimit hæc lues, et sic farriferam terræ nostræ glebam vepres replerunt condensæ. Si ergo nostris precibus tui efficatia Christi suffragatur, tuæ prædicationis fidei subjiciemur cuncti.* Reverendus sacerdos Clemens iterum infit : *Non mirum si vos in errorem lapsos idolorum serpentes vexant, quia inde solet diabolus mortales affligere, unde se pollicetur prodesse. Verum enim vero Domini nostri Jesu Christi virtus celeriter quod postulatis efficit si vestrorum fides cordium dictis verborum concinit.* Responderunt populi : *Tu tantummodo nobis in commune dicito, quid pro isto faciendum sit periculo.*

XIII. Beatus Clemens jam per spiritum intelligens semina verbi Dei eorum mentis sulcis suscepta et impressa fore, quasi alter cherubin qui stat cum versatili gladio ante fores paradysi, et ipse astantium observabat introitum fidei, pristinumque errorem ipsorum gladio pænitentiæ decernit amputandum. Alterum dixerimus esse ab angelo nostrum doctorem præcipuum, clementem natura non officio. Nam teste apostolo “ Omnes angelici spiritus divinæ sunt administratorii providentiæ „ et omnes Christi sacerdotes, propheta testante, officiales sunt legis et justitiæ. “ Labia, inquit, sacerdotis custodiunt scientiam et legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est. „ Cherubin præcepto Dei iter ad paradysum intercludit præsumptori, et sacerdos gladio pænitentiæ aperit spem veniæ peccatori. Unde idem gladius dicitur versatilis. Hortum deliciarum divinum dicimus cultum. Pro peccatis igitur suis beatus Clemens populo jejunium indicit dicens : *Quia dilectissimi, hactenus ex ignorantia vero peccastis Deo cogitatione, locutione simul et actu, hodierno die semel et sobrie cibo indulgete ; crastinoque ad nos redite armandi Christi virtute, ut sic pariter amphitheatrum adeuntes, serpentium pestes in nomine virtutis Christi expellantur omnes.* His auditis populi lætantes dimissa concione sanctum pontificem usque ad hospitium sunt prosecuti, sicque unusquisque rediit in sua, futuro die suam liberationem visuri. Cubiculum pontificis fit oratorium : araque tropheo sanctæ crucis in eodem consecratur conces- ** super lin.* sione hospitis. Sicut enim sancto * Daniel Areuna Jebuseus quondam in sua locum area ædificandi templum Domino voluntarie concessit, et sicut Heliseo illa Sunamitis reverenter necessaria præbebat, ita et beato Clementi suus hospes, considerata ejus sobrietate morum, concessit liberaliter stabilire oratorium infra suam domum.

** cor.* dolorem. **XIIII.** Crastino sole rebus colorem * reddente, sub ipsa proruptione diluculi adsunt cives devoti pro foribus sacerdotalis hospitii reposcentes promissæ dona spei. Beatus igitur Clemens cum suis tantum sociis, celebrato nostræ redemptionis ** in marg. add.* mysterio, se suosque præmunivit munere * divino et egressus hospitium frontibus signum crucis imprimebat astantium, monens ut credentes in Christum serpenti-

nos flatus non paverent amplius. Pulcher ordo pii doctoris. Inserto mentibus auditorum semine divino, pænitentia fovet spem fidei germinis, signoque crucis signavit illos veluti clausula forti. Tropheum quoque diaboli expugnaturus in serpente se præmunivit cibo spirituli, quia nemo valet aliis prodesse, nec diabolum allidere nisi carnem Christi vescendo, id est omnibus ac si sibi salutem animæ aliis obtando, pro qua * Christus descendit de cælo. Ignis etenim qui conficiebat sacrificium in lege veteri ex ipso procedebat altari, et de igne aurei turibuli juxta Johannis Apocalypsin terreni sunt inflammati, quia ea * sola intentione sunt celebranda Christi mysteria, qua ipse constituit; scilicet animarum salute et remissione peccatorum, non pro terreni emolumento lucri, ne pereamus sicut filii Aaron alienum sacrificantes ignem Deo, id est aliam intentionem habentes. O admirabilis Dei et incomprehensibilis pietas! Quod enim Christus horarie operatus est in cruce de mundi totius salute, hoc idem sanctæ cottidiana ejus memoria passionis agit in remotione periculorum et salute animarum. Et licet hæc sacrosancta videantur in prima manere figura, tamen consecratione peracta fiunt spiritualia et vitalia, idem verus sanguis, qui ex latere lancea puncto profluxit salvatoris, et vera caro quæ passa est in crucis patibulo, quæ jam regnat in gloria æternitatis.

* *prius* quam

* *add. sup. lin. a corr.*

XV. Sacerdos Dei Clemens ubi se cælesti atque socios munivit libamine, magna cum multitudine plebis circum se undique vallantis, per orientalem procedit portam urbis, et Christi fide velut cælesti sole redimitus, lunamque temporalium delectationum habens sub pedibus virtutum, intrepidus * properabat ad theatri anfractus, unde intolerabilis refundebatur pestis. Appropinquans itaque loco beatus Clemens, reliquo procul stante populo, cum sociis hanc orationem fudit de pectoris imo : *Domine Jesu Christe, Deus de Deo, qui tuis hanc concessisti fidelibus potestatem, ut omnem inimici superent virtutem, serpentes et viperas conculcent, humilitatis nostræ precibus adesto* : *istum ab hodierna die locum ab omni peste noxia et serpentibus expurga, ut sublata misericorditer pestilentia pietatis tuæ cunctis patescat populis potentia, et ab idolorum liberati cultura tibi fide famulentur devota, qui vivis et regnas cum Deo patre et sancto flamine sine fine.* Respondentibus consociis *amen*, signo crucis armatus amphitheatrum sacerdos ingreditur securus. Videres illo intrante spiritum nequam, cui sunt subjectæ, quantum Deus concedit, serpentium pestes, illam statim sic totam multitudinem excitasse venenatam, ut quasi certatim de suis egredientes cavernis arcuati cuncta complerent ampitheatri ædificia; sed præsentiam formidantes sancti, velut accensi flamma rogi se distorquere, atque se hac et illac vibrare, sibilos raucinosos dare, effugium quod non concedebatur quærere; quia divinum illos cogebat imperium. Turbis populorum hoc attendentibus, virtutemque fidei sacerdotis mirantibus, beatus ipse Clemens securus ad amphitheatri penetrat interiora, maximumque serpentium in Christi nomine imperat prodire. Qui serpens more anserino collum trisulcis tumidum linguis progrediens deponit, et ad vestigia reverendi sacerdotis procumbit, quem prius invadere temptaverat hianti ore. **XVI.**

* *in marg. a corr.*

XVII. Sacerdos Dei stola quam in suo gestabat collo accepta, serpentis cervici manu propria innodavit, seque ut sua cum multitudine sequeretur potenti

verbo imperavit. Quanta illic admiratio fuerit plebium ista contuentium, quantusve stupor lætitia mixtus æstimari * potest; quia magna dum viderent innumera diversorum genera serpentium sine læsione hominum, velut animalia œstris agitata, diffugere per dumeta maximum sui sequentia. Ecce pro certo Ysaianum illud vaticinium historialiter complebatur: " Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis et in caverna reguli qui ablactatus fuerit mittet „. Infans autem mystice in aspidis foramine manum suam mittit, dum simplex quivis in ecclesia per orationem de obsessis diabolum excludit. Similiter et ablactatus manum mittit in caverna reguli, dum quisque doctrina perfectus diaboli nequitia credentium emundat corda. Reverendus itaque Domini sacerdos Clemens stola colligatum * serpentem mole corporis prægrandem, gressibus velocem, maxima caudæ volumina sinuose post se trahentem, quibus forsan si elephans irictus occurrisset, omnino colligasset, flatu suo, ut physici tradunt, extinxisset. Hunc, inquam, pontifex gloriosus propriis manibus ad Salliæ fluvium usque perduxit, qui prope amphitheatrum decurrit, eumque solvens tali adjuratione usus est in illum : *In nomine Domini nostri Jesu Christi quem beati Petri apostolorum principis prædicatione verum Deum agnovi, draco pestifer, præcipio tibi, ut cum venenifera omni multitudine tibi cohærente fluvium velocius istum pertranseas, nulli hominum amodo seu bestiarum noceas, locum ab omni humana conservatione semotum subeas.*

* *prius* æstimaret.

* *prius* colligantium.

XVIII. Bestia nequam soluta celeritate mira sua cum omni genimine ilico discessit, sicque præfatus ab omni peste deinceps mundatus est locus, ut nec vix aliquando nocens vermiculus ibi reperiatur. Sed et si aliquando illuc ab aliquo fuerit delatus, miro sancti Clementis merito emoritur *. Nec in ipso tantum loco salubris præstatur securitas, verum etiam si alicubi terra de ipso loco sumpta cum fide transferatur, miro modo noxii mox effugantur angues vel enecantur. O vere Christi discipulum virumque apostolicum ! cujus omnis noxia pestis subjicitur imperio. O quam potens divinis jam, beate Clemens, aspectibus assistis, qui adhuc terris vivens tantis effulsisti signis! Nunc igitur pastor clementissime, nostro de pectore serpentinam morum lasciviam depelle, affluentiamque roris sancti Spiritus nostræ menti continua prece infundi deposce.

* (et-emoritur) *in textu alia manu.*

XVIIII. Serpentina multitudine propulsa beatus pontifex, gaudente populo ad urbem regreditur, virtus Christi magna suo in sancto prædicatur et alternata voce per totum iter proclamatur : *Vere magnus Deus Jesus Christus et vere ipsi præcones, nostri hospites, sine dolo sunt et veraces.* Itaque tali tripudio beatus Clemens hospitio redditur suo. Ubi cum advenisset, ilico de baptismi susceptione omnes hortatur dulci affamine. Frequenti enim doctrina erant riganda gentilium corda, quia remota vera Dei notitia quasi pulvis exstabant arida, stoliditate idolorum obcæcata. Implebatur jam tempore moderno quod psalmista exoraverat in antiquo " Rivos ejus „, subauditur Dei fluminis, " inebrians, multiplica genimina ejus „. Rivi fluminis Dei, id est Spiritus sancti, sunt prædicatores Christi, genimina vero ejus auditores boni, qui tunc bene germinant, dum intellecta operibus administrant. Dulci ergo sermone beatus Clemens adhortabatur dicens : *Dilectissimi*

cives, quia Domini nostri Jesu Christi virtutem in draconis eliminatione vidistis, dignum est, ut amodo verum agnoscatis Deum, veterisque maculam erroris per baptismi sacramentum deponatis. Nemo enim nisi renatus Christo erit associandus. Eapropter unda festinate renasci, quæ unda invocatione Dei sanctificata, velut mater alia, pueros suscipit sanctificandos, et reddit sanctificatos absque ulla corruptione, sicut Christus conceptus de virgine natus est sine matris læsione. Hoc aquæ siquidem elementum magis ceteris est aptum ad sepulturæ ac resurrectionis dominicæ configurandum, in quibus renovatur nostræ corruptio naturæ. Tinguitur etenim nostra natura et quodammodo sepelitur in elemento aquæ, et culpis naturæ demersis resurgit filius salutis, reflorente in eo gratia deitatis. Subsequentes itaque populi respondent pontifici : *Rationale satis videtur, ut sicut veram esse tuam signis doctrinam comprobasti, sic et nostra promissio in effectum respondeat tibi. Age jam reverende doctor, et nos ignorantiæ atque idolis subtractos vivo et vero restitue Deo purgatos baptismate sacro.* Indixit itaque beatus Clemens sollempnia illis jejunia et die statuta non minimam multitudinem utriusque sexus et ætatis baptizavit atque ab idolorum cultura expiavit.

XX. Audientes autem reliqui qui ægrotabant infecti serpentino flatu, nam cum serpentes prædicti sese de latebris efferentes solis calore delectarentur, austro flante inferebatur nimia urbi miseria et inevitabilis corruptio aeris, et sic serpebat in cordibus hominum valida pestis, audientes, inquam, ægrotantes factum præsulis, ei per internuntios preces obtulerunt obsecrantes ut et sui misereretur. Gloriosus itaque pontifex Clemens suos comministros, sanctos videlicet Cælestem atque Felicem accersiens injunxit eis dicens : *Ite dilectissimi fratres, domos urbanorum circuite, et secundum Domini præceptum infirmos visitate, orationis vestræ manus illis imponite ; ut Christo credant ac baptismum suscipiant ammonete. Oportet enim a Domino Jesu Christo potentia diaboli subacta, ejus rapi vasa, et cælestia per fidem ipsius restituere dampna.* Beatissimi ergo Cælestis atque Felix jussa magistri adimplentes, geminæ velut olivæ, opera misericordiæ super infirmantes per urbem exercebant, verbum prædicationis disseminabant : et sonum ammonitionis sequebatur motus conpunctionis ; motum conpunctionis subsequebatur gratiarum actio de salutis collatione, et ita prorumpebant omnes in laudem Dei dicentes : *Benedictus Deus, gloriosus in adventu istorum ad nos sanctorum suorum.*

XXI. Sic igitur Metensis populus modestia insignis præsulis provocatus, benignitatem in eo Dei venerabatur. Ad audiendum * Dei verbum cottidie confluebat, baptismoque se purificari peroptabat. Tanta enim multitudo frequens ad sancti hospitium Clementis accedebat non solum ex urbe sed et de suburbiorum vicinio, ut ex frequenti accessu adjacens platea nominata sit Stationaria, ubi usque in præsentiarum Sanctæ Crucis ecclesia ab ipso beato Clemente, ut fertur, consecrata perseverat. Suscitabantur hic per beatum Clementem ex lapideorum cultoribus deorum concives angelorum, et sterilis usque tunc Metensis oleaster inserebatur olivæ naturali per gratiam Domini nostri Jesu Christi, cui omnes referamus gratias et de vocatione ac redemptione nostra ; quia cum digni essemus ira, misertus est nostri sua gratia ; et ne deficiamus in

* *cod.* audien

deserto mundi reficit nos intellectu spirituali, protegit intercessione sanctorum, consolatur miraculis eorum, de quorum collegio iste patronus noster specialis beatus Clemens summe in cælestibus exultat et cum Christo feliciter regnat in sempiternum.

De obitu ipsius.

Rexit vero princeps maximus et sacerdos Clemens ecclesiam Metensem, quam maximis sudoribus Domino adquisivit, annis xx^{ti} vq et mensibus quatuor. Transivit autem die nono Kalendarum decembrium ab hac ærumpnosa et instabili vita ad felicem et angelicam patriam, conjunctus magnis principibus sacerdotum, adsistens nunc Domino cælorum, paratus intercedere pro peccatis fidelium populorum, ubi cum eo gaudet et lætatur in secula seculorum. Amen.

Explicit Vita beatissimi Clementis primi civitatis Metensium episcopi.

CCXXIII. Codex apud D. Phillipps signatus n° 4644.

Paginarum 316, formæ mediæ (0^{m},353 × 0,256), binis columnis, lineis graphide ductis, una manu seculo XIII accuratissime exaratus. Tituli rubricati sunt, litteræ majores, alternis vicibus minio viridique colore depictæ, venuste exornatæ sunt. Fol. 316 bis scripta sunt sqq. : *Liber beatæ Mariæ de Alna.*

Præter epistolas S. Bernardi continentur in codice quædam documenta quæ aliquatenus ad hagiologiam spectare videntur.

1° Visio domni Petri abbatis Ignacii quam vidit de fratre Balduino milite novitio suo (p. 304-307).

Fragmentum Vitæ editæ in *Act. SS.*, ad d. 29 Oct., tom. XIII, p. 68 sqq., scilicet num. 25-34, p. 73-75. — Sequitur in cod. (p. 307-312) *Miraculum de novitio hispaniensi* qui importuna tentatione vexatus monasterio exivit, sed illuc brevi factus pænitens reversus diros per quatuor dies diabolicæ possessionis cruciatus sustinuit. Incipit : *Ad gloriam regis æterni respicere comprobatur quotiens gloriose aliquid ab eo factum a subjecto milite declaratur. Eapropter ego Herbertus abbas Supperadi, quæ sub præsentia nostra contigerunt ad ædificationem auditorum in multorum notitiam venire desideramus. Anno igitur ab incarnatione Domini M°C°LXXX°IIII° ex injuncto domni Clarevallensis in partibus Hispaniarum tenebar visitare quandam abbatiam ordinis Cisterciensis nomine Morerolia, in qua sub oculis nostris accidit quod seriatim attestamur.*

2° [De sancto Malachia] (p. 312-314).

Inc. *Retulit mihi Donatus Cassiliensis archiepiscopus moris fuisse beato Malachiæ archiepiscopo, excepto solito servitutis suæ penso, privatim cotidianum persolvere ex integro psalterium. Cui suffraganei vice in tam felici negotio solus Donatus adhuc juvenis assistebat. Quadam igitur die dum more solito januis ecclesiæ clausis huic operi ambo insisterent, ecce subito quidam foribus advolat* ... et inde narratur quomodo vir plebeius a sancto episcopo crucem sibi imponi petierit ut, quemadmodum in cælesti visione, quando a S. Patricio omnipotenti præsentatus est, injunctum fuerat, Hierosolymam tenderet, ibique reliquam vitam ageret.

3° Epitaphium S. Bernardi (p. 315).

Vide supra, tom. I, p. 286. — In cod. add. hi versus aliquot in divi Bernardi honorem:

Mellis apotheca, vas unguinis, aurea theca
Hac tabula tegitur, hoc vase brevi sepelitur.
Gemma beatorum fuit iste pater monachorum
Gloria sanctorum, subvectus in arce polorum
Regnat in æternum spirans karisma supernum
Ut rosa flos redolens redolendo spargere solens
Ex se dulcorem seu suavitatis odorem
Sic ex se sparsit quos in dulcedine carpsit
Voce manu vita tres Job Noe Danielem
Viva docta sancta terruit imbuit auxit
Vox verbo vitæ scripto manus ordine vita
Bernardus justus quasi mons et petra robustus
Hoc in sarcophago pausat virtutis imago
Tempore nempe suo fuit illi nemo secundus
In juris bivio quod non valet arpere * mundus
Dulcedo cujus auctorem carminis hujus
Est ubi vita sibi me sibi jungat ibi. Amen.

* *sup. lin.* id est rapere.

Eadem pagina descriptæ sunt Epistolæ duæ Alexandri III de canonizatione beati viri, altera data Anagniæ XVI kal. Febr. ad abbates Ordinis Cisterciensis et edita apud Fontaninum, *Codex Canonizationum*, p. 21, altera data Anagniæ XV kal. Feb. ad Ludovicum Francorum regem, edit. ibid., p. 20. — Post S. Bernardi epitaphium addita est narratio de imagine beatæ Mariæ virginis quæ colitur Saidaneidæ, qui locus ad tria millia Damasco distat. Cfr. Baronius, *Annales eccles.*, ad an. 870, num. LXIII.

CCXXIV. Codex apud D. Phillipps signatus n° 4649.

Foliorum 97, formæ minoris ($0^m,19 \times 0,128$), lineis plenis graphide ductis sec. XIII exaratus. Tituli rubricati sunt, itemque litteræ majores. Documenta hagiologica inscripta fuerunt membranis e quibus antiqua scriptura erasa fuit. Codex nullum suæ originis indicium retinet.

1° Passio sanctorum apostolorum beati Petri et Pauli, qui passi sunt urbis Romæ sub Nerone imperatore III° Kal. Julii (fol. 59^r-64^r).

Epistola Marcelli sæpius citata.

2° Dedicatio S. Michaelis archangeli (fol. 64^r-65^r).

Vide supra, p. 334, 47°.

3° Passio S. Andreæ apostoli (fol. 65^r-67^v).

Epistola ecclesiæ Achaiæ jam sæpe citata.

4° Actio seu prædicatio sancti Johannis apostoli vel qualiter de hoc mundo perrexit ad Dominum (fol. 67^v-72^r).

Epistola Melliti sæpe citata.

5° Passio S. Jacobi apostoli fratris S. Joannis evangelistæ. Quod est VIII Kal. Julias (fol. 72^r-74^r).

Edita apud Mombritium, tom. II.

6° Passio S. Jacobi apostoli. Quod est VIII Kal. Aprilis (fol. 74^v-75^r).

Ibid., tom. II.

7° Passio S. Bartholomei apostoli. Quod est VIII Kal. Septembris (fol. 75^r-78^r).

Vide supra, p. 411, 7°.

8° Passio S. Mathei apostoli et evangelistæ. Quod est V Kal. Octobris (fol. 78^r-82^r).

Edita apud Mombritium, tom. II.

9° Passio apostolorum Symonis et Judæ. Quod est V Kal. Novembris (fol. 82^r-86^r).

Item.

10° Assumptio S. Philippi apostoli. Quod est Kal. Madias (fol. 86^r-87^r).

Item.

11° Passio S. Thomæ apostoli (fol. 87v-94r).

Item.

12° Passio Stæ Margaritæ virginis (fol. 94r-97r).

Item. Fol. 97v descripta est *oratio* ad sanctam Margaretam quæ incipit:

Salve felix Margareta
Quæ virtute Dei freta
In agone Jesu Christi
Non es victa sed vicisti.

Salve virgo Margareta
Quæ corporis morte spreta
Veritatem es confessa
Mente semper indefessa.

CCXXV. Codex apud D. Phillipps signatus n° 4658.

Paginarum 378, formæ mediæ (0m,319×0,23), binis columnis, lineis graphide ductis seculo XIII nitide exaratus. Tituli rubricati, litteræ majores rubeo viridique colore depictæ; ad eas ornandas, quod vero parce ac eleganter actum est, rubeus viridisque color intermixti sunt. Ad calcem codicis descriptus est, sed alia ejusdem seculi XIII manu, prolixus sermo de sacrosancto sacramento altaris; initio autem index capitulorum libri de initio ordinis Cisterciensis, miraculum quod apud *Friburc in partibus Brisgaudiæ* operatus est S. Bernardus mortuum suscitando ad vitam, ac carmina nonnulla. Codex nullum suæ originis indicium servavit, sed ex majori quam cum præcedentibus similitudinem refert, dici debet sanctæ Mariæ Alnensis.

In nomine Domini nostri Jesu Christi incipit narratio de initio Cysterciensis ordinis, qualiter patres nostri de Molismensi cenobio propter puritatem ordinis secundum tenorem regulæ sancti Benedicti recuperandam egressi, fecundam Cysterciensem ecclesiam fundaverint, quæ est mater omnium nostrum, quoniam ex ipsa, tanquam de fonte purissimo, rivuli cunctarum ecclesiarum ordinis nostri derivati sunt; et de nonnulis reverendis atque in omni religione conspicuis personis quæ in Cystercio et in Claravalle claruerunt (p. 12-349).

Opus quod inscriptum est *Magnum Exordium sacri ordinis Cisterciensis,* de quo actum est supra tom. I, p. 233. Præpositum est in cod., ut non raro, carmen quod incipit:

Quisquis ad æternam cupiens pertingere vitam
Currere felicem monachi contendis agonem....

CCXXVI. Codex apud D. Phillipps signatus n° 4705.

Paginarum 328, formæ minoris (0m,241×0,162); constat diversis codicibus quorum unus est seculi XII, alii seculi XIV. Ad rem nostram quod spectat, unum contentum est documentum lineis plenis graphide ductis hoc sec. XIV nitide exaratum, scilicet :

Vita S. Patricii (p. 314-338).

Edita apud Colgan *Trias Thaumaturga*, p. 11 sqq. In cod. multæ lectiones variantes ac nonnulla subinde minoris momenti additamenta. Inc. *Patricius sanctus ad multorum salutem fidelium natus est in oppido Nempthor nomine, quod turris cælestis interpretari potest.*

CCXXVII. Codex apud D. Phillipps signatus n° 4728.

Paginarum 202, formæ mediæ (0m,29×0,205), tum lineis plenis, tum binis columnis, immo et per paginas aliquot quaternis, ubique tamen lineis graphide ductis, a diversis seculo XIII exaratus. Tituli rubricati sunt. Ad litteras majores, quæ subinde modico ornatu gaudent, depingendas adhibitus est ut plurimum cum viridi rubeus color. Pagina 1 descriptus est contentorum index, pagina 120 sqq. : *Liber sanctæ Mariæ de Alna*, et iterum pag. 202

Hic liber Alnæ conventus virginis almæ.

Ubi et hæc nota : *Anno Domini 1580 sexta die Aprilis circa sextam a prandio fuit terræ motus magnus.*

1° Vita Symeonis sancti heremitæ (p. 89-102).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Junii, tom. I, p. 89 sqq., num. 2-34.

2° Vita S. Servatii Tungrensis episcopi et confessoris (p. 121-162).

Vita illa fabulosa quæ incipit: *Ad illuminandum humanum genus multas in hoc mundo spirituales lucernas Dominus noster dignatus est illuminare.*

3° Vita et passio sancti Mengoldi martyris, cujus * festivitas est VII idus Februarii (p. 163-175).

* *Cujus et voc. sqq. add. in marg. manu recenti.*

Edita in *Act. SS.*, ad. d. 8 Febr , tom. II, p. 191 sqq. — Inter cetera documenta quæ subsequuntur notari possunt 1° (p. 190-191) initium Libri III *Historiæ Orientalis* auctore Jacobo de Vitriaco: vide Martene *Thesaurus Novus*, tom. III, p. 269; 2° (p. 191-197) epistola ejusdem Jacobi quæ incipit: *Postquam divinæ propitiationis*

munificentia servorum suorum diuturnos et multiplices miserata labores Damiete civitatem LX milibus pugnatorum infra civitatem absque gladio et pugna interemptis in manus christianorum tradidit; 3° (p. 197-199) *Miraculum de quadam Yconia Dominæ nostræ quæ a mamillis et deorsum carne induta liquorem ex se emittit quo peruncti infirmi sanantur:* vide supra p. 503; 4° (p. 199) *Miraculum de quadam ymagine lapidea Dominæ nostræ stupendum et mirabile;* ac subsequenter narratur quomodo apud Castrum Radulphi sævas pænas dederit impius miles, qui aleator infelix lapide sanctæ Mariæ imaginem impegerit; 5° (p. 199-202) *epistola ab imperatore Constantinopolitano Balduini Hainoensis comitis filio omnibus amicis suis fideliter missa,* quæ incipit: *Quoniam dilectio vestra de statu nostro certificari desiderat et de prosperitate nostra sicut confidimus habitura est læticiam, idcirco quædam etsi non singula quæ circa nos fecit Dominus præsenti chartula nunciamus.* Et desinit *datum Pergamis in octavis Epyphaniæ anno dominicæ incarnationis M° CC° XI.*

CCXXVIII. Codex apud D. Phillipps signatus n° 4763.

Foliorum 71, formæ minoris ($0^{m},217 \times 133$), lineis plenis, una manu sec. XIII nitidissime exaratus. Litteræ majores rubeo colore depictæ, admixto tamen viridi cæruleove, eleganter exornatæ sunt, adjectis linearum sinuosis recursibus, qui ipsa littera enascuntur. Præ ceteris resplendet prima littera, cujus interiora opus mussivum auro distinctum complet. Fuit olim sancti Ghisleni, ubi signatus erat $\frac{w\ w}{w\ w}$.

Miracula S. Jacobi apostoli (fol. 2^{v}-71^{v}).

Codex maximam affinitatem habet cum codice Hagensi X 68 *(Anal. Boll.,* tom. VI, p. 202); hac enim sub rubrica eodem ordine descripta sunt documenta ibi notata 1°-9°.

CCXXIX. Codex apud D. Phillipps signatus n° 4766.

Foliorum 56, formæ minoris ($0^{m},245 \times 0,16$), lineis plenis graphide ductis, una manu seculo XIII ineunte nitidissime exaratus. Tituli rubricati sunt, itemque litteræ majores. Tres quatuorve non ineleganter exornatæ sunt. Fol. 1^{r} scripta sunt sequentia: *Liber sanctæ Mariæ de Camberone,* ac passim in ima foliorum margine: *de Camberone.*

1° Vita S. Fulgentii episcopi (fol. 1^r-21^r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Jan., tom. I, p. 32 sqq.

2° Vita S. Pachomii abbatis (fol. 21^r-56^r).

Edita apud Rosweydum, *Vitæ Patrum*, p. 111 sqq.; in cod. sequuntur capitula regulæ S. Basilii, sed mutila quia avulsi sunt plures quaterniones.

CCXXX. Codex apud D. Phillipps signatus n° 4768.

Foliorum 218, formæ mediæ (0^m,30 × 0,21), binis columnis, lineis graphide ductis, una manu (1) sec. XIII exaratus. Tituli fere omnes rubricati sunt, aliquot tamen in fine codicis viridi colore descripti sunt. Peritus quidam artifex obducto prius fulvo rubeove colore litteras majores non paucas venuste exornavit, tum delineando in interiori parte litterarum varia foliorum genera, tum ipsas litteras effingendo phantasticis animalium formis, adhibuitque plures colores, puta rubeum, fulvum et viridem. Fol. 218^v descriptus est index contentorum; fol. 3^r sequentia : *Liber beatæ Mariæ de Camberone,* ac passim *de Camberone.*

1° Passio S. Eustachii sociorumque ejus (fol. 3^r-8^v).

Vide supra, p. 475, 3°.

2° Vita S. Egidii abbatis (fol. 8^v-11^r).

Item, p. 415, 20°.

3° Amphilochii episcopi Ychonii in vita et miraculis sancti patris nostri Basilii archiepiscopi Cappadociæ (fol. 11^r-23^v).

Vide supra, p. 28°, 345.

4° Vita sancti Ambrosii Mediolanensis episcopi a Paulino notario scripta (fol. 23^v-33^r).

Item, p. 437, 4°.

5° Vita S. Hugonis [Rothomagensis] archiepiscopi (fol. 33^r-39^v).

Vita auctore Baldrico Dolensi archiepiscopo edita apud Migne, P. L., tom. CLXVI p. 1163 sqq.

6° Vita S. Germani (fol. 39^v-52^v).

Liber I Vitæ editæ in *Act. SS.*, ad d. 31 Julii, tom. VII, p. 202-215.

(1) Initio cod. apposita sunt folia duo avulsa a codice quodam liturgico sec. XI.

7° Vita S. Vedasti episcopi (fol. 52ᵛ-58ʳ).

Vita auctore Alcuino edita ibid., ad d. 6 Feb., tom. I, p. 794 sqq.; omm. num. 1-4.

8° Item de translatione S. Vedasti (fol. 58ʳ-61ᵛ).

Ibid., p. 805-808, num. 1 om.

9° Vita S. Gaugerici episcopi (fol. 61ᵛ-64ᵛ).

Ibid., ad d. 11 Aug., tom. II, p. 672 sqq.

10° Vita S. Macharii [Romani] (fol. 64ᵛ-70ᵛ).

Vita auctoribus Theophilo, Sergio et Gunno edita in *Act. SS.*, ad d. 23 Oct., tom. X, p. 566 sqq.; sequitur in cod. duplicis prodigii narratio: Alterum (fol. 70ᵛ-73ʳ) est de canonico Ordinis Præmonstratensis, qui gulæ deditus furandique consuetudine obnoxius miranda nimis Dei benignitate a corporis et animæ interitu servatus fuit. Inc.: *Circa confinium Burgundiæ et Lotharingiæ exstat monasterium, quod dicitur Flabonis mons, beati Augustini regulam tenens, instituta Præmonstratensium usu habituque consectans.* Alterum (fol. 73ᵛ-76ʳ) est de quodam clerico doctrina conspicuo sed moribus inhonesto qui pænas inferni aliquantisper perpessus, sed Dei misericordia ad vitam revocatus, monasticas ordinis Cisterciensis observantias districtissime servavit. Incipit: *Erat in Datia clericus quidam nominatus Magister, in conflictu scolarum præpotens sed discipulus erroris, sed servus peccati.*

11° Vita S. Medardi episcopi et confessoris (fol. 76ᵛ-84ʳ).

Edita apud Dubois, *Floriacensis vetus bibliotheca*, appendix, p. 113 sqq.

12° Vita S. Gudwali episcopi (fol. 84ʳ-100ᵛ).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 6 Junii, tom. I, p. 729 sqq.; in cod. omm. numm. 1, 2, num. 52-57, num. 60-74.

13° Passio Stæ Katerinæ virginis et martyris (fol. 100ᵛ-115ᵛ).

Edita in *Act. SS. Hiberniæ*, p. 681 sqq.

14° Vita Stæ Waldetrudis (fol. 115ᵛ-122ʳ).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 9 Aprilis, tom. I, p. 837 sqq.

15° Miracula S. Veroni (fol. 122ᵛ-129ʳ).

Narratio auctore Olberto abbate Gemblacensi edita in *Act. SS.*, ad d. 30 Martii, tom. III, p. 845 sqq.

16° Vita Stæ Gertrudis (fol. 129ʳ-156ᵛ).

Vita de qua actum est supra, tom. I, p. 595, 1°.

17° Vita Stæ Aldegundis virginis (fol. 156ᵛ-164ʳ).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 30 Jan., tom. II, p. 1035 sqq.; num. 1 om.

18° Vita S. Augustini episcopi et confessoris (fol. 165ʳ-182ᵛ).

Vita auctore Philippo abbate Bonæ Spei edita apud Migne, P. L., tom. CCIII, p. 1205 sqq.; om. prol.

19° Vita S. Eligii episcopi et confessoris (fol. 182^{v}-210^{r}).

Vita auctore S. Audoeno edita ibid., tom. LXXXVII, p. 481 sqq.

20° Passio septem dormientium (fol. 211^{r}-213^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 27 Julii, tom. VI, p. 380 sqq.

21° Passio S. Cornelii papæ et martyris (fol. 213^{v}-215^{r}).

Edita apud Mombritium, tom. I.

22° Passio S. Cypriani episcopi et martyris (fol. 215^{r}-216^{v}).

Edita apud Pamelium in sua de operibus sancti episcopi editione, cfr. *Act. SS.*, tom. IV Sept., p. 193, num. 13.

Inc. *Temporibus Valeriani iniquissimi imperatoris fuit in Cartagine, quæ est in Affrica gloriosissimus vir Cyprianus nomine qui primo rethoricam docuit.*

23° Passio S. Gordiani martyris (fol. 216^{v}-218^{r}).

Vide supra, p. 479, 6°.

CCXXXI. Codex apud D. Phillipps signatus n° 8391.

Foliorum 106, quibus ex alio codice folia tredecim annexa sunt, formæ mediæ (0^{m},28 × 0,195), lineis plenis stylo ferreo ductis seculo XI exaratus. Sæpe tituli litteræque majores minio descripta sunt. Viridis color semel adhibitus fuit; aliquoties voces, ne penitus evanescerent, rescriptæ fuerunt. Fuit olim sancti Ghisleni, ubi signatus erat : sss.

1° [Passio S. Christophori] (fol. 1^{r}-17^{v}).

Passio metrica quæ incipit :

Erat quidam christianus — nomine Christophorus
Vir sanctus et valde clarus — in illis temporibus
Et doctrina admirandus — et potens virtutibus.
Hic de Cinocephalorum — oriundus genere
Gente vultu et loquela — plurimum dissimilis,
Vultu pristino retento — loquelam mutaverat.

2° Passio S. Lantberti episcopi et martyris (fol. 17^{v}-25^{r}).

Vita auctore Godeschalco edita in *Act. SS.*, ad d. 17 Sept., tom. V, p. 574 sqq.

3° Vita S. Alexis confessoris (fol. 25^{r}-28^{r}).

Edita supra, tom. I, p. 223 sqq. — Fol. 27^{v} descripta est epistola fratrum sancti Ghisleni de morte abbatis sui Oduini; vide Wauters, *Table chronologique des chartes et diplômes*, tom. II, p. 239; fol. 29^{r} versus quatuordecim, qui est censendus planctus elegiacus de eodem abbate.

4° Vita S. Gaugerici episcopi (fol. 29^{v}-34^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 11 Aug., tom. II, p. 672 sqq. — In cod. præponitur prol. metricus qui in *Act. SS.* desideratur. Vid. Append.

5° Sermo de elevatione corporis ejusdem sancti (fol. 35^{v}-38^{v}).

Vide Append.

6° Sermo de octavis S. Gaugerici episcopi et confessoris (fol. 38^{v}-41^{r}).

Inc. *Quia octavas beatissimi patris nostri Gaugerici hodie celebramus, oportet ut et sacratissimam diem debitis obsequiis veneremur.*

7° Passio S^{tæ} Christinæ virginis et martyris, quæ celebratur VIIII Kal. Augusti (fol. 41^{v}-49^{r}).

Edita apud Mombritium, tom. I.

8° Vita beati Aychadri abbatis (fol. 49^{r}-65^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Sept., tom. V, p. 85 sqq.; in cod. omm. prol., ultima pars num. 70 *(et suas cunctas...)*, num. 71.

9° Passio sanctorum Claudii, Nicostrati, Simphoriani, Castorii et Simplicii, quæ est VI idus Novembris (fol. 65^{r}-65^{v}).

Ex Adone ad d. 8 Nov.

10° Descriptio vitæ sacræ Benedictæ virginis et martyris, cujus passio celebratur VIII idus Octobris (fol. 65^{v}-70^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 8 Oct., tom. IV, p. 219 sqq.

11° Actus simul et passio Gengulfi egregii martyris (fol. 71^{v}-74^{v}).

Edit. ibid., ad d. 11 Maii, tom. II, p. 644 sqq.; in cod. num. 11 et sqq. omm.

12° Vita S. Jeronymi presbyteri (fol. 75^{r}-79^{r}).

Edita apud Migne, P. L., tom. XXII, p. 201 sqq.

13° Vita sancti ac beatissimi Augustini episcopi et confessoris edita a beato Possidio Calamensi episcopo (fol. 79^{r}-93^{v}).

Vide supra, p. 437, 6°. Sequitur catalogus operum S. Augustini.

14° [De translatione S. Benedicti] (fol. 94^{v}-99^{r}).

Fragmentum operis Adrevaldi edit. apud Dubois, *Bibliotheca Floriacensis*, scilicet paucis omissis cap. XIIII-XVIII (p. 31-40), cap. XX-XXII, capp. XXXVII, XXXVIII.

15° Vita S^{tæ} Luciæ virginis (fol. 99^{r}-101^{r}).

Vide supra, p. 18, 41°.

16° Revelatio capitis S. Johannis Baptistæ (fol. 101^{r}-106^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 24 Junii, tom. IV, p. 716-718 ac p. 724-728; prol. edit. pp. 721, 722, num. 133-135. — In cod. num. 728 non est ex integro descriptus.

17° Vita S. Autberti confessoris atque pontificis (fol. 107^{r}-120^{r}).

Vide supra, p. 17, 40°.

Appendix ad cod. D. Phill. 8391.

DE S. GAUGERICO EPISCOPO. (Cfr. pag. præc., 4°.)

Incipit prologus metricus.

Ut patrio de corde satus, rerum sator et rex,
A qui et Ω cognomen habet, præconia vatum
Dignatus complere, patris pia jussa peregit.
Cum carne assumpta patriam rediturus ad arcem
Sartores curanda quibus mandetur obortæ
Ecclesiæ cultura legit: quam, frigore legis
Deterso veteris, tepefactam sidere solis
Fœcundent, fervente rudis. His ergo colonis
Terra prius saxosa parit, quæve aruit ante
Sub boreæ concreta gelu spiramine læto
Jam zephiri liquefacta novo flore herbidat, atque
Quæ ante fuit sterilis, modo germine fœta salutis
Est fructus enixa novos; fructuque fidelis
Catholico pinguescit ager: sacroque labori
Respondet matura seges. Cultoribus autem his
Successere patres, quorum veneranda tenemus
Nomina, sed vitas in multa volumina scriptas.
De quorum numero retinens collegia consors
Gaugericus renitet, quo non præstantior alter
Confessor cultorque Dei: quo major in omni
Nemo patrum bonitate fuit, qui culmine quanto
Virtutum excrevit, qualisve aut quantus in arce
Vixit episcopii, facundia nulla valebit
Eloquiis ambire suis, aut claudere verbis.
Hic Cameracensis custos ac pastor ovilis
Extitit. O felix clerus! populus quoque felix!

Qui talem ac tantum meruistis habere patronum.
Hoc etenim pastore cibi sit spiritualis
Nullus habere famem, deponereque ante rapaces
Insidias didicere lupi. Custode quoque illo
De grege nemo perit. Certe propensior illi
Affectus pietatis erat mirabilis, inter
Cetera virtutum miracula, solvere captos :
Nam quia pastor erat, morumque operumque libratu
Officium pastoris agens, si usquam raperentur,
Delaqueabat oves, illo præsente, ligatis
Carceris, elusis tortoribus, antra patebant.
Illo etiam præsente, fugæ spes certa erat, atque
Libertas comitata reis, ereptio captis.
Hæc etiam sed plura gerens celebratur atque
Clarior emicuit, velut indicat ista legenti
Quæ sequitur textura libri, qui gesta revolvit,
Prosaico perarata stylo; sed plurima paucis
Stringit, et angustis comprendit grandia dictis.

DE ELEVATIONE EJUSDEM. (Cfr. supra, pag. 511, 5°.)

Item sermo (1) de elevatione corporis ejusdem sancti [1].

1. Hodiernam festivitatem quam colimus, fratres carissimi, elevatione corporis beati Gaugerici provida sui [1] conditoris dispositio consecravit. In hac siquidem die ipsius pretiosissimum corporis [2] pignus, suis meritis sanctis exigentibus, sub quodam mysterio futuræ resurrectionis de loco, ubi sepultum fuerat, elevatur sanctorumque numero sub gloriosa celebritate perenniter aggregatur. Quia ergo hujus diei gaudia rotato tempore veneramur, dignum valde est ut obsequiis dominicis ac laudibus confessoris Christi tanto strictius mancipemur, quanto gratius piæ sollempnitatis susceptione lætamur. Bene etenim celebratur sollempnitas, cui nimirum in divinis cultibus fidelium congruit pia officiositas.

2. Hoc autem et sollempnitati bene congruum et benevolis auditoribus foret pulcherrimum, si de ipsa elevatione vestræ caritati aliquid panderet sermunculus, si videlicet eventum rei, aut modum ipsius temporis, vel quæ causæ occurrerint [1], vel etiam quæ personæ interfuerint loqueretur. Sed cum ex his, pro dolor, nihil

[1] Elevatio sancti Gaugerici episcopi et confessoris 2.
NUM. 1. — [1] pii 2. — [2] *om.* 2.
NUM. 2. — [1] occurrentes 2.

(1) Hunc sermonem de quo jam actum est supra, p. 267, 3°, contulimus cum codice Bruxellensi n° 9070-77, quem signamus 2.

certum nobis ab [2] antiquitate relinquitur, non parum tamen juvat aliqua de his quæ de vita ipsius certa cognovimus succincte ad memoriam revocare [3] ut per hæc saltem et [4] expectantium valeamus corda lætare et diei festo videamur quoquo [5] modo convenire.

3. Quod autem rei gestæ sublimitas de ipsa elevatione nostram notitiam lateat, hoc nimirum avaritiæ veterum scriptorum imputare non ausim [1]. Nullum etenim tam avarum, nullum tantæ parcitatis crediderim extitisse, qui tantam et tantæ salubritatis memoriam rapientibus auris auderet committere, qui tantæ dignitatis gloriam sineret obsolere. Verum si quis infestationes gentium recenseat, quæ [2] peccatis exigentibus Galliarum ecclesias evertisse leguntur, hic profecto dubitare non poterit, quin hæc scripta sub iisdem stragibus disperissent, quemadmodum etiam multas vitas sanctorum historiasque alias novimus disperisse. Habent vero annales, et hoc plenius liber pontificum [3] narrat, quod bis sub ipsis nationum persecutionibus monasterium beati Gaugerici totum comburitur, primum quidem a Nortmannis tempore quidem Rothardi (1) episcopi, secundo autem ab Hungaris diebus quoque Fulberti (2) pontificis. In quibus sane combustionibus nec dubium cum reliquo thesauro etiam volumina concremari. Nemo igitur silentia vetustatis avara queratur, quam tantæ excusationis defensio non improperanda tuetur. Illud etiam asserunt antiquissimi : quod liber quoque, qui de vita ejusdem patris nostri plurimus scribebatur in ipsa confraglatione [4] monasterii totus omnino comburitur [5], sed hic tantulus quem nunc habemus, incertum apud quem [6] presbyterum, qui uni ecclesiolæ præerat multo post tempore repperitur, unde videlicet sanctissimi confessoris redeunte annuo festo se in divinis cultibus exerceret. Et est profecto verisimilis assertio, nec credo refellenda ullo modo : præsertim cum et ipsis monasterii excidiis fatentibus enitatur et probatissimorum virorum testimonio roboretur.

4. Hæc autem licet ex maxima parte non tota, altiora tamen sunt et delectabiliter amplexanda : inter quæ nimirum ipse vir Domini adhuc diaconus dum de more locum orationis adiret, obvium sibi gemina sorte leprosum curasse notatur, sane quem in superficie cutis prurigo lepræ miserabiliter fœdabat extrinsecus horrorque superstitiosæ gentilitatis squalefactabat intrinsecus. Cui quia ex occulta languentis animi peste traduce illud vitium corpori intellexit foris irripere [1]; prius evangelicæ dulcedinis fomenta quæ ad interiora descenderent æstimat adhibere.

— [2] *om.* 2. — [3] (succincte-revocare) *om.* 2. — [4] *om.* 2. — [5] quo 2.

Num. 3. — [1] auserim 2. — [2] qui 2. — [3] nostrorum *add.* 2 *sed deletum.* — [4] conflagratione 2. — [5] perierit 2. — [6] quemdam 2 *sed a corr.*

Num. 4. — [1] irrepere 2.

(1) Rexit ecclesiam Cameracensem an. 879-886. — (2) An. 934-956.

Satis quippe conveniens atque tutum curationis subsidium adversus hujusce [2] ægritudinis morbum. Interiore enim curato, exteriorem restat [3] procul dubio sospitandum. Cum ergo infirmus potionem evangelii pio medico propinante medullitus ebibisset, mox cooperante Spiritu sancto viperinum virus longe rejiciens medelæ salubris virtutem cognovit, opemque sibi baptismatis imploravit. Festinante itaque beato Gaugerico ad fontem miser deducitur moxque sacra unda respersus ita mundus totus apparuit ac si nunquam antea lepræ contagio tangeretur. O felicem diaconum et omni laudum genere cumulandum, cui piæ prædicationis officium tanto mirabilem peperit fructum, cui solida fides illud Christi adquisivit evangelicum : " Qui in me „ , inquit, " crediderit non solum opera quæ facio faciet, sed majora horum faciet. „ Et majora etenim fecit, cum in eodem homine et gentilitatis convertit errorem et lepræ mundavit asperginem. Sic itaque sospitatum Deo vero sacerdoti medicus incomparabilis juxta præceptum dominicum offerre putavit, tonsaque coma capitis erudiendum in monasterio clericavit.

5. Beatum vero Gaugericum quia signis pollebat, virtutibus coruscabat, omnes urbis Cameracensium cives uno animo eadem voluntate acclamarunt sibi episcopum, unaque orantes ad Dominum nec difficile votorum compotes meruerunt. Divina itaque disponente gratia subrogatus, qualem se quantumque in episcopatus administratione præstiterit non nostræ est evolvere facultatis [1]. Nam major excellit quam ullo verborum ambitu possit includi. Ceterum nec propter assumpti oneris gravitatem sacri propositi constantiam quam a puero ceperat, intermisit; sed plenus auctoritatis et gratiæ æquo liberatu [2] morum et actuum episcopii dignitatem infatigabiliter adimplevit [3] : studens semper prædicationi operam dare, verbis pluere, miraculis coruscare. Ut autem de reliquis taceam : hoc unum quod ad omnes ejus sufficit laudes, quantæ sit gratiæ quis poterit æstimare, quod ipso præsente nunquam carcer aut vincula captos poterant retinere. Sacra namque ordinatione percepta, cum jam pius pastor gregem sibi commissum visitaturus urbem intrasset, ante domum comitis transitum faciens, derepente [4] quidem XII^cim noxios audierat in carcere mancipari, quorum absolutionem cum ab ipso principe obtinere non posset, statim pie commotus divinum auxilium imploravit, ut si vere videlicet ligandi atque solvendi auctoritatem susciperet, divina clementia in præsenti miserorum ereptione ostendere dignaretur. Necdum preces finierat, cum claustra carceris ingenti stridore concussa seris ac vectibus resolutis, quos tenebant miseros relaxarunt, suumque redemptorem sequentes cum ipso ecclesiam cunctis spectantibus intraverunt. Aptum siquidem muneris sumpti principium, quo visibiliter monstrabat sortitum solvendi officium. Nec tamen aliquem moveat, quod pastor egregius primum in solvendis corporibus officii sui gratiam demonstrasset, cum dicat apostolus non prius quod spirituale, sed quod est animale, deinde quod spirituale. Hujus autem muneris gratiam pastor sanctissimus frequenter agebat, semperque ingenitæ pietatis affectu in ereptione captorum compatiens suspi-

— [2] hujuscendi 2. — [3] *om.* 2; *add. in marg. a corr.* 1.

Num. 5. — [1] (præstiterit-facult.) pretis 2. — [2] libratu 2. — [3] implevit 2. — [4] dum r. 2 *sed post corr.*

rabat pie secum illud dominicum per prophetam : " Væ vobis, „ inquit, " pastores qui non pascebatis gregem ; quod ægrotum erat non sanastis, quod abjectum non reduxistis, quod perierat non quæsistis. „ In ipsa vero civitate cui præerat, iterum viros tres sub judice Walachario vinculatos oratione dissolvit. Item et in villam Calam[5] in occursum Lotharii regis profectus, duos pueros a Landrico viro potentissimo ad mortem conjectos solito precibus fusis ad Dominum libertati restituit. In fano Martensi etiam, suæ dioceseos territorio, cum forte pueros venales duci conspiceret, cupidique negotiatoris animum ut pueros relaxaret frangere nequivisset, indignatus cælestis fabricæ formas vilis mercaturæ addici compendiis, solitæ orationis malleo vincula fregit, sicque deluso mancipe captivos filiis ecclesiæ sociavit. Quod quia in libro vitæ ipsius digesto legentibus late et sufficienter occurrit, succingere melius æstimavi.

6. Nec illud vero prætereundum est, quod cæcum ab annis xxx[ta] solari luce privatum signo videlicet sanctæ crucis orbibus impresso videndi facultate donasset. Præterea etiam aliud majus occurrit, quod facilius admirari possumus quam referre. Ad cumulum namque miraculorum, quæ per eum divina operatio propalasset, in retentione[1] baculi angelicum obsequium se meruisse lætatur. Quid ad hæc fratres, quid ad hæc vobis videtur? Quis sacerdotem hujusmodi non tota admiratione suscipiat, vel qua [2] devotione ejus merita valeat compensare, quem tanta de Deo obtinuisse miratur? Ex eorum sane consideratione quanti æstimare possumus, quæ nullo teste solus exercuit, quæ ut vitaret vanitatis jactantiam occultavit. Porro manifestissime liquet, quam bene pecuniam Domini sui negotiator sollicitus tractaverit, quot usuras videlicet talentorum quæ a summo patrefamilias acceperat reportarit. Huic profecto ad remunerationem sui laboris perducto dominica voce dicitur : " Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. „

7. Quia vero longum est ire per singula, sufficiant hæc vel de plurimis pauciora. Sed ne fortasse fastidio sit verbosior sermunculus, pluribus intermissis posteriora pulsemus. Præsul namque Domini Gaugericus, gaudenter videlicet memorandus, annis circiter xxxviiii prædictam Cameracensium ecclesiam rexit plenusque dierum, populo quidem jam ad fidem catholicam mancipato, in pace quievit, quippe aromate conditus et in basilica, quam in vertice montis non procul ab urbe ipse construxit, summa cum veneratione sepultus.

8. Post cujus dormitionem multa miracula eodem in loco visa sunt, quæ ex maxima parte incertum an raritate scriptorum neglecta, an scripta [1] prædictis monasterii casibus nostram scientiam evasere sublata. De [2] elevatione etiam sacra quam hodie debito veneramur, nulla quoque certitudinis, ut supra diximus, vestigia posteris reservantur, præter quod vulgus terminatæ festivitatis gaudia, nun-

— [5] Calcam 2.

Num. 6. — [1] sacri *add.* 2. — [2] *ita* 2; quia 1.

Num. 8. — [1] quod magis credibile est *add.* 2. — [2] *omm. omnia quæ seqq.* 2 *et horum loco add. :* Pauca tamen quæ moderno tempore contigerant in libro pontificum subnotata, si cui suppetit otium, poterit invenire.

dinis sollempniter celebratis, per singulos annos usu quidem tantum reservato colere consuevit, quippe non modo contiguis verum longe positis regionibus ad tantæ gloriæ pompam catervatim confluentibus et ad sepulcrum beati pontificis pia dona ferentibus.

9. Nos igitur cum vulgaribus turmisque vota feramus etiam hodie, fratres, pro se quisque pensemus et ut tantæ efficaciæ precatorem apud districtum judicem habere possimus, piis muneribus ejus benivolentiam emercemur. Ne quis autem aut parum aut nihil se habere quod offerat dicat, audiat Moysen ad filios Israhel concionantem : “ Sumite, inquit, a vobis ipsis redemptionem Domino. „ Aperte nimirum insinuans non tanto quæ extra, quanto ea quæ intra nos sunt, ut vos melius nostis, a Domino comprobari. Jam vero unusquisque suam discutiat conscientiam : et si forte in animo lepræ deprehenderit fœditatem, currens ad medicum flagitet sospitatem. Si autem aliqua senserit se cæcitate teneri, cum ipso etiam cæco, quem paulo superius diximus, imploret tanti viri auxilium, ut meritis ejus interiorum opem recipiat oculorum. Si quis vero incaute incidens dolos antiqui aucupis vinculis peccatorum se cognoverit irretiri, clamet ad pastorem, ingeminet preces, nec longum fides vera est dissolvetur. Notandum vero quod sicut in hoc seculo beatus pontifex versans, super miserorum desolationes misericorditer movebatur, ita etiam adhuc pie petentibus orationis præstat effectum. Cujuscumque etenim infortunii casum deflens totis visceribus ad invocationem sui nominis illacrimat, nec dubium optatæ consolationis meretur auxilium, de mœrore consequitur gaudium. Nec fallit ergo vulgaris opinio, nec a veritate desciscit, quæ mutata littera G a u g e r i c u m ducere consuevit, quippe qui pulso mœrore dolentibus gaudere consuevit.

10. Oremus ergo, dilectissimi, tantæ virtutis episcopum, invocemus simul uno clamore patronum, ne oves deserat, sed semper ab inimica infestatione defendat; ad thronum patris pro nobis deferat preces, oratorque efficacissimus impetret veniam peccatorum. Spes etenim nobis superest certa, quod nostris meritis non possumus, ipso interveniente mereri. Postremo etiam hoc imploremus, ut quemadmodum sua festivitate gaudemus in terris, sic et nos meritis suis et pia interventione post resolutionem corporum, gaudiis secum patriæ faciat interesse cælestis. Quod præstare dignetur pastor pastorum Dominus noster Jesus Christus, cui est cum Patre et Spiritu sancto honor, laus et gloria in secula seculorum. Amen.

CCXXXII. Codex apud D. Phillipps signatus n° 9307.

Foliorum 179 cum adjectitiis duobus initio codicis, formæ mediæ (0^{m},332×0,215), maxima parte (1) binis columnis, lineis graphide ductis una manu sec. XIII ineunte nitide exaratus, insuper fere singulis foliis (2) inscripti sunt numeri. Tituli

(1) A folio 172^{v} lineæ sunt plenæ. — (2) Nullo numero signata sunt cum

minio descripti sunt, litteræ majores minio viridive colore depictæ, parce sed venuste exornatæ sunt. At ornatu suo insigniores sunt litteræ quibus et prima epistola et ipsa beati Malachiæ vita incipit. Hanc vero non propter phanstasticam animalis speciem, qua parte constat, sed propter pontificis formam quæ exhibetur, animadvertere haud inutile erit.

Fol. I[r] in capite cod. scripta sunt seqq. : *Liber ecclesiæ Sancti Martini de civitate Tornaco in quo continentur reverentissimi famuli Dei Bernardi Clarevallensis abbatis epistolæ de diversis ad diversos diversæ, numero centum quinquaginta tres. Continentur etiam in hoc volumine ejusdem venerabilis patris Bernardi ad Eugenium papam libri quinque. Quorum quatuor de consideratione sui et totius creaturæ multis admixtis de actione disputant; quintus qui et ultimus de excellentia contemplationis divinæ feliciter disserit. Continetur quoque in hoc codice vita sancti Malachiæ Hibernensis ecclesiæ metropolitani plena signis et virtutibus, scripta a supradicto domno et venerando Bernardo primo abbate sanctæ Clarevallensis ecclesiæ, multorum monasteriorum præclaro fundatore atque sapientissimo ordinatore.*

In foliis adjectitiis descripta sunt seqq. : α) fragmentum epistolæ Luciani de inventione corporis S. Stephani, β) *de reliquiis quæ Romæ sunt,* γ) *narratio de inventione prætiosi ligni crucis Christi,* δ) *de pœnitentia Salomonis,* ε) *de quadam pestilentia* in civitate Viennensi, ϛ) *de episcopis Romanis presbytorum vel episcoporum filiis,* ζ) *de diebus ægypciacis.*

Vita S. Malachiæ archiepiscopi Hiberniæ (fol. 147[v]-172[r]).

Vide supra, p. 204, 10°. — In cod. (fol. 172[v]-177[r]) sequuntur sermones duo quos in laudem sanctissimi episcopi ipse sanctus abbas habuit ac epistola ad Hibernenses de ejusdem S. Malachiæ obitu.

CCXXXIII. Codex apud D. Phillipps signatus n° 12459.

Foliorum 65, formæ mediæ ($0^{m},315 \times 0,24$), lineis plenis, stylo ferreo ductis, maxima cura, una manu sec. XI exaratus. Tituli rubricati sunt, itemque litteræ majores, quæ venuste a perito artifice exornatæ sunt. Hic tamen opus sibi commissum non perfecit, nam a medio codice in capitulorum initio spatiolum vacuum remansit.

Fol. 1[r] manus hujusce seculi XIX, graphide scripsit : *Ex bibl. Stavelot.*

1° [Vita S. Remacli] (fol. 1[r]-24[r]).

Vita auctore Notgero Leodiensi edita stylo mutato apud Surium ad d. 3 Sept. In cod. ob folia avulsa deest epistola dedicatoria cum majori parte prologi.

foliis adjectitiis in capite codicis folia duo, et ad calcem inde a fol. 155, subsequentia folia.

2° De miraculis [beati Remacli] (fol. 24r-64r).

Edit. in *Act. SS.*, ad d. 3 Sept., tom. I, p. 696 sqq.; in cod. ob folia jam a longo tempore avulsa omm. pars num. 13 a voce *redonavit* et reliqui numm. ejusdem lib. I; deinde initium lib. II usque ad has numeri 16 voces: *desiderium animi*, insuper finis num. 56 a *ne species* usque ad fin. numeri 61 *obsequium qui*, tandem numm. 66, 67.

Fol. 64v scripta sunt sqq.

Anno Domini millesimo quingentesimo nono mense martii die quarta quæ in dominica occurrit, illustris vir reverendus in Christo pater et dominus dompnus Guilhelmus ex comitibus de Manderscheit abbas Stabulensis et Malmundariensis cœnobiorum piæ intentionis et considerationis affectu votivam in hoc Stabulensi monasterio statuit decantari missam, qualis videlicet in tribulationibus et necessitatibus dici consuevit, quam et ipse in persona eo die devotissime celebravit. Hanc quippe missam præcessit processio veneranda, sub qua deportabantur corpora sanctorum, quorum scrinia sive feretra hic non incongrue veniunt annotanda. In primis exierunt ex hoc monasterio feretrum beati Remacli feretrumque beati Baboleni cum nonnullis aliis jocalibus et reliquiis pretiosissimis. Item ex monasterio Malmundariensi jussu præfati domni abbatis allata fuerunt in hoc Stabulense monasterium tanquam caput, a quo cetera monasteria dependent, feretrum glorissimi martyris sancti Quirini, feretra quoque sanctorum Petri, Justi et loculus Philippi. Ex Ladernaco vero scrinium sancti Simetonis (1) martyris, de quibus talis in progressu servabatur ordo. Nam post cruciferarios cum vexillis, post cereferarios cum torticiis sive cereis, qui primam quidem hujuscemodi processionis aciem tenuerunt, succedebant et alia luminaria numero quadringenta et amplius quæ per turmas divisa sparsim inter feretra incesserunt. Exinde imago beatæ Mariæ virginis cum nonnullis aliis imaginibus præviis, capite sancti Alexandri subsequente. Post hoc consequebantur feretra sanctorum scilicet Philippi, Baboleni, Simetonis, Justi, Petri, feretrumque sancti Quirini et feretrum sancti Remacli. Post quæ feretra clerus et fratres tam Malmundariensis quam Stabulensis cœnobiorum cantica turbulento tempori congrua persolventes; postremo vero venerabile Sacramentum præcedentibus jocalibus et reliquiis prætactis. Turba autem utriusque

(1) De sancto Symmetrio Ladernacum *(Lierneux)* translato cfr. *Act. SS.*, tom. VI Maii, p. 362 sqq.

sexus quæ præcedebat et consequebatur ex conjectura et judicio expertorum accedebat ad quinque milia hominum, inter quos audires per alta cordis suspiria singultus glorificantium et laudantium Deum in sanctis suis. Non enim arbitror cuiquam ratione utenti tam saxeum pectus, quod ad aspectum tam felicissimæ triumphantisque beatorum societatis præ gaudio non emolliatur usque ad lacrimarum compunctionem. Hujus siquidem processionis circuitus fuit ab egressu eminus ascendendo directo tramite per forum in vicum, qui ducit Leodium et inde descendendo per ruellam quæ dicitur Canum in viam Mulmundariensem et ex ea immediate intrando (ruptis sepibus) in pratum ecclesiæ illud quandrangulariter quando usque ad inferiorem ejus partem ibidem circa officinas in ecclesiam iterum revertendo ubi facto sermone inchoabatur missa.

Sabbato præcedenti post prandium advenienti glorioso martyri sancto Quirino et suis complicibus domnus abbas præfatus et conventus Stabulensis in albis et cappis una cum populo processerunt obviam usque in agrum qui dicitur terminus pusionum, illos ibidem honorifice et cum ingenti gaudio suscipientes; et in crastino facto prandio, eousque pari modo ducatum præbuerunt, devote, reverenter et humiliter omnibus valedicentes.

Fol. 65r invenies aliquot rescripta medicinalia.

CCXXXIV. Codex apud D. Phillipps signatus n° 12461.

Foliorum 301, formæ majoris (0m,40 × 0,27), binis columnis, lineis stylo ferreo ductis, a diversis sec. XII ineunte exaratus. Tituli rubricati sunt, itemque litteræ majores. Fol. 1r hæc scripta sunt: *Iste liber decani et conventus Stabulensis.* Multam quoque injuriam codex passus est: nam sæpissime pars marginum inferior abscissa est et folia non pauca avulsa: quorum alia jam deerant sec. XVII dum codex compaginabatur, alia posteriori ætate improbus quidam avulsit.

1° Passio Stæ [Ana]stasiæ martyris (fol. 1r-8r).

Partim edita apud Mombritium, partim in *Bibliotheca Casinensi.* Vide supra.

2° II Kal. Januarii natalis S. Silvestri papæ (fol. 8r-21v).

Edita apud Mombritium, tom. II.

3° Amphilochii episcopi Iconii in vita et miraculis

sancti Patris nostri Basilii archiepiscopi Capadociæ (fol. 21v-35r).

Vide supra, p. 345, 28°.

4° Vita beati Juliani martyris, quæ celebratur VIII idus Januarias (fol. 35r-49v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 9 Jan., tom. I, p. 575 sqq.; in cod. major prologi pars om. (incipit *Beati igitur martyris)*; item ob folium avulsum om. ultima pars num. 64.

5° [De Sto Hilario] (fol. 50r-52v).

Vita auctore Fortunato. In cod. ob fol. avulsum incipit *Commonens, nunc alios* (num. 4).

6° Epistola beati Hilarii ad Apram filiam suam (fol. 52v-54r).

Edita apud Migne, P. L., tom. X, p. 549 sqq.; add. in cod. hymnus *Lucis largitor* edit. ibid., p. 551 sqq.

7° Mense Januario die XIIII. Vita beati Felicis presbiteri Nolani vel in Pincis (fol. 54r-55r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Jan., tom. I, p. 951.

8° Vita beati Fursei, quæ celebratur XVII Kal. Februarias (fol. 55r-62r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Jan., tom. I, p. 36 sqq.

9° Vita beati Sulpicii episcopi, quæ celebratur XVI Kal. Februarias (fol. 62r-71r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 17 Jan., tom. II, p. 167 sqq.; in cod. prol. om.

10° Vita Stæ Paulæ, quæ celebratur VII Kal. Februarii (fol. 71r-81r).

Edita apud Rosweydum, *Vitæ Patrum*, p. 401 sqq.

11° Vita beatissimæ Brigidæ virginis, quæ celebratur Kal. Februarii (fol. 81r-87v).

Vita auctore Cogitoso edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Febr., tom. I, p. 129 sqq.; in cod. prol. om.

12° Vita Stæ Genovefæ virginis, quæ est III nonas Februarii (fol. 87v-93v).

Ibid., ad d. 3 Jan., tom. I, p. 138 sqq.

13° Vita vel actus beatissimi Gregorii papæ urbis Romæ, quæ celebratur quarto iduum Marciarum (fol. 93v-102r).

Ibid., ad d. 12 Martii, tom. II, p. 130 sqq.

14° De monacho capti[vo] sancti Hieronimi scripta (fol. 102v-105r).

Vide supra, p. 337, 4°.

15° [Vita S. Ambrosii] fol 106v-115r).

Vita auctore Paulino : vide supra, p. 345, 28°. In cod. ob folium media sua parte scissa initio mutila.

16° Inventio Sanctæ Crucis (fol. 115r-117v).

Initium narrationis edit. in *Anal. Boll.*, tom. II, pp. 282, 283; inde in cod. narratum est homiliæ modo miraculum, quo vera crux Helenæ imperatrici manifestata fuit.

17° Passio S. Gordiani martyris, qui passus est VI iduum Maiarum (fol. 117v-119v).

Vide supra, p. 479, 6°.

18° Mense Maio sub die VI Id. Maiarum passio S. Antimi (fol. 119v-129r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 11 Maii, tom. II, p. 616-619. In cod. major pars num. 14 om. (inde ab : *Artemiam)*, ac num. 15 his paucis contractus est : *Post hæc beata Lucina complevit ætatem annis XC et V et perrexit ad Dominum. Cui est....*

19° Passio S. Pancratii martyris sub die IIII Id. Maiarum (fol. 123r-124v).

Edita ibid., ad d. 12 Maii, tom. III, p. 21.

20° Passio S. Peregrini martyris, quæ celebratur XVII Kal. Junii (fol. 124v-125v).

Ibid., ad d. 16 Maii, tom. III, pp. 563, 564; in cod. mutila in fine ob fol. avulsum.

21° [De sancto Apollinari] (fol. 126r-128v).

Ibid., ad d. 23 Julii, tom. V, p. 344 sqq.; in cod. initio mutila : omm. num. 1-18.

22° Passio S. Jacobi apostoli fratris Johannis, quæ celebratur VIII Kal. Augusti (fol. 128v-131v).

Edita apud Mombritium, tom. II.

23° Passio S. Cucufatis martyris, quæ celebratur VIII Kal. Augusti (fol. 131v-134v).

Edita mutato stylo apud Surium ad d. 25 Julii.

24° [De sancto Felice martyre Gerundensi] (fol. 135r-138r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 1 Aug., tom. I, p. 26 sqq.; in cod. ob fol. avulsum initio mutila; multæ etiam occurrunt lect. var.

25° Passio S. Stephani pontificis, quæ celebratur IIII nonas Augusti (fol. 138r-141r).

Ibid., ad d. 2 Aug., tom. I, p. 139 sqq.

26° VIII idui Augustorum passio sanctæ Afræ (fol. 141r-144v).

Ibid., ad d. 5 Aug., tom. II, p. 55 sqq.

27° Passio S. Cyriaci cum sociis suis sub die VII idus Augusti (fol. 144v-147v).

Ibid., ad d. 16 Jan., tom. II, p. 5 sqq.; in cod. mutila in fine ob fol. avulsum.

28° Passio S. Stephani protomartyris. Quod est VII Kal. Januarii (fol. 148r-149v).

Narratio desumpta ex Actibus Apostolorum.

29° III nonas Augusti in Hierosolimis inventio corporis sancti Stephani protomartyris et sanctorum Gamalielis, Nichodemi et Abibon (fol. 149v-152r).

Epistola Luciani.

30° Sermo S. Augustini de miraculis S. Stephani (fol. 152r-154r).

Ex lib. XXII *de Civitate Dei* num. 10 sqq. cum initio cap. IX (Migne, P. L., tom. XLI, p. 766 sqq.).

31° VI Kal. Januarii assumptio S. Johannis apostoli et evangelistæ (fol. 154r-159v).

Epistola Melliti : vide supra, tom. I, p. 253, 10°.

32° Ex libro III° ecclesiasticæ hystoriæ relatio de Johanne apostolo et evangelista (fol. 159v-160v).

Ibid., 11°.

33° Passio Stæ Columbæ virginis, quæ celebratur II Kal. Januarii (fol. 160v-163r).

Edit. supra, tom. I, p. 302 sqq.

34° Passio S. Sebastiani martyris et comitum ejus, qui passi sunt Romæ die XIII Kal. Februarii (fol. 163r-182r).

Vide supra, p. 438, 11°.

35° Passio sanctarum virginum Agnetis et Emerentianæ, quæ passæ sunt XII Kal. Februarii (fol. 182r-185v).

Epistola S. Ambrosii, vide supra, p. 33, 7°.

36° Passio S. Vincentii martyris, quæ celebratur XI Kal. Februarii (fol. 185^{v}-188^{v}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 22 Jan., tom. II, p. 394 sqq.; in cod. numm. 1, 2 omm.

37° Passio S. Asclæ, quæ celebratur X Kal. Februarias (fol. 188^{v}-189^{r}).

Ibid., ad d. 23 Jan., tom. II, pp. 456, 457; ob fol. avulsum media pars in cod. desideratur.

38° Passio S. Babillæ episcopi, qui passus est in Antiochia sub Numeriano imperatore, die VIIII Kal. Februarii (fol. 189^{r}-192^{r}).

Ibid., ad d. 24 Jan., tom. II, p. 571 sqq.

39° Passio S. Policarpi episcopi, quæ celebratur VII Kal. Februarii (fol. 192^{r}-194^{r}).

Vide supra, p. 270, 32°.

40° Passio S. Valentini presbyteri sub die XVI Kal. Marciarum (fol. 194^{r}-197^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 19 Jan., tom. II, p. 216 sqq., sub hoc titulo: *Acta SS. Marii Marthæ et filiorum*.

41° Passio Stæ Julianæ virginis, quæ celebratur XIIII Kal. Martiarum (fol. 197^{r}-200^{v}).

Ibid., ad d. 16 Feb., tom. II, p. 873 sqq.

42° Passio Stæ Felicitatis et Perpetuæ apud Africam in civitate Tuburbitanorum die nonarum Marciarum (fol. 200^{v}-202^{r}).

Vide supra, tom. I, p. 158 sqq.

43° Passio sanctorum quadraginta martyrum mense Marcio (fol. 202^{r}-205^{r}).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 10 Martii, tom. II, p. 19 sqq.

44° Passio Phylemonis, quæ est VIII idus Martii (fol. 205^{r}-209^{r}).

Ibid., ad d. 8 Martii, tom. I, p. 752 sqq.

45° Passio beatissimi Eusebii martyris (fol. 209^{v}-210^{v}).

Ibid., ad d. 14 Aug., tom. III, pp. 150, 151.

46° Passio Stæ Theodosiæ, quæ celebratur III nonas Aprilis (fol. 210^{v}-217^{v}).

Edit. supra, tom. I, p. 164 sqq.; in fine mutila ob fol. avulsum.

47° [De sancto Jacobo apostolo] (fol. 218r-218v).

Fragmentum passionis de qua supra, tom. I, p. 203, 4°. Initio mutila ob fol. excisum.

48° Kal. Maii assumptio S. Philippi apostoli (fol. 218v-219r).

Ibid., p. 202, 3°.

49° Passio S. Victoris et Coronæ die II idus Mai, sub Antonino imperatore et Sebastino duce Alexandrinæ (fol. 219r-220r).

Contracta ex passione edita in *Act. SS.*, ad d. 15 Maii, tom. III, p. 266 sqq.; in cod. ob fol. excisum media pars desideratur.

50° Revelatio S. Corcodromi diaconi et conversio Mamertini ac gesta S. Germani episcopi et confessoris (fol. 220r-223r).

Vide *Act. SS.*, ad d. 31 Julii, tom. VII, p. 206-210, num. 18-37; in cod. ob fol. excisum quædam pars media desideratur.

51° Passio sanctorum martyrum Cantii, Cantiani et Cantianillæ sub die II Kal. Junii (fol. 223r-224v).

Ibid., ad d. 31 Maii, tom. VII, p. 428 sqq.; num. 1 om.

52° Passio sanctorum martyrum Marcellini et Petri sub die IIII nonas Junii (fol. 224v-227v).

Ibid., ad d. 2 Junii, tom. I, p. 171 sqq.

53° Die supra scriptio natalis sanctæ Blandinæ cum aliis multis (fol. 227v-231v).

Narratio desumpta ex Rufino, *Hist. Eccl.*, lib. V, p. 244-264 (Romæ 1740).

54° Passio sanctorum martyrum Gervasii et Protasii sub die XIII kalendarum Julii (fol. 231v-233v).

Epistola Ambrosii; vide supra, tom. I, p. 24, 12°.

55° Passio sanctorum martyrum Johannis et Pauli sub die VI Kal. Juliarum (fol. 233v-237r).

Edita apud Membritium tom. I.

56° Passio sanctorum apostolorum Petri et Pauli sub die III Kal. Juliarum (fol. 137r-238v).

Edita in *Bibl. Casinensi*, tom. III, Flor. p. 238 sqq.; in cod. inc. : *Cum demens Nero Judeorum bello* (ibid. p. 329, col. 1, lin. 21) ac in fine pro iis quæ ibi edita sunt p. 240, col. 1, lin. ultima a fine *(Anno sexto)* in cod. relatum est de pænis quas Deo dedit impiissimus persecutor.

57° Passio Processi et Martiniani sub die VI nonas Juliarum (fol. 238v-240r).

Edit. in *Act. SS.*, ad d. 2 Julii, tom. I, pp. 303, 304.

58° Passio VII fratrum filiorum Felicitatis (fol. 240r-241v).

Ibid., ad d. 10 Julii, tom. III, pp. 12, 13.

59° Passio sanctorum martyrum Hermochoræ episcopi et Fortunati archidiaconi sub die IIII Id. Julii (fol. 241v-244v).

Ibid., ad d. 12 Julii, tom. III, p. 251 sqq.; in cod. multæ occurrunt lect. var.

60° Passio sanctorum martyrum Abdon et Sennen, Sixti episcopi, Felicissimi et Agapiti, Laurentii et Ypoliti (fol. 245r-254r).

Vide supra, tom. I, p. 13, 55°; in cod. add. ex Mombritio, tom. II, Passiones sanctorum Sixti, Laurentii et Hippolyti.

61° Passio S. Felicis martyris, qui passus est in Jerunda sub die Kal. Augustarum (fol. 254r-256v).

Vide supra, tom. I, p. 34, 61°, sed in cod. desinit *titulavit ut sit nomen Domini benedictum.*

62° Item Kal. Augusti passio trium virginum (fol. 256v-259r).

Vide supra, p. 378, 63°.

63° Sermo in translatione * S. Remacli (fol. 259r-259v).

Fragmentum cujusdam homiliæ prioribus erasis superscriptæ, quæ incipit : *Venerabilem omnique cultu percolendum beati Remacli confessoris Domini nostri translationis diem cum omni honoris devotione suscipere debemus.*

* *sup. lin. manu recentiori* vel depositione.

64° [De S. Stephano papa] (fol. 261r).

Ultima pars passionis sancti pontificis editæ in *Act. SS.*, ad d. 2 Aug., tom. I, p. 139 sqq.; in cod. avulsa sunt folia.

65° VIII iduum Augus[ti] Passio Stæ Afræ (fol. 261r-263v).

Vide supra, p. 523, 26°; in cod. ob folia evulsa mutila in fine.

66° [Passio S. Marcelli] (fol. 264r-267v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 16 Jun., tom. I, p. 5 sqq.: in cod. ob folia avulsa omm. numm. 1, 2, ac initium num. 3. — De passione sancti Mametis *quæ celebratur* XVI *Kal. Septembris* nihil nisi lineæ duæ supersunt.

67° [De S. Symphoriano] (fol. 268r-268v).

Fragmentum passionis editæ in *Act. SS.*, ad d. 22 Aug., tom. IV, pp. 496, 497.

68° Passio S. Bartholomei apostoli et martyris sub die VIIII Kal. Septembris (fol. 268v-272r).

Vide supra, p. 461, 2°.

69° Passio beatæ Savinæ martyris, quæ passa est IIII Kal. Septembris (fol. 272r-272v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 29 Aug., tom. VI, pp. 503, 504, num. 12-15.

70° Passio beatorum martyrum Felicis et Audacti * sub die III Kal. Septembris (fol. 272v-273v). * *sic.*

Fere ad verbum ex Adone desumpta; vide *Act. SS.*, tom. VI Aug., p. 546, numm. 5, 6.

71° Passio sanctorum martyrum Proti et Jacinti sub die III Id. Septembris (fol. 273v-276v).

Desumpta est ex Vita sanctæ Eugeniæ editæ apud Rosweydum, *Vitæ Patrum*, p. 340 sqq.

72° Qualiter sancta Crux ab Eracleo imperatore de regno Cosroe Hierosolimis est restituta (fol. 276v-278v).

Edit. apud Mombritium, tom. I.

73° Passio beatissimi Cornelii papæ urbis Romæ mensis die XIII (fol. 278v-279v).

Edita apud Mombritium, tom. I.

74° Passio S. Cipriani episcopi (fol. 279v-280r).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 14 Sept., tom. IV, pp. 332, 333.

75° Passio Stæ Eufemiæ virginis sub die XVI Kal. Octobris (fol. 280r-285v).

Passio non multum dissimilis ab ea quæ edita est apud Mombritium, tom. I.

76° Passio Stæ Faustæ sub die XII Kal. Octobris (fol. 285v-287v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 20 Sept., tom. VI, p. 144 sqq.; in cod. ob fol. avulsum ultima pars numeri 13 om.

77° [De Sto Mattheo apostolo] (fol. 288r-291r).

Passio edita apud Mombritium, tom. II; in cod. initio mutila.

78° In nomine Domini nostri Jesu Christi incipit passio S. Alexandri episcopi, quæ celebratur XI Kal. Octobris (fol. 291r-295r).

Passio auctore Crisentiano edita in *Act. SS.*, ad d. 21 Sept., tom. VI, p. 230 sqq.

79° Passio S. Mauricii cum sociis suis sub die x Kal. Octobris (fol. 295r-298v).

Edita apud Surium ad d. 22 Sept.; in cod. omm. prol. ac epistola Eucharii, ac in fine ob folium avulsum num. x et sqq.

80° [De sanctis Cosma et Damiano] (fol. 299r-301v).

Edita in *Act. SS.*, ad d. 27 Sept., tom. VII, p. 474 sqq.; initio mutila ob fol. avulsum.

81° Passio sanctorum apostolorum Judæ Jacobi et Simonis Chananei sub die v Kal. Novembris (fol. 301v-304v).

Edita apud Mombritium, tom. II; in cod. ob folia avulsa in fine mutila.

CCXXXV. Codex apud D. Phillipps signatus n° 323.

Foliorum 133, formæ mediæ (0m,313 × 0,23), lineis graphide ductis, binis columnis a duplici manu seculo XIII exaratus. Litteræ majores haud ineleganter exornatæ tum rubro, tum viridi, tum utroque commixto colore depictæ sunt. Codex suam originem testatur sequentibus verbis bis fol. 133r inscriptis : *Liber sanctæ Mariæ de Villari.* Insuper, quod et alias de Villariensibus notatum est, codex flammæ edacis indicia retinet. Hunc codicem inter hagiologicos extra ordinem hic annumeramus propter sequens documentum, quod in ultimo folio et scriptura magis contracta, quasi ad spatium complendum, additur :

Miracula de Sto Martino (fol. 131v-132v).

Descripta sunt miracula duo : prius editum est apud Migne, P. L., tom. LXXIX, p. 1036-1038, num. I; posterius supra, tom. I, p. 242-244. — Insuper in cod. (fol. 1v-96v) scripta sunt ea quæ in Vitis Patrum auctore Rosweydo contenta sunt lib. v (p. 562 sqq.) ac lib. vi (p. 644 sqq.); quæ sequuntur usque ad fol. 121v magnam quidem convenientiam habent cum lib. vii ejusdem operis, in codice tamen non pauca tum addita tum omissa sunt. Inde (fol. 121v-131v) descriptus est libellus editus apud Mabillon *Act. SS. O. S. B.*, sec. VII, parte ii, p. 391 sqq., sub hoc titulo: *De rebus gestis in Majori-monasterio sec. XI;* sed inter edita ac codicem hoc discrimen intercedit quod in cod. præposita sunt sqq. : α) relatio testimonii quod tulit quidam anachoreta in Africa degens de efficacia, qua donabantur preces in Majori-monasterio effusæ, ad liberandas animas a dæmonum potestate. β) enarratio eorum quæ sancto Leoni papæ IX apud Narniam contigerunt, edita apud Mabillon, tom. cit., p. 75 med. *(Videtur etiam...)*

NOTA.

De sancto Mummolino.

Pag. 6, 39°, scriptum est hanc S. Mummolini Vitam edendam esse tomo VI Analectorum. Quum vero eam fere totam Josephus Ghesquierus inseruerit in suo de sancto Mummolino commentario (1), satius erit hic sedulo ipsius Vitæ continuam seriem annotare addendo ea quæ Ghesquierus omittenda judicavit.

Incipit vita sancti Mummolini confessoris cujus festum est XVII Kl. Novembris.

1. Tempore quo rex Lotharius, filius Ludovici regis, regni Francorum monarchiam tenebat, tres viri religiosi, Mummolinus videlicet, Bertinus atque Bertramnus, exientes a civitate Constantia, quæ adjacet Moguntinæ provinciæ, in partes convenerunt, in quibus verbo prædicationis filios generarent, quos Deo summo patrifamilias in lucrum repræsentarent. Sed sanctus Bertramnus atque Bertinus beatum Mummolinum in patrem sibi elegerunt, cui humili devotione subjiciebantur, et caritativo affectu venerabantur. Hi siquidem cum primitus verbum vitæ per Galliam instanter disseminarent, adhæserunt eis plures viri religiosi, qui a beato Mummolino a mane usque ad vesperam æternæ vitæ pabulis reficiebantur. Nec minus quoque palatini proceres intermissa ad tempus regali servitute ad eos confluebant, eorumque modestam conversationem in recte vivendo ad exemplum sibi proferebant. Et quidem quia beati Mummolini exhortationis frequenti irradiabantur jubare, non tantum de terreni regis transitoria servitute, verum etiam de cælestis vitæ essentia sedula tractabant præmeditatione. Vir quippe venerabilis frequenter eis recitabat illud evangelicum, mundum videlicet cum omni ejus concupiscentia esse periturum, regnum autem Domini in æternum mansurum. His siquidem et aliis scripturæ institutionibus longo temporum curriculo corda populorum excoluit, multorumque mentes ad æternam patriam incitavit, quia quod prædicabat verbo, sequenti mox explebat exemplo. Unde contigit ut miro affectu amaretur in populo, humili subjectione honoraretur in clero, et regis Lotharii aures jam pulsaret ejus eximiæ conversationis crebra opinio. Qui comperta illius sanctitate ut erat, mox eum suis astare jussit conspectibus, summa perscrutans diligentia, cujus esset oriundus patriæ vel ex qua concretus progenie. At ille ne rememorando suæ nobilitatis quolibet typo superbiæ moveretur, reticuit prosapiam, sed tantum natalem indicavit provinciam. *Sum,* inquit, *Constantiensis civitatis prope Renum sitæ genere, et sub sancto Eustasio Luxoviensis monasterii abbate, discipulo sancti Columbani Scotigenæ, famosissimi Christi athletæ, vitam monachicam longo duxi tempore, sed nunc ut veræ peregrinationis meritum mihi*

(1) *Act. SS. Belgii,* tom. IV, p. 393 sqq.

vendicarem, congruum duxi cum duobus tantum comitibus a patria exire. Quibus illatis, vir Domini Mummolinus cum suis sociis a rege honorifice est susceptus et longo tempore intra regis palatium summa diligentia subrogatus.

2. Post longum autem temporis intervallum præmemorati viri, ut longe lateque verbum vitæ spargerent, sanctum Audomarum tunc Tervanensem episcopum adierunt, ut ei in prædicando essent comites, quatinus in æterna retributione a Deo mererentur fieri æqualis gloriæ participes. Sanctus vero Audomarus prædictos Dei famulos gratifice *(num. 8)* ... scriptura eruditi. Parvo post hæc temporis *(num. eodem)* ... habebatur aptus.

3. Erat enim quidam vir potens Adrowaldus nomine, in divitiis hujus seculi vanis valde dives, quem beatus Audomarus de errore gentilitatis ad fidem convertit catholicam, quemque cum omni sua baptizavit familia. Adrowaldus vero prudenti consilio fallaces divitias hujus seculi spernens, nec ullum habens filium, magnam suæ hereditatis partem cum omni sua multiplici substantia Deo et beato obtulit Audomaro, villam videlicet quæ noto nomine Sithiu vocatur. Beatus vero Audomarus in prædicta villa ante adventum prædictorum ad eum virorum ecclesiam ædificavit in eo loco, in quo suum pausat in pace corpusculum. Postquam ergo præfati *(num. 9)* ... vetus vocatur monasterium. Sed in eo loco paucis morantes annis, divina eis *(num. 10)* ... ipsis traditum.

4. Dehinc beato Audomaro *(num. 11)* ... præposuit monachorum. Siquidem ex eo tempore initium sacræ religionis sumpsit et altiora *(num. 15)* ... saucia fovebat.

5. Nec solum ad se venientes *(num. 16)* ... converteretur ad Deum.

6. Dehinc sanctus Mummolinus *(num. 17)* ... invenerit vigilantes.

7. Beatus enim Dei famulus *(num. 18)* ... glorificavit.

8. Interea vir Dei Eligius *(num. 18)* ... subrogatus est episcopus. In quo gradu verbum *(num. 21)* ... illa relinquens. Quo vero fine *(num. 28)* ... in loco præfinito a patre composuerunt.

9. Interim dum tristia *(num. 29)* ... ostenderetur. Conditus est ut prædiximus *(num. 31)* ... secula seculorum. Amen.

De sancto Mombolo (Vid. supra, p. 15, 40°).

Vita S. Momboli in tomo V Analectorum edita non fuit propterea quod vix differt a Vita S. Eloquii quæ exstat apud Surium ad d. 3 Decembris. Cfr. Mabillon *Act. SS. O. S. B.*, sec. II, p. 653 sqq.

INDEX SANCTORUM

QUORUM ACTA RECENSITA SUNT

ET ETIAM ALIQUA SUBINDE EX IIS EDITA

IN CATALOGI HAGIOGRAPHICI

BIBLIOTHECÆ REGIÆ BRUXELLENSIS

TOMIS I ET II.

N. B. — Sancti circa quos aliquid hic editum est, designantur charactere italico, v. g. *Abdon.*

Reliqua nomina eorum Sanctorum sunt qui solummodo recensiti sunt in Catalogo.

Numerus arabicus indicat paginam, romanus tomum; ubi vero is deest, intelligitur tomus I.

INDEX AUCTORUM.

INDEX RERUM ALIQUOT NOTABILIUM.

INDEX VIRORUM, ECCLESIARUM, MONASTERIORUM, ETC.

QUORUM OLIM FUISSE CERTI CODICES NOTANTUR.

(Nomina virorum typis italicis expressa sunt. — Numeri quibus præmittitur siglum Ph. *indicant codices recens ex bibliotheca Phillippiana apud Cheltenham in Bruxellensem regiam invectos, iique sunt quibus in bibliotheca Phillippiana signati erant.)*

Ex musæo Bollandiano (v. supra p. 554).

N	267	a	=	7959-61
N	MS	16	=	8536-43
O	MS	5	=	8216-18
„	„	8	=	8033-34
„	„	11	=	8623-6
„	„	13	=	8224-26
„	„	16	=	8372
P	MS	2	=	8609-20
„	„	3	=	8646-52
„	„	8	=	7825-26
„	„	9	=	7882
„	„	11	=	7672-74
„	„	12	=	7666-71
„	„	13	=	8283-86
„	„	16	=	14650-59
„	„	17	=	7917
„	„	28	=	7984
„	„	21	=	8223
„	„	22	=	8059
„	„	155	=	7482
„	„	159	=	7460
„	„	160	=	7461
Q	MS	3	=	7503-18
„	„	4	=	7487-91
„	„	5	=	7483-86
„	„	6	=	9537-40
„	„	10	=	7462-81

✠	Ms	22	=	8860-67
„	„	32	=	8895-96
„	„	33	=	8883-94
„	„	35	=	8873-78
„	„	38	=	8794-99
„	„	39	=	8511-12
„	„	47	=	8550-51
„	„	50	=	8751-60
„	„	56	=	8714-19
„	„	63	=	9968-72
„	„	66	=	9987-91
„	„	76	=	8675-89
„	„	78	=	8414-19
„	„	79	=	8302-05
„	„	82	=	8344-46
„	„	84	=	8690-8702
„	„	85	=	8721-8
„	„	86	=	8518-20
„	„	87	=	8515
„	„	88	=	8552
„	„	93	=	8729-31
„	„	94	=	8354-61
„	„	104	=	9845-48
„	„	107	=	8261-70
„	„	116	=	1831-33
„	„	120	=	10615-729
„	„	197	=	8653
„	„	200	=	8386-96
„	„	201	=	1651-52
„	„	209	=	7808

Bollandiani codices quorum signum ablatum : 8401, 9119, 9120, 20677-88.

Bruxellis. — Typis Polleunis, Ceuterick & De Smet.







